
R-1802

BECANO, Martin (S.I.)(1563-1624)

Theologiae scholasticae: Pars secunda. Tomus Tertius.../ Martini Becani... — Editio secunda... — * Parisiis: Apud Ioannem Iost ..., 1634

Nota: El nombre del autor precede al título



Beatíssimi Patris nostri Frãcísci pia, húmilis, & deuóta supplicátio: in cuius carne, prærogatíua mirábili, passiónis tuæ sacra stígmata renouásti, & præsta: vt virtúte præséntis oblatiónis tuæ passiónis circa nos beneficia júgiter sentiámus. Qui viuis.

Præfatio vt in die Natalis eiúsdem.

Comm. Communio. Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum, & tollat crucẽ suam, & sequátur me.

Postcommunio.

DEus, qui mira crucis mystéria in beáto Francísco confessóre tuo multifórmiter demõstrásti: da nobis quæsumus, deuotiónis suæ semper exempla sectári, & assídua eiúsdem crucis meditatióne muníri. Per Dóminum.

Die 18. Iul. IN FESTO S. Rufinæ & Secundæ Martyrum.

Missa Os iusti, &c. de Communi Confess. non Pont. Euang. Nolíte timére pusíllus grex. vt in seq. Missa eandem Commem.

DE SANCTO ANgelo Custode, nisi S. Angelus die non impedit.

FESTA QUÆ IN TRANSLATIONE

sanctæ Cæciliæ Virginis

Missa vt in die eiúsdem, sed Præfatio de Translatione sanctorum infra scripta. pag. 9.

IN FESTO S. P. N. Francisci

Introitus.

GAudeámus in Dómino festum celebrántes sub honóre beáti Fran de cuius solemnitáte dent Angeli, & collaFílium Dei. Psalm. táte iusti in Dómino decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

In Missis votiuis Introitus. Mihi aut in festo Stigmatũ.

DEus qui Ecctuam beáti Fr méritis, fœtu nouæ amplificas: tríbue no eius imitatióne terré spícere, & cæléstium rum semper particip gaudére. Per Dómi

Léctio Epístolæ bea Apóstoli ad Gal

FRatres: Mihi au gloriári nisi in

…hi mundus crucifixus est, & ego mundo. In … enim Iesu neque circúmcísio áliquid valet, neque … prepútium, sed noua … a. Et quicúmq; hãc … m secúti fúerint, pax … llos, & misericórdia, … r Israël Dei. De cétero … emo mihi molésstus … o enim stígmata Dómini … esu in córpore meo … Grátia Dómini nostri … Christi, cum spíritu … fratres. Amen.

…dale. O s iusti medi… r sapiétiam, & lingua … loquétur iudícium. … x Dei eius in corde … & non supplantabũtur … eius. Allelúia, … a. ℣. O Patriárcha … rum Francísce, tuis … us auge tuórum nú… n in charitáte Christi: … cancellátis mánibus, … ens vt móriẽs Iacob, … ixísti. Allelúia.

…ore Paschali omitte… …aduale, & dicitur ℣. … Franciscus pauper & … s cælum diues ingré… …ymnis celéstibus ho… …ur. Allelúia.

…epe … Sanctum, Tra… …eátu… …ui timet cupit nimis, ℣. Potẽs in terra erit semẽ eius, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius, & iustítia eius manet in sæculum sæculi.


Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Matthæum.

In illo témpore: Respondens Iesus: dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ; quia abscondísti hæc à sapiéntibus, & prudéntibus, & reuelásti ea páruulis. Ita Pater: quóniã sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Fíliũ, nisi Pater: neque Pátrem quis nouit, nisi Fílius, & cui volúerit fílius reueláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, & oneráti estis, & ego reficiam vos. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde: & inuenietis requiem animábus vestris. Iugum enim meum suáue est, & onus meũ leue. Credo. & dicitur per totam Octauam.


Offertorium. Véritas mea & misericórdia mea cum ipso, & in nómine meo exáltábitur cornu eius.


MVnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: & intercedénte beáto Fráncísco, ab omni nos culpárum labe purífica. Per.

℣ Sequês Præfatio cũ suo cantu, dicitur etiã per totã Octauã, & in Dominica, & festis infra eam occurrentibus, nec nõ in Missis votiuis eiusdem sancti Francisci.




PEr ómnia sæcula sæculôrum. ℟. Amen.







℣. Dóminus vobíscum.




℟. Et cum spíritu tuo.






Habémus ad Dóm



℣. Grátias agámus




no Deo nostro. ℟



gnum & [illegible]um




℣. ere dignum &



stum est, æquum




z vbíque grátias
al tíſſima bonitâte, &
e: Dómine ſancte,
clementia: ſanctorum
r omnipotẽs, aeter-
tuorũ mé ritis, & virtû-
Deus: Qui venerá-
tibus ſublimaſti: mẽtẽm-
Confeſſoré ſuum-
que ipſíus ſancti Spíri-
n tu um be a tum
tus ope ra ti ô ne: a-
mor ille Seraphicus

R. P. MARTINI

# BECANI

SOCIETATIS IE.

*THEOLOGI,*

In Archiepiscopali Academia Moguntin.
olim Professoris,


THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

## Pars secunda.

TOMVS TERTIVS


*De Iustitia & Iure.*

Editio secunda à mendis expurgata, & duplici Indice illustrata.



PARISIIS,
Apud IOANNEM IOST, viâ Iacobæâ, ad insigne sancti Spiritus.

M. DC. XXXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



# INDEX CAPITVM ET QVÆSTIONVM

## CAPVT PRIMVM.

*De Iure.* pag. 1

### QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit Ius.* pag. 2

2. VID *sit ius illud quod significat præceptum.* 3
3. *De iure naturali & positiuo.* 5
4. *De iure simpliciter & secundum quid. Item de paterno, dominatiuo, & œconomico.* 7
5. *De iure in re & ad rem.* 11

### Caput II. De Dominio.

Quæst. 1. *Quid sit Dominium.* 16
2. *Quotuplex sit dominium.* 17
3. *Quid requiratur ad dominium.* 18
4. *De titulo & traditione seu apprehensione.* 21
5. *De vsufructu & proprietate.* 22
6. *Quot modis constituatur Vsusfructus.* 25
7. *Quot modis finiatur Vsusfructus.* 27
8. *De Vsu & habitatione.* 30

9. *An vsus distinguatur a dominio in rebus vsu consumptibilibus.* 31
10. *De emphyteusi.* 33
11. *De feudo.* 34
12. *De libello & superficiario contractu.* 35
13. *De seruitute.* 36
14. *Quomodo seruitutes constituantur & finiantur.* 37
15. *De possessione.* 38
16. *Quotuplex possessio.* 40
17. *Quibus modis acquiratur possessio.* 42
18. *Quomodo amittatur possessio.* 45
19. *Quid priuilegij conferat possessio.* 46

Caput III. De subiectio dominij. 47

Quæst. 1. *Qua ratione conueniat homini dominium.* 47
2. *An paruuli & amentes habeant dominium.* 52
3. *An filij familias habeant dominium, ibid.*
4. *An serui habeant verum dominium.* 65
5. *An Religiosi habeant dominium, ibid.*
6. *An Clerici non Religiosi habeant aliquod bonorum dominium.* 57
7. *An Pontifex habeat dominium temporale totius orbis.* 67
8. *An Pontifex iure humano habeat dominium temporale.* 72

Caput IV. De obiecto dominij. 47

Quæst. 1. *An homo sit Dominus vitæ suæ & membrorum.* 75
2. *An homo sit Dominus famæ suæ & honoris.* 77
3. *An homo sit Dominus bonorum spiritualium,* 79
4. *An vnus homo possit habere dominium alterius.* 80

Caput V. De prima rerum diuisione & acquisitione. 85

Quæst. 1. *Quomodo facta sit prima rerum diuisio.* 85
2. *An hæc diuisio fuerit vtilis & licita, ibid.*

5. Quo iure facta sit hæc diuisio. 87
4. De acquisitione dominij animalium per venationem. 89
5. An Principes possint iustè prohibere venationem, piscationem, aucupium in loco publici iuris. 90
6. An aliquis possit venari in prædio vel saltu alieno. 92
7. Quomodo peccet qui contra iustam prohibitionem venatur, piscatur, aucupatur. 93
8. An fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit mea, an accipientis. 97
9. An fera meo laqueo capta sit mea, an illius qui fortè superueniens exemit & abstulit. 98
10. An venæ metallicæ auri & argenti fiant primo occupantis. 99
11. Quomodo acquiratur dominium in thesauris. 101
12. An iustè prohiberi possit pastio vel lignatio, in pascuo vel sylua Reipub. 103
13. Quæ dicantur haberi pro derelicto, ita, vt dominium illorum primò occupantis censeatur. 104

Caput VI. De translatione dominij per donationem & promissionem. 105

Quæst. 1. Quid sit donatio & promissio 105
2. Quomodo differant donatio, promissio, pollicitatio, pactum, & stipulatio. 109
3. An promissio ob turpem causam obliget, ibid.
4. Quænam promissiones sint irrita iure naturali aut positiuo. 112
5. An promissio vel donatio interna obliget. 114
6. An promissio vel donatio externa obliget ante acceptationem. 115
7. Vnde proueniat quod promissio vel donatio non obliget ante acceptationem. 117
8. Quomodo promissio vel donatio absenti facta, validè possit acceptari. 119

9. *An post mortem donatoris possit donatio validè acceptari.* 122
10. *Quinam possint promissionem vel donationem absenti factam acceptare.* 123
11. *Quomodo obliget promissio externa legitimè acceptata.* 125
12. *An promissioni vel donationi iam acceptatæ possit apponi aliquod onus.* 129
13. *Quibus casibus promissio acceptata, & ante valida desinat obligare.* 131
14. *Qui possint donare, qui non possint.* 132
15. *An donatio inter coniuges sit valida.* 133
16. *An donatio inter liberos & parentes sit valida.* 134
17. *Quantum possit quis validè donare.* 135
18. *Quibus casibus donatio inter vivos possit revocari.* 137
19. *Quibus casibus donatio mortis causa revocari possit.* 140
20. *An donatio vel promissio conditionalis sit valida, ibid.*

Caput VII. De translatione dominij per vltimam voluntatem. 142

Quæst. 1. *Quid sit testamentum* 143
2. *An testamentum factum ad piam causam sit validum, si desint solemnitates iuris.* 145
3. *An testamentum factum ad causam profanam, sit validum sine solemnitate iuris.* 146
4. *Quinam possint testari, qui non.* 149
5. *Quinam possint aut non possint scribi, aut institui hæredes vel legatarij.* 150
6. *An illegitimus possit institui hæres, ibid.*
7. *Quibus modis aliquis possit hæredi substitui.* 154
8. *An testamentum iuratum possit revocari.* 157

Caput VIII. De translat. dominij per contractus. 160

Quæst. 1. *Quid sit contractus, ibid.*

2. Quotuplex sit contractus, ibid.
3. An omnis contractus obliget in vtroque foro. 162
4. An contractus per se inualidi confirmentur iuramento. 163
5. Quinam possint contrahere. 164

Caput IX. De translatione dominij per præscriptionem. 165

Quæst. 1. Quid sit præscriptio & vsucapio, ibid.
2. Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem, & primum, an requiratur possessio. 167
3. An ad præscriptionem requiratur titulus. 168
4. An ad præscriptionem requiratur bona fides. 169
5. Vnde proueniat bona fides quæ ad præscriptionem requiritur. 170
6. An aliquando cum mala fide procedat præscriptio. 172
7. Quantum temporis requiratur ad præscribendum res mobiles. 174
8. Quantum temporis requiratur ad præscriptionem rerum immobilium. 175
9. Quanto tempore præscribantur seruitutes & quanto amittantur. 177
10. Quanto tempore præscribatur ius patronatus, id est, ius præsentandi ad beneficium. 179
11. Quanto tempore præscribantur debita, hypothecæ, legata, fideicommissa. 181
12. Quanto tempore possit præscribi contra Principem. 182
13. Quanto tempore præscribat, qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel ab eo qui mala fide tradidit. 185
14. Quænam res præscribi possint. 186
15. Quando præscriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi, ibid.
16. An qui legitimè præscripsit rem aliquam, si postea cognoscat fuisse alienam, teneatur restituere. 188

Quæstio LVIII. D. Thomæ, De Iustitia. 189

Quæst. 1. *Quid sit iustitia, ibid.*
2. *An iustitia sit ad alterum.* 191
3. *An iustitia versetur tantum circa actiones.* 192
4. *An iustitia attingat medium rei.* 193
5. *Quomodo iustitia distinguatur ab alijs virtutibus.* 194
6. *An iustitia sit præstantior alijs virtutibus.* 195
7. *An præter iustitiam particularem sit aliqua generalis vel legalis.* 197
8. *An iustitia legalis habeat veram & propriam rationem iustitiæ.* 198
9. *An iustitia legalis sit idem quod pietas erga patriam.* 200

Quæstio LIX. De Iniustitia. 201

Quæst. 1. *Quid sit iniustitia.* 202
2. *An aliquis dicatur iniustus eo ipso quod faciat aliquid iniustum, ibid.*
3. *An aliquis possit pati iniustum volens.* 203

Quæstio LX. De iudicio. 206

Quæst. 1. *An iudicium sit actus iustitiæ, ibid.*
2. *An iudicium sit actus iustitiæ legalis an particularis.* 209
3. *An liceat Christianis iudicare, ibid.*
4. *An iudicium temerarium sit peccatum mortale.* 211
5. *An dubitatio & suspicio temeraria sit peccatum mortale.* 213
6. *An dubia in partem meliorem sint interpretanda.* 217
7. *An semper secundum leges scriptas iudicandum sit.* 222
8. *Quinam peccent vsurpatione iudicij.* 223
9. *An iudex excommunicatus peccet vsurpatione iudicij.* 225
10. *An iudex qui propter crimen ipso iure est priuatus ti-*

*iulo, peccet vsurpatione iudicij.* 228
11. *An iudex qui habet solum titulum putatiuum, peccet vsurpatione iudicij* 230
12. *An tyrannus peccet vsurpatione iudicij.* 235

Quæstio LXI. de Diuisione iustitiæ in commutatiuam & distributiuam. 239

Quæstio LXII. De restitutione. 241

Quæst. 1. *Quid sit restitutio, ibid.*
2. *An restitutio sit necessaria ad salutem.* 242
3. *Vnde nascatur obligatio restitutionis.* 244
4. *An teneatur restituere qui priuat alium aliquo sensu vel vsu rationis per iniuriam, &c.* 246
5. *An teneatur restituere qui alterum læsit in bonis animæ, pertrahendo ad peccatum, ibid.*
6. *An teneatur restituere qui auertit aliquem ab ingressu vel statu religionis.* 249
7. *An homicida vel mutilator teneatur restituere.* 254
8. *Quomodo æstimatio lucri futuri facienda sit.* 255
9. *Quid teneatur restituere qui modum iustæ defensionis excessit.* 256
10. *An quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio.* 258
11. *An sit aliquid restituendum pro vita, membro vel cicatrice.* 259
12. *An sit aliquid restituendum pro expensis funeris.* 260
13. *An animæ occisi aliquid restituendum sit ex iustitia, ibid.*
14. *An tantum vxori & liberis, an etiam alijs restituendum.* 261
15. *Ad quid teneatur corruptor virginis.* 263
16. *Ad quid teneatur adulter.* 265
17. *Ad quid teneatur adultera si partus secutus sit.* 267
18. *An fama cum periculo vitæ sit restituenda.* 269

19. An si fama restitui nequeat, debeat pecunia compensari. 271
20. An infamator teneatur famam restituere si iam aliunde sit restituta. 272
21. Quomodo fama sit restituenda. 273
22. An totum damnum quod sequitur ex infamia sit compensandum. 274.
23. An hæredes infamatoris teneantur ad restitutionem, si ipse non restituit. 275
24. An teneatur ad restitutionem famæ, qui bona fide putans esse verum & publicum, narrauit & infamauit proximum. 276
25. An prælatus impediens infamatorem teneatur restituere, ibid.
26. An restitutio famæ possit condonari. 277
27. An in restitutione famæ possit fieri compensatio. 279
28. Quænam excusent famæ restitutionem. 280
29. An honor sit restituendus & quomodo. 281
30. An si res furtiua pereat, fur teneatur ad restitutionem. 282
31. An fur teneatur restituere fructus ex re furtiua perceptos. 285
32. An teneatur restituere qui alterum impedit à beneficio, officio vel alio commodo. 286
33. An qui damnum intulit in re crescente teneatur integrè damnum restituere. 288
34. An qui in tempestate ejcit merces alienas teneatur restituere, ibid.
5. An teneantur ad restitutionem qui positiuè cooperantur ad furtum vel damnum. 289
36. Quomodo oporteat positiuè cooperari vt censearis causa damni. 292
37. An qui aliquo horum 6. modorum cooperatur, teneatur in solidum. 295
38. Quo ordine tenẽatur isti restitutionem in solidũ facere. 296

39. *An teneantur ad restitutionem qui negatiuè sunt causa damni.* 299
40. *An is qui bona fide rem consumpsit, vel alienauit, teneatur postea restituere.* 301
41. *An possessor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos restituere.* 303
42. *An si emeris rem furtiuam bona fide, tenearis domino restituere, an verò possis dissoluere contractum recepto pretio.* 304
43. *An ille qui dubitat rem esse alienam possit eam emere, retinere, vel alienare.* 306
44. *An bona & debita incerta sint pauperibus restituenda.* 307
45. *An inuenta quæ incertum dominum habent, sint danda pauperibus.* 310

Quæstio LXII.

Quæst. 46. *An acceptum ob turpem causam sit necessario restituendum & cui.* 312
47. *An acceptum ob honestam causam, ad quam tamen obligabaris debeat restitui.* 313
48. *Quando restitutio facienda sit ratione contractus?* 315
49. *An debita certa sint prius soluenda quam incerta?* 320
50. *An inter creditores certos, prius soluendum sit creditori, cui pretium nondum est solutum, re vendita adhuc extante?* 321
51. *An debita ex delicto præferenda sint debitis ex iusto contractu?* 324
52. *Quis ordo seruandus sit in solutione certorum debitorum?* 325
53. *Quo loco & cuius expensis facienda sit restitutio.* 326
54. *Quæ causæ excusent à restitutione?* 328

Quæstio LXIII. De acceptione personarum. 333

Quæstio LXIV. De homicidio. 334

Quæst. 1. *An liceat occidere plantas & animalia?* 335
2. *An liceat occidere hominem?* 336

3. *An liceat occidere peccatores?* 337
4. *An homini priuato liceat occidere tyrannum?* 339
5. *An liceat occidere filiam in adulterio deprehensam?* 341
6. *An liceat alterum occidere in vitæ suæ defensionem?* 344
7. *An liceat occidere furem in defensionem suarum facultatum.* 347
8. *An pro defensione pudicitiæ & honoris liceat inuasorem occidere?* 348
9. *An pro defensione alterius occidere inuasorem.* 349
10. *An aliquo casu liceat occidere innocentem v. g. si tyrannus persequeretur innocentem & minaretur urbi excidium nisi illum occidat?* 350
11. *An liceat seipsum occidere?* 352
12. *An homicidium casuale sit peccatum?* 356

## Quæstio LXV. de mutilatione.

Quæst. 1. *An pro salute corporis liceat se mutilare vel membrum abscindere?* 357
2. *An ob salutem animæ liceat se mutilare.* 358
3. *An ob comminationem mortis liceat se mutilare?* 359

## Quæstio LXVI. De furto & rapina.

Quæst. 1. *Quid sit furtum & rapina?* 359
2. *Quotuplex sit furtum?* 360
3. *Quale peccatum sit furtum?* 361
4. *An multa minuta furta faciant peccatum mortale?* 363
5. *An filius peccet mortaliter accipiendo & expendendo bona paterna.* 365
6. *An uxor peccet mortaliter accipiendo & expendendo bona mariti.* 367

## Quæstio LXVII. de iniustitia iudicis.

Quæst. 1. *An iudex possit condemnare reum secundum allegata & probata, quem tamen certo scit esse innocentem?* 370
2. *An idem sit dicendum de causis ciuilibus?* 375

3. *An possit iudex aliquem ex priuata scientia condemnare?* 376
4. *An iudex possit aliquem non citatum & auditum condemnare?* 378
5. *Quot modis iudex procedet iuridicè aduersus criminosos?* 379
6. *An quando iudex procedit via inquisitionis generalis debeat præcedere infamia personæ delicti.* 381
7. *An ad inquisitionem mixtam necesse sit infamiam præcedere.* 383
8. *An ad inquisitionem specialem necesse sit infamiam præcedere.* 384
9. *Quibus modis aperiatur via iudici sæculari ad inquisitionem?* 389
10 *Ex quibus indicijs possit iudex reum subijcere torturæ? ibid.*
11. *An iudex condemnans reum præter ordinem iuris teneatur ad restitutionem.* 395

## Quæstio LXVIII. De accusatore.

Quæst. 1. *Quid sit accusatio, & quas requirat solemnitates?* 395
2. *An accusationem debeat præcedere secreta monitio?* 397
3. *An accusator possit desistere ab accusatione incepta, & quas ob causas.* 398

## Quæstio LXIX. De reo.

Quæst. 1. *An reus à iudice non iuridicè interrogatus teneatur fateri veritatem?* 400
2. *An iuridicè interrogatus reus teneatur fateri veritatem.* 401
3. *An reus condemnatus secundum allegata & probata teneatur obtemperare?* 404
4. *An reus possit fugere ex carcere,* 405
5. *An possit carceres & vincula effringere, ibid.*

6. *An alij possint reo auxilium ferre ad fugam vel effractionem.* 407

Quæstio LXX. De testibus.

Quæst. 1. *Quot testes requirātur in causis criminalibus.* 408
2. *Quales esse debeant hi duo testes, vt legitimè probent.* 409
3. *An quis teneatur semper testari ad præceptum iudicis.* 410
4. *An testis teneatur ad restitutionem si nolit testari vel si veritatem occultet?* 411
5. *An testis teneatur restituere si falsum testatus sit?* 412

Quæstio LXXI. De aduocato.

Quæst. 1. *An aduocatus possit causam dubiam tueri?* 412
2. *Quando aduocatus teneatur ad restitutionem parti?* 414
3. *An aduocati teneantur pauperibus patrocinari gratis, ibid.*

Quæstio LXXII. De contumelia.

Quæstio LXXIII. De detractione.

Quæst. 1. *Quid sit detractio?* 415
2. *Quale peccatum sit detractio.* 416
3. *An Auditor detractoris peccet mortaliter?* 417
4. *An peccet mortaliter qui refert dicta sine assenerationē?* 418
5. *An sit peccatum mortale, infamare seipsum.* 419
6. *An eum qui vno loco est infamis propter crimen publicum, liceat alibi infamare?* 420
7. *An eum qui eo crimine est infamis, liceat de alijs infamare?* 421
8. *An licitum sit iniuriam ab alio sibi factam amico deferre?* 422

Quæstio LXXIV. De furtione.

Quæstio LXXV. De irrisione.

Quæstio LXXVI. De maledictione.

Quæstio LXXVII. De emptione & venditione.

Quæstio LXXVIII. De vsura.

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit vsura.* 423
2. *Quo iure prohibita sit vsura?* 425

3. *An ratione damni emergentis liceat aliquid supra sortem exigere?* 428
4. *An ratione lucri cessantis liceat aliquid supra sortem accipere.* 430
5. *An ratione periculi sortis, vel difficultatum, aut expensarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid vltra sortem exigere?* 432
6. *An ratione carentiæ pecuniæ seu obligationis non repetendi ante certum tempus possit aliquid exigi?* 433
7. *An in mutuo pœna conuentionalis locum habeat?* 435
8. *An dominium vsurarum transferatur in vsurarium.* 436
9. *Quænam possimus ab vsurarijs titulo oneroso vel gratuito accipere?* 438
10. *Vtrum hæredes vsurarij teneantur in solidum?* 441
11. *Quinam ex cooperantibus ad vsuras teneantur ad restitutionem? ibid.*
12. *Quænam sint pœnæ vsuriorum?* 442
13. *An montes pietatis excusentur ab vsura?* 443

## Quæstio LXXVIII. De censibus seu reditibus annuis.

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit census?* 445
2. *An liceat emere nouos census.* 447
3. *An liceat emere censum personalem?* 448
4. *An liceat emere censum perpetuum irredimibilem minori pretio quam sint pensiones operatæ?* 452
5. *An liceat emere censum temporalem minori pretio quàm sint omnes pensiones simul sumptæ?* 454
6. *An liceat emere censum vtrumque redimibilem?* 455
7. *Quæ conditiones iure positiuo requirantur in emptione censuum?* 458

## Quæstio LXXIX. De partibus iustitiæ integrantibus.

## Quæstio LXXX. De partibus iustitiæ potentialibus.

## Quæstio LXXXI. De religione.

Quæst. 1. *Quid sit religio.* 459

2. *Quid sit obiectum religionis.* 462
3. *An religio differat ab alijs virtutibus.* 465
4. *An religio differat ab obseruantia, qua colluntur sancti?* 468
5. *An Deo debeantur cultus diuersæ speciei ratione diuersorum beneficiorum?*
6. *An Deo debeantur cultus diuersæ speciei ratione diuersarum perfectionum seu attributorum?* 474

Quæstio LXXXII. De deuotione. 475
Quæstio LXXXIII. De oratione.

Quæst. 1. *Quid sit oratio?* 477
2. *An oratio sit necessaria ad salutem?* 478
3. *An oratio sit vtilis & efficax.* 480
4. *Quænam in oratione sint petenda?* 481
5. *Quisnam possit aut debeat orare?* 482
6. *Quinam sint orandi, an etiam sancti?* 484
7. *Pro quibus sit orandum?* 488
8. *Quomodo sit orandum?* 490
9. *An horæ canonicæ sint vtiles & retinendæ in Ecclesia.* 491
10. *An omnes clerici obligentur ad horas canonicas, ibid.*
11. *An omnes beneficiarij teneantur ad horas canonicas.* 494
12. *An omnes religiosi obligentur?* 497
13. *Quanta sit obligatio legendi horas.* 498
14. *Quomodo horæ sint recitandæ?* *ibid.*
15. *De alijs quibusdam circumstantijs.* 499

Quæstio LXXXIV. 501
Quæstio LXXXV. De sacrificio. 502

Quæst. 1. *Quid sit sacrificium proprie dictum.* 502
2. *Quotuplex sit sacrificium?* 506
3. *An hoc tempore liceat afferre agnum vel vitulum?* 508

Quæstio

Quæstio LXXXVI. De oblationibus & primitiis. 509
Quæstio LXXXVII. De decimis. ibid.

Quæst. 1. *An christiani teneantur soluere decimas & quo iure?* 509
2. *An ecclesia conuenienter constituerit hanc quotam.* 511
3. *Ex quibus rebus soluendæ sint decimæ?* 512
4. *Quomodo soluendæ sint decimæ?* 514
5. *Quibus soluendæ sint decimæ?* 515
6. *Quibus teneantur soluere decimas?* 516

Quæstio LXXXVIII. De voto.

Quæst. 1. *Quid sit votum?* 517
2. *An propositum aliquando habeat vim voti.* 518
3. *Quotuplex sit votum.* 519
4. *Quænam sit materia voti?* 521
5. *An bonum sit vouere ad colendum Deum?* 525
6. *An melius sit facere aliquid ex voto quam sine voto.* 527
7. *An votum vnius possit obligare alterum?* 528
8. *Quot modis possit quis solui aut liberari à voto.* 530
9. *Quorum vota possint irritari & à quibus?* 531
10. *Quinam possint commutare vota & quo pacto?* 537
11. *Quinam possint in votis dispensare?* 540
12. *An Papa possit dispensare in voto solemni?* 543

Quæstio LXXXIX. De iuramento.

Quæst. 1. *Quid sit iuramentum?* 547
2. *Quotuplex sit iuramentum?* 549
3. *An liceat iurare siue per Deum siue per creaturas?* 550
4. *An iuramentum promissorium libere factum semper obliget?* 552
5. *An iuramentum promissorium metu graui extortum obliget?* 553

6. *An iuramentum dolo vel errore extortum obliget?* 554
7. *An qui ficto animo aliquid promittit cum iuramento obligetur.* 555
8. *An si alio sensu quam alter intelligat, iures, obligeris?* 556
9. *An liceat deferre iuramentum ei, quem putas peiraturum?* 558
10. *Quibus modis tollatur obligatio iuramenti?* 559

Quæstio LXXXX. De adiuratione? 560
Quæstio LXXXXI. De Dei laudibus? 561
Quæstio LXXXXII. De superstitione. *ibid.*
Quæstio LXXXXIII. De illegitimo Dei cultu. 562
Quæstio LXXXXIV. De idololatria. 563
Quæstio LXXXXV. De diuinatione? *ibid.*
Quæstio LXXXXVI. De vana obseruatione. *ibid.*
Quæstio LXXXXVII. De tentatione Dei. 564
Quæstio LXXXXVIII. De periurio. 565
Quæstio LXXXXIX. De sacrilegio. *ibid.*
Quæstio C. De simonia.

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit simonia.* 567
2. *An omnis venditio rerum spiritualium pro temporalibus sit simonia iure diuino prohibita?* 568
3. *An permutatio rerum spiritualium inter se sit simonia iuris diuini?* 571
4. *An sit aliqua simonia iuris humani?* 572

## Particulares modi simoniæ.

5. *An in graui vel extrema necessitate liceat dare pretium pro sacramentis?* 574
6. *An liceat dare pretium pro functionibus spiritualibus, quibus labor aliquis coniunctus est.* 576
7. *An prælati possint aliquid exigere pro dispensatione v. g. votorum. iuramentorum, &c.* 578

8. *An episcopi vel eorum officiales possint aliquid exigere pro litteris ordinis suscepti, vel dimissorijs, vel sigillo?* 579
9. *An pro ingressu religionis aliquid dare vel accipere sit simonia?* ibid.
10. *An sit simonia resignare beneficium in fauorem tertij cum clausula: non aliter, nec aliàs?* 580
11. *An liceat resignare beneficium reseruata pensione.* 582
12. *An liceat resignare beneficium in confidentiam?* 584
13. *An liceat permutare beneficia compensatà fructuum inæqualitate?* ibid.
14. *An liceat redimere vexationem in beneficijs.* 586
15. *An liceat offerre pecuniam electoribus ne eligant indignum?* 588
16. *An liceat conferre beneficium pro munere vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio?* ibid.
17. *An sit simonia conferre beneficium propter timorem.* 589
18. *An pensio possit vendi aut redimi pecunia.* 590

## De pœnis simoniacorum?

19. *An omnis simonia inducat pœnas iuris?* 591
20. *Quas pœnas inducat simonia realis in ordinibus.* 592
21. *Quas pœnas inducat simonia realis in beneficijs?* 593
22. *Quas pœnas inducat simonia realis circa religionis ingressum?* ibid.
23. *Quas pœnas inducat simonia confidentiæ?* 594
24. *An simonia conuentionalis inducat pœnas iuris,* ibid.
25. *An omne id quod simoniacè acceptum est debeat restitui?* 595.
26. *Cui debeat fieri restitutio pretij & quando?* 596

FINIS.

# APPROBATIO.

HVnc tractatum R. P. MARTINI BECANI Societatis IESV Theologi, DE IVRE ET IVSTITIA inoffensis in omnibus fide catholica ac bonis moribus vtiliter reimprimi posse censui. Duaci 26. Octob. 1633.

MATHIAS NAVEVS *S. Theol. Doctor. Canonicus Seclinensis ad S. Petrum Duaci Parochus & lib. censor Episcopalis.*

PARISIIS,
Iuxta Exemplum excussum Duaci.
1633.

# TRACTATVS DE IVRE ET IVSTITIA.

POST Theologicas Virtutes agendum de Cardinalibus, quarum præcipua est Iustitia, de qua disputat Scholast. in 3. distinct. 36. Canonistæ in decreto distinct. 1. Iuristæ in ff. de Iustitia & Iure d. 12. hic quæst. 57. & seq. & alij, quos suo loco citabimus. Sumitur autem Iustitia tripliciter. *Primò*, largè, vt quædam virtus generalis, quæ omnes complectitur, & est idem quod sanctitas; Quo pacto Viri sancti in scriptura appellantur iusti: & mutatio illa, qua quis ex statu peccati transfertur in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, dicitur iustificatio. *Secundò*, sumitur strictè, vt est virtus quædam particularis, distincta à reliquis omnibus, cuius officium est, vnicuique dare quod ipsi debetur, & æqualitatem in omni contractu constituere. Hoc modo non agimus hic de iustitia.

## CAPVT I.

### *De Iure.*

ANTEQVAM aggrediar qq. Diui Thomæ, præmittendæ sunt aliquot disputationes de Iure, dominio, vsufructu, possessione, & de similibus, quæ necessaria sunt ad intelligendam materiam de iustitia.

## QVÆST. I. *Quid sit Ius?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nomen iuris æquiuocum est, & sumitur. *Primo*, pro regula seu norma operis iusti, cuiusmodi regula est lex, præceptum, & sententia iudicis. Hæc enim est veluti priuata quędam lex: Et hoc modo iudex dicitur dictare Ius, & præesse Iuri dicendo. *Secundo*, pro sententia iuris, quo pacto sumitur à Celso Iureconsl. teste Vlpiano, l. 1. ff. de Iure & Iustitia; cum ait, *Ius est ars boni & æqui*. *Tertio*, pro potestate & actione, quam quis habet in rem aliquam; quo pacto dicimus aliquem vti suo iure. *Quarto*, pro iusto & æquo: Hæ duæ postremę acceptiones ad nostrum institutum pertinent.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Ius in quarta acceptione, quatenus est idem quod iustum, potest tripliciter accipi. *Primo*, generalissimè pro omni eo, quod est legi consentaneum, quod ab Aristotele vocatur iustum legitimum; & reipsa idem est quod honestum, quo pacto omne opus virtutis dicitur iustum. *Secundo*, minus generaliter pro omni eo, quod alteri ex quacunque honestate, seu æquitate, est debitum: dupliciter autem potest aliquid alteri esse debitum. *Primo*, debito legali quod & vocatur debitum iustitiæ. *Secundo*, debito morali seu honestatis, vt docet Diuus Thomas *quæst.* 80. *& quæstion.* 106. *articul.* 4. *ad* 1. Debitum legale seu Iustitiæ est, ad quod alter verum Ius & actionem moralem habet, & ideo ratione illius Iuris alius obligatur lege Iustitiæ ad illud reddendum. Debitum morale est, quod non fundatur in tali Iure seu actione, sed solum in honestate morali, & debita rectitudine virtutis, quam quisque seruare tenetur in suis actionibus, quæ sunt ad alterum. Quisque enim erga alterũ tenetur operari secundum legem virtutis, & dictamen rectæ rationis, quamuis alter verum Ius ad hoc non habeat: verbi gratia, teneor morali debito eleemosynam dare pauperi, &

tamen pauper non habet Ius & actionem ad hoc, vt illi dem. Idem habet locum in gratitudine & veritate. *Tertio*, accipitur Ius & iustum strictè pro iusto legali tantùm, quod ita debitum est, vt alter habeat verum Ius & actionem ad illud exigendum, & hoc modo est obiectum iustitiæ, de qua disputamus.

QVÆST. II. *Quid sit Ius illud, quod significat præceptũ.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ius in tertia acceptione est *potestas, seu facultas legitima ad rem aliquam obtinẽdã, siue ad vsum rei, vel ad aliquã functionẽ, aut negationẽ functionis, cuius violatio sine iusta ratione facta iniuriam constituit. Primò*, dicitur *potestas legitima*, id est, lege concessa, siue legi cõsentanea: nã potestas, quæ secundum legẽ non competit, nõ est Ius, sed potius iniquitas. Lex autem secundum quam Ius competit, vel est naturalis, vel positiua. Lege naturali habemus Ius ad vsum mẽbrorum, ad vitam sustentandam, ad vim propulsandam; lege positiua ad hæreditatis successionem, ad præscribendum, ad vsucapiendum certo tempore rem alienam. Sunt enim tot genera Iurium quot genera legum, quæ Ius tribuunt. Quamuis hæc diuersitas non faciat diuersitatem in Iustitiæ habitu. Nam Iustitia æquè inclinat ad reddendum debitum, siue id oriatur ex lege naturali, siue ex positiua. *Secundò*, dicitur *potestas ad functionem, aut negationem functionis*, quia non solum Ius habeo, vt aliquid agam, aut vt proximus aliquid agat, v. g. vt mihi seruiat, sed etiam vt non agat, v. g. vt me non impediat, & non lædat. *Tertiò*, dicitur *potestas, cuius violatio constituit iniuriam*, quia huic Iuri, de quo agimus, opponitur iniuria, quæ nihil aliud est, quam peccatum, quo quis alterius Ius violat, quod est peccatum iniustitiæ. Porrò vt hæc violatio constituat iniuriam debet fieri sine legitima causa. Nam si fiat ex legitima causa non erit iniuria, v. g. Petrus habet Ius ad repetendum gladium, quem apud me deposuit,

si contraueniam huic Iuri, sine legitima causa, facio ei iniuriam, si autem sit legitima causa, vt si interueniat furor, seu amentia, non facio ei iniuriam. Hinc sequitur ius esse quasi mensuram iniuriæ. Nam quantum illi sine legitima causa contrauenitur, tantum fit iniuriæ.

Sed duo notanda sunt. Primum, hæc duo non pugnare, aliquem habere Ius ad aliquid, & pati iniuriam; imo hoc posterius non potest esse sine priori. Nemo enim potest pati iniuriã, nisi habeat ius ad aliquid. Nã iniuria in eo consistit, quod sine legitima causa contraueniatur iuri, quod quis habet. Secundum, non semper eum, qui exequitur id, ad quod Ius habet, exercere actũ iustitiæ; tametsi is, qui sine legitima causa violat ius alterius, semper exerceat actum iniustitiæ, v. g. qui vescitur cibo suo, aut qui vestitur se veste sua, exercet actũ, ad quem ius habet; & ideo dicitur vti suo iure: non tamen exercet actum iustitiæ, quia omnis actus iustitiæ est ad alterum, qui autem sine legitima causa impediret hoc ius, quod alter habet, actum iniustitiæ exerceret.

2. Secvnda Conclvsio. Hæc potestas nihil est aliud, quã habitudo quædam personæ ad rem, in quam ius habere dicitur, & aliquando habet se per modum potentiæ actiuæ, vt ius ad aliquid agendum, vel percipiendum: aliquando per modum passiuæ, vt Ius creditoris, vt sibi debitum soluatur; & Ius dominorum, vt sibi seruiatur à famulis; & Ius subditorum, vt debitè gubernentur à Principe. Aliquando per modum potentiæ resistendi, vt Ius, quod quis habet, ne alius ædificet in tali loco, aut ne fenestram aperiat.

3. Qværes. An hoc Ius sumptum pro potestate sit aliquid reale? Respondeo. Nec est ens reale, nec rationis, sed aliquid morale, quod secũdum cõmunem æstimationem hominum sufficit ad varios effectus licitè efficiendos, & aliquando oritur ex deputatione, & volũtate hominum; aliquando ex beneficio naturæ. Siue vt

suprà dictum est, aliquando ex lege naturali, aliquando ex lege positiua.

4. DICES. Si est tantum aliquid morale, quomodo ab eo possunt procedere effectus, & actiones reales? Respondeo. Actiones reales, quæ tribuũtur huic potestati, seu Iuri non pendent ab ipso iure effectiuè, quasi Ius, seu potestas moralis sit effectiuum principium actionum moralium; sed solum habent ab Iure, vt licitè sine iniuria exerceantur. Vbi Nota, Tria spectari posse in eo, qui habet Ius seu potestatem moralem. *Primum* est capacitas aliqua realis, à qua actiones reales procedunt. *Alterum* Ius ipsum quod supponit hanc capacitatem, & à quo habent actiones, vt legitimè fiant. *Tertium* est respectus rationis, qui in hoc Iure fundatur. v. g. in Doctore, qui habet Ius publicè docendi & interpretandi, est *primò* cognitio quædam & scientia earum rerum, quas docendas suscipit, & ab hac cognitione & scientiâ procedunt reales actiones docendi & interpretandi. *Secundo* est ipsum Ius docendi & interpretandi, ratione cuius dicitur licitè docere & interpretari. *Tertio* sunt varij respectus, qui fundantur in hoc iure. Nam hoc Ius duo potissimùm respicit, nempe iustum seu debitum legale, quod est obiectum iustitiæ, & obligationem iustitiæ in eo qui debet. Vnde & debitum seu iustum legale à duobus respicitur tanquam correlatiuis, nempe ab obligatione, quæ est in debente; & à iure, quod est in eo, cui debetur; à iustitia verò respicitur tanquam eius obiectum.

## QVÆST. III. *De iure naturali & positiuo.*

1. PRIMA CONCESSIO. Diuisio Iuris *in naturale & positiuum* potest conuenire iuri 1. 3. & 4. acceptione, nempe vt Ius sumitur siue pro lege, siue pro potestate, siue pro iusto seu debito. Potest ergo his tribus modis explicari. *Primo* lex alia est naturalis, alia positiua. *Secundo*, potestas alia conceditur lege naturali,

alia positiua. *Tertio*, Iustum seu debitum aliud est legè naturali debitum, aliud positiuâ.

2. Secvnda Conclvsio. Aliter Iuristæ, aliter Theologi hanc diuisionem explicant. Iuristæ diuidunt Ius in *naturale, gentium, & ciuile*, vt haberur *libro* 1. *& seq. ff. de iustitia & iure, & instit. de iure naturali, gentium, & ciuili. Ius naturale* vocant, quod est commune hominibus ac brutis, vt coniunctio maris & fœminæ, liberorum procreatio, ac educatio. *Ius gentium*, quod est proprium hominibus, & illis omnibus, aut ferè omnibus commune, vt religio erga Deum, obsequium erga patriam & parentes, bella, captiuitates & seruitutes, emptio & venditio, & similes contractus. *Ius ciuile*, quod est proprium alicui Reipublicæ aut ciuitati. Vbi nota *Ius ciuile* apud Iuristas duobus modis vsurpari. *Primo*, propriè & strictè pro eo, quod est proprium cuique ciuitati & regno. Et sic distinguitur à iure naturali, & gentium, vt ex dictis patet. *Secundo*, pro toto illo Iure, quo vnumquodque regnum, aut ciuitas regitur, & sic complectitur & Ius gentium, & naturale. Nam vnumquodque regnum, non solum regitur iure sibi proprio, sed etiam iure gentium & naturali. Hoc sensu Vlpian. libr. 1. ff. de iustitia & iure, dicit: *Ius priuatum esse collectum ex præceptis naturalibus, gentium, & ciuilibus*. Et Aristoteles 5. *Ethi.* 7. diuidit Ius ciuile, hoc modo sumptum, in Ius naturale, & legitimum, id est, positiuum.

3. Tertia Conclvsio. Theologi diuidunt Ius in *naturale & positiuum*, deinde positiuum in *diuinum & humanum*: denique humanum in *Ius gentium, ciuile, & canonicum. Ius naturale* vocant, quod est consentaneum naturæ rationali, nec in brutis, sed in hominibus locum habet. *Ius gentium* quod communi gentium consensu introductum est. Cætera facilia sunt. Vnde patet aliqua esse de iure gentium apud Iuristas, quæ apud

Theologos sunt de iure naturali, vt est religio erga Deum, obsequium erga patriam, & quæcunque in Decalogo præcepta aut prohibita sunt quoad substātiam. Nec tamen reipsa dissentiunt Iuristæ & Theologi, sed tantùm in modo loquendi.

QVÆTS. IV. *De Iure simpliciter, & secundum quid: Item de paterno, dominatiuo, & œconomico.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ius seu iustum, diuiditur in iustum simpliciter, & secundum quid. Alij vocant æquale. & inæquale. Vt aliquid sit iustum simpliciter, tria requiruntur. *Primum*, vt sit ad alterum. *Secundum*, vt interueniat ratio debiti. *Tertium*, vt constituatur æqualitas. Hinc sequitur illud esse Ius secundum quid, cui aliqua ex his conditionibus deest. Vide D. Thom. *quæst.* 57. *artic.* 4. *& quæst.* 80. *& Arist.* 5. *Ethic.* 6.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Inter patrem & filium, dominum & seruum, virum & vxorem, quatenus tales sunt, non est iustum simpliciter, quod Aristoteles & D. Thom. appellant iustum ciuile, seu politicum, quale est inter ciues: sed inter patrem & filium est iustum paternum: Inter dominum & seruum est iustum herile, seu dominatiuum: Inter virum & vxorem est iustū œconomicum Ita D. Thom. & Arist. *loco citato*. Ratio est, quia, vt aliquid sit iustum simpliciter, requiruntur tres conditiones enarratæ. At prima conditio deest in proposito, quia iustū de quo agimus, non est simpliciter ad alterum. Nam filius non est omninò alter à patre, cū sit pars eius ab eo decisa: nec seruus est omnino alter à Domino, cum sit eius quasi instrumentum, ac possessio: nec vxor est omnino altera à viro, cum sint quasi vna caro. In secunda conditione non est defectus. In tertia est defectus inter patrem & filium, quia filius non potest patri reddere æquiualens. Notat D. Thom. ex Aristotele

iuſtum œconomicum, quod eſt inter virum & vxorem, minus recedere à iuſto politico, quod eſt iuſtum ſimpliciter, quam Ius parentum & dominatiuum. Ratio, quia vxor magis diſtinguitur à viro, quam filius à patre, ſeruus à domino. Nam vir & vxor ſunt duæ partes vnius communitatis domeſticæ, vt docet Ariſtoteles. 1. *Polit.* 3. ſicut ciues ſunt partes vnius ciuitatis. At dominus & ſeruus non ſunt duæ partes, ſed alter eſt inſtrumentum alterius; ſimiliter pater & filius non ſunt duæ partes, ſed alter ſe habet per modum partis, alter per modum totius.

3. QVÆRES. Quomodo intelligendum ſit inter patrem & filium non eſſe iuſtum ſimpliciter? Nam duobus modis id intelligi poteſt. *Primò*, non eſſe iuſtum propriè dictum. *Secundò*, eſſe quidem iuſtum propriè dictum; non tamen perfectè, ſed imperfectè iuſtum. Reſpondeo. Debet intelligi primo modo. Ratio eſt, quia iuſtum propriè dictum eſt obiectum iuſtitiæ propriè dictæ; ſed inter patrem & filium, quâ tales, non eſt Iuſtitia propriè dicta: ergo nec iuſtum propriè dictum. Minor patet, quia virtus, quâ filius vt filius, reddit ius ſuum patri, eſt virtus pietatis, quę à iuſtitia diſtinguitur, & ei annexa eſt, vt docet Diuus Thomas *quæſtione octuageſima & centeſima prima*. Et quidem pietas, partim deficit à Iuſtitia, partim ſuperat. Deficit in eo, quod non ſit perfectè ad alterum, nec poſſit reddere ęquiualens: Superat verò, quia debitũ quod ex pietate debetur, eſt multò pręſtantius & perfectius in ratione debiti, quam quod ex iuſtitia debetur, vt docet Domin. Soto *libro tertio de iuſtitia, quæſtione 1. articulo quarto*, Caiet. *hic qu. 57. art. 4. & Valent. qu. 1. p. 2.*

4. DICES *primò*. Amicitia non minus debet eſſe ad alterũ, quam Iuſtitia vt docet Ariſtot. 8. Eth. cap. 8. ſed inter Patrẽ & Filiũ eſt propriè amicitia, vt docet idem Ariſtot. 8. *Eth. cap.* 14. Ergo & inter illos eſt propriè

Iustitia. *Secundò*, potest inter eos propriè iniuria & iustitia esse, vt si filius interficiat parentem: ergo & propriè Iustitia. *Tertiò*, inter Christum & Deum Patrem, fuit propriè Iustitia, quia ex Iustitia satisfecit pro humano genere Patri: & tamen Christus ratione naturæ diuinæ est aliquid patris. *Quartò*, quia inter Deum & quemlibet hominem iustum potest intercedere vera iustitia, quia homo iustus ex Iustitia potest mereri vitam æternam: & tamen homo iustus est aliquid Dei, cum sit eius filius per adoptionem, & seruus per creationem. Solutio pendet ex seq. concl.

5. TERTIA CONCLVSIO. Inter Patrem & Filium, si non spectentur vt tales sunt, sed aliquo alio modo, potest esse iustum simpliciter, & vera Iustitia. Ita Dom. Soto *lib. 3. de iust. q. 1. art. 4.* Molina *tract. 1. de iust. disp. 7. & Aragon.* hîc *q. 57. art. 4.* quamuis contrariũ sentiant Caiet. *q. 57. art. 4.* & Valentia *quæst. 1. p. 2.* Nota filium tribus modis spectari posse. *Primò*, quatenus est pars quædam per naturalem generationem à Patre decisa. *Secundò*, quatenus non est sui iuris, quoad bona temporalia, sed sub Iure & potestate Patris. *Tertiò*, quatenus est sui Iuris, & egressus è potestate paterna, siue per emãcipationẽ, siue alio modo, vt fit in peculio castrẽsi, vel quasi castrensi, etiam ante emancipationem. Hoc tertio est omnino alter à Patre, non autem primo & secundo modo. Si ergo filius spectetur primo modo, non potest inter illum & Patrem esse Iustitia propriè dicta, tum quia non est omnino alter à Patre, nec potest illi reddere æquiualens, vt supra dictum: tum etiam, quia licet ea ratione debeat Patri obsequiũ & reuerentiam, & hoc debitum sit valde præstans, quod arctissimè obligat; tamen non est debitum legale seu iustitiæ, sed debitum morale seu honestatis. Ratio patet ex prima quæstione, quia Pater non habet Ius & actionem moralem ad exigendum illud debitum. Si spectetur se-

cundo modo non potest etiam inter illum & Patrem esse iustitia propriè dicta, quia licet in persona sit alter à Patre; non tamen in iure. Nam in filio nullum est ius quod non sit sub potestate Patris, aut quod possit Patrē ex iustitia obligare. Si tertio modo spectetur, potest esse iustitia inter illū & Patrem, quia cum sit sui iuris, nec amplius sub paterna potestate, non minus est alter à Patre, quam quiuis alius, qui est sui iuris: potest ergo cum Patre inire contractus ciuiles, sicut cū aliis hominibus. Hinc facilè soluuntur argumenta contraria. Ad *primum* Respondeo, Sicut inter Patrem & Filiū emancipatū potest esse amicitia, ita & iustitia. De filio nondū emancipato est alia ratio, quia ille nō habet propriū Ius; Iustitia autem debet esse ad alterum, qui habet Ius, quod non requiritur in amicitia. Ad *secundum* Respōd. Eo sensu quo inter Patrem & Filiū potest esse iniuria, potest etiam esse iustitia: ac *primo* si filius peccet contra Patrem in iis, quæ debet illi præstare ex pietate, non erit iniustitia, sed impietas. *Secundo*, Si ante emancipationem peccet contra illum in bonis temporalibus, nō erit iniustitia, sed quasi quædā prodigalitas. Nam bona Patris censentur esse bona filij, ac proinde non sunt aliena: *Tertio*, si post emancipationem peccet in iisdem bonis, erit vera iniustitia, quia iam filius est sui iuris, & habet bona propria distincta à bonis paternis. Denique si interficit Patrem, antequam emancipetur, erit impius & parricida, si post emancipationem, etiam iniustus. Ad *Tertium & Quartum* Respond. Valentia *loco citato*. Inter Deum Patrem & Christum hominem, & similiter inter Deum & quemlibet iustum, non esse propriè talem Iniustitiam, qualis est inter ciues, sed esse Iustitiam quandam alterius ordinis, quæ specie distincta sit à Iustitia politica. Sed quidquid sit de hac re, difficultas in eo solum est. An inter Deū Patrem, & Christū hominem, sit sufficiens distinctio, vt Christus possit di-

cialter à Patre; & consequenter, An inter illos possit esse Iustitia. Respondeo, Affirmatiuè, tum quia humana Christi natura sufficienter distinguitur à diuina natura Patris: tum etiam, quia vbicunque sunt distincta dominia & iura, ibi potest intercedere Iustitia. Christus autem habuit proprium dominium actuum voluntatis humanæ, distinctum à dominio voluntatis diuinæ. Idem est de Deo, & quolibet iusto.

QVÆST. V. *De Iure in re, & ad rem.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ius in re, *est ius circa rem aliquam, ad quos res ipsa deuincta est.* Ius ad rem, *est Ius circa rem aliquam, ad quos res ipsa nondum est deuincta.* Ita Molina *tract. 2. de iust. disp. 2.* Alij autem hoc modo: *Ius* in re est, *quod quis habet in re iam sua, & obtenta:* Ius ad rem, *quod quis habet, vt res aliqua fiat ipsius.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Vt aliquis acquirat Ius in re, tria requiruntur. *Primo*, Existentia rei. *Secundo*, Titulus, qualis est, v. g. emptio vel donatio, vel aliquis similis. *Tertio*, Traditio: Si vnum ex his desit, non est Ius in re. Est communis sententia, quam sequitur *loco citato* Molina, & colligitur ex L. *traditionibus C. de pactis*, quæ sic habet: *Traditionibus & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Hinc sequitur. *Primo*, Ecclesiasticos non habere Ius in re circa fructus suorum beneficiorum, quos sequenti anno percepturi sunt, quia illi fructus nondum existunt, habent tamen Ius ad rem. *Secundo*, Fures & vsurarios non habere Ius in re circa pecunias furto, vel vsura acquisitas. Quia licet illæ pecuniæ iam existant, & etiam obtineantur à furibus & vsurariis, tamen deest legitimus titulus, *Tertio*, Emptorem non habere Ius in re circa equum, pro quo pretium persoluit, quandiu equus non est illi traditus, habet tamen Ius ad rē. Vnde si Venditor eundem equū alteri vendat, & simul tradat, hic secundus emptor acquiret Ius in re, nec tenebitur equum tradere priori

emptori. Ita habetur l. *Quoties C. de rei vendit.* Et ratio est, quia prior emptor non habet Ius in re, sed tantum Ius ad rem, & posterior acquisiuit sibi Ius in re: ergo non res vendita, sed vēditor ipse est obligatus priori emptori: ac proinde priori emptori non conceditur actio realis in rem, quę iam alterius effecta est, sed actio personalis in venditorem, qui tenetur cum ipso componere.

3. Tertia Conclvsio. Vt aliquis acquirat Ius ad rem, non est necessaria existentia rei, nec traditio, sed legitimus titulus. Hoc patet in exemplis allatis. Nam Ecclesiastici habēt ius ad rem respectu omnium fructuum, quos sequenti anno percepturi sunt, etsi illi fructus non existant. Item emptor habet Ius ad rem respectu prædij quod emit, antequam traditio facta sit.

4. Qværes *primò*, Quid interfit inter eum, qui habet Ius in re, & eum, qui habet Ius ad rem, quoad forum iudiciale? Respondeo. Ei, qui habet Ius in re, conceditur actio realis respectu rei, quæ tali Iuri est deuincta ad cuiuscumque manus perueniat res illa. Ei verò, qui solum habet Ius ad rem, sola actio personalis conceditur.

5. Qværes *secundò*, Quale ius habet is, qui furto amisit suum equum, aut qui amisit possessionem sui prædij. Respondeo. Si ante amissum fuerit verus Dominus equi, & prædij, & consequenter habuerit Ius in re, tunc etiam post amissum vtriusque manet dominus, & seruat Ius in re. Hoc intellige respectu equi & prædij, non autem respectu possessionis vtriusque. Nam respectu possessionis habet tantum Ius ad rem. Ratio est, quia cum possessio nondum existat, non potest circa illā habere Ius in re, vt ex dictis patet. Quod autem habeat Ius in re circa equum & prædium; inde patet, quia ante amissum habebat Ius in re, & dominium; hoc

autem non amisit per furtum, aut elocationem.

6. QVARTA CONCLVSIO. Quando dicitur, aliud esse Ius in re, aliud Ius ad rem, nomine rei non tantum intelligimus res corporales, quę tangi possunt, vt equum, vestem, domũ, aurum, argentum: sed etiam incorporales, quæ solùm intellectu percipiuntur, cuiusmodi sunt Iura ad aliquid, vt v. g. Ius adeundi hæreditatem, Ius fruendi aut vtendi re alterius, Ius viæ per agrum alienum, Ius mittendi stillicidium alicuius domus super alienam domum, & similia. Hæc enim iurà computantur inter res incorporales, vt habetur instit. de rebus corporalibus & incorporalibus. Hinc sequitur, *sicut* incorporalibus aliquando solum acquirimus Ius ad rem, aliquando verò Ius in re: sic etiam fieri in ipsis Iuribus. Item sicut in corporalibus non acquiritur Ius in re, nisi facta traditione: sic etiam ordinariè fieri in incorporalibus. Vnde si Petrus, v. g. donet, aut vendat alicui vsumfructum, aut aliud Ius in prædio, cui Iuri seruitus in eo prædio respondeat, & ante traditionem illius Iuris venditi aut donati tradat idem prædium venditum alteri, nullo inter posito pacto, vt emptor teneatur permittere & concedere Ius, quod venditor illi alteri donauerat, aut vẽdiderat, sanè emptor, cui facta fuerit traditio prædij, ad nihil tenetur ei, cui prius fuerat venditum, aut donatum Ius illud eo quod comparauerit Ius ad rem. Secus autem esse, si præter titulum emptionis, aut donationis, interueniisset traditio illius Iuris; tunc enim primus emptor & donatarius comparasset Ius in re, antequam secunda venditio fieret. Et ideò prædium illud, ad cuiuscumque manus deueniisset, cum eo onere, & obligatione reali transiisset. Ita colligitur ex L. *si sub vna*, ff. *de verborum obligationibus*, cuius hæc sunt verba: *Si quis viam ad fundum suum dari stipulatus fuerit, postea fundum, partem ve eius ante constitutam seruitutem alienauerit, euanescit stipulatio.* Ex quibus verbis patet sti-

pulationem, aut titulum ad seruitutem non sufficere vt constituta censeatur, & acquisitum sit Ius in re, nisi traditio sit subsecuta. Vnde si fundus, in cuius vtilitatem seruitus fuerat promissa, vendatur, & tradatur alteri, Ius seruitutis illius, non transit in emptorem; nisi fortè vēditor Ius illud personale, quod ad illam seruitutem habebat, emptori cesserit, saltem per clausulam illam particularem, quam tabelliones in instrumentis publicis solent apponere, nempe quod cesserit omne Ius reale, vel personale competens sibi in tali re. Similiter si fundus, in quo talis seruitus fuerat promissa, vendatur, & tradatur alteri, obligatio possidendi eam non transit in eum. Ratio, quia ex sola promissione seu stipulatione nondum erat acquisitum Ius in re: neque actiuum ex parte fundi, in cuius vtilitatem seruitus erat promissa, neque passiuum ex parte alterius fūdi, in quo erat promissa, sed solùm erat obligatio personalis constituendi eam seruitutem inter eum qui eam promiserat, & illum cui eam promiserat; Ius autem & obligatio personalis non transit cum fundo. Item colligitur ex L. *pluribus*, ff. *eodem tit.* & ex L. *pro parte*. ff. *de seruitutibus*.

7. QVÆRES. An ad acquirendum Ius in re circa res incorporales semper præter titulum necessaria sit traditio? Respondeo. Ordinariè necessaria est, vt dixi, non tamen semper. Vt autem aliquid certi sciatur, præscribi hæc regula generalis potest. Quando ex dominio aut dispositione alicuius Iuris non constat Ius illud quod quis habet ante traditionem respectu alicuius rei esse Ius in re; censendum est esse tantum Ius ad rem: si autem vel ex dominio, vel ex dispositione alicuius legis constet, aliquem habere Ius in re ante traditionem, tūc non requiritur traditio. Hoc modo non requiritur ad acquirendum ius in re in beneficio Ecclesiastico, sed sufficit collatio & acceptatio. Nam sicut per collationem acquiritur Ius ad rem, ita per acceptationē acqui-

ritur Ius in re, ante omnem traditionem. Ita habetur C. *si tibi absenti, De præbendis* in 6. Ad possessionem tamen beneficij necessaria est traditio, & quasi apprehensio eius, interuentu alicuius actus, v.g. per sessionem in Cathedra Episcopali accipitur possessio Episcopatus, & per alios similes actus accipitur possessio aliorum beneficiorum. Item quando res aliquæ incorporales transeũt in aliquem iure hæreditario vt Ius patronatus, aut seruitutes aliquæ, statim hæres, adita hæreditate, acquirit circa illa Ius in re. Item quando in singulari legatur res aliqua incorporalis alicui, vt seruitus, aut fũdus cui seruitus debetur: statim ac hæres adit hæreditatem acquirit legatarius Ius in re; imo iuris fictione, eo quod hęres adit hæreditatem, censetur legatarius comparasse. Ius in re circa ea, quæ ipsi legata sunt. Ita colligitur ex l. *si partem*, §. *si per fundum* ff. *quemadmodum seruitutes amittantur*. Plura citabo *cap. fq quæst. 3*. Item quando res aliqua in pignus traditur, aut hypothecæ subiicitur, siue pactione inter debitorem & creditorem, siue iuris dispositione subiiciatur, creditor acquirit Ius in re, vt inde sibi debitum soluatur, quando aliundè non fuerit, vnde soluatur. Vnde ad quemcumque res illa transit, cum illo onere reali ac obligatione trãsit. Ita colligitur ex l. *Quid de creditore*. Et ex l. *eorum* ff. *de damno infecto*. Vbi dicitur, creditorem habere Ius in re, & sermo est de creditore, cui pignus aut hypotheca constituta est. Et ratio est, quia contractus pignoris, aut hypothecæ, ad nihil aliud inuentus & institutus fuit, nisi ad concedendum Ius in re, in pignore & hypotheca, ad securitatem debiti. Interest autem inter pignus & hypothecã, quod nomine pignoris intelligatur res quæ simul traditur creditori, maximè si mobilis sit. Nomine autem hypothecæ intelligatur res, quæ sine traditione, nuda conuentione tenetur. Instit. *de actionib.* §. *Item seruianã*. Aliquando tamen pignus latè sumitur, vt etiam

hypothecam complectatur, L. 1. ff. *de pignoratitia actione*, quæ sic habet: *Pignus contrahitur non solum traditione, sed etiam nuda conuentione, etsi non traditum est.*

## CAPVT II.

### *De dominio.*

PRIMO agendum est de natura dominij. *Secundò*, de subiecto, id est, quis sit capax dominij. *Tertiò*, de obiecto, id est, quæ res cadant sub dominium. *Quartò*, de diuisione rerum & dominiorum. *Quintò*, de translatione.

### QVÆST. I. *Quid sit dominium.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Dominium est *Ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Ita Bartholus in l. *si quis vt.* §. *differentia* num. 4. ff. *de acquirenda possessione*, quem alij passim sequuntur. Ac *primò*, dicitur Ius, quia Ius est genus dominij *secundò*, dicitur *Ius perfectè disponendi de re*, id est, omni modo, & propria authoritate vtendi re sua: hoc enim proprium est perfecti dominij vt possis re tua vti, seu abuti sine cuiusquam iniuria, eo modo quo libuerit, v. g. eam vendendo, donando, abiiciendo, destruendo. Hinc excluduntur omnia iura, quæ vel omnino non sunt dominiũ, vel non sunt integrum & perfectum dominium, quod solum hîc definitur. *Tertiò*, dicitur *Ius disponendi de re corporali*, quam particulam addit Bartholus, quia putat rerum incorporalium, id est, Iurium non esse propriè Dominium, sed quasi Dominium: Neque possessionem, sed quasi possessionem; ac proinde censum, Ius patronatus, beneficia Ecclesiastica, & similia iura, non possideri vero dominio. Sed de hoc alibi. *Quartò*, dicitur *nisi lege prohibeatur*, quia licet dominium naturâ suâ tale sit, vt tribuat potestatem ad quemcumque vsum, tamen aliquando potestas illa ligatur lege, ne possit in actum prodire. Sic pupillus prohibetur rem suam alienare vsque ad certum tempus, cum tamen sit verus

Dominus

Dominus Galat. 4. 1. Sic Maioratus, & alia bona vinculata, non possunt alienari ex dispositione legis, cum tamen vero dominio possideantur.

2. DICES. Videtur implicare, vt quis habeat Ius perfectè disponendi de re sua, & tamen propter legis prohibitionem non liceat illi disponere. Respondeo. Aliud est Ius disponendi, aliud actus disponendi. Ius manet integrum, solus actus prohibetur. Quia cessante lege prohibente non confertur nouum Ius, & tamen cessante tali lege constat esse Ius perfectè disponendi: ergo illud Ius non fuit ablatum per legem.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Dominium minus latè patet, quam Ius in re, omne enim dominiũ est Ius in re, non tamen omne Ius in re est Dominium. Nam v. g. coniuges habent Ius in re, alter in corpus alterius; non tamen Dominium. Similiter vsufructuarius in agrum, vsurarius in commodatum, depositarius in depositum.

QVÆST. II. *Quotuplex sit dominium?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Dominium *aliud est Iurisdictionis, aliud proprietatis.* Prius consistit in iure gubernandi subditos, & est duplex, nempe Ecclesiasticum, & seculare. De hoc non agimus, nec supradicta definitio illi conuenit.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Dominium proprietatis, de quo solo agimus, diuiditur in *Plenum* & *Non plenum*. *Plenum* est, quando quis potest perfectè disponere de re aliqua iuxta definitionem assignatam. *Non plenum* est, quando non potest perfectè disponere, sed vna pars iuris pertinet ad vnum, & alia ad alium, vt v. g. quando ad vnum pertinet proprietas, & ad alium vsusfructus. Hoc dominium subdiuiditur à Bartholo in *directum* & *vtile*. *Directum* vocat, quando quis habet proprietatem sine vsufructu, *Vtile*, quãdo habet vsumfructum sine proprietate, id est, ius vtendi & fruendi re aliena, salua ipsius substantia, quale est in nudo

vsufructuario, in Emphyteuta & feudatario. Bartholum sequuntur alij communiter.

3. DICES. Nudus vsufructuarius non est Dominus rei, sed solus proprietarius; ergo dominium non rectè diuiditur in directum & vtile. Antecedens patet ex l. 1. ff. *si ager vectigalis*, quæ lex apertè negat vsufructuarium esse Dominum, & 2. colligitur ex l. 1. ff. *de vsufructu & instit. eodem tit.* quia vsusfructus est ius vtendi & fruendi re aliena. At rei alienæ non potest quis esse Dominus. Respondeo. Iura non eodem modo loquuntur de hac re. Nam sicut lex citata negat vsufructuarium esse Dominum: ita aliæ affirmant, præsertim, Lex *possessores C. de fundis patrimonialibus*, quæ Emphyteutam appellat Dominum fundi, cum tamen non sit Dominus proprietatis, sed tantum vsusfructus. Et hac lege nititur Bartholus. Sunt tamen, qui conantur leges conciliare. Sed quicquid sit, diuisio illa dominij non pleni in directum & vtile communiter recepta est. Si tamen rigidè loquendum esset, dominium vtile non est tam propriè dominium, quàm dominium proprietatis.

QVÆST. III. *Quid requiratur ad Dominium?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ad comparandum dominium alicuius rei, præter titulum requiritur ordinariè traditio, seu apprehensio, vt suprà dictum etiam de iure in re. Ita habetur l. *traditionibus, C. de pactis & inst. de rerum diuisione.* Vide Couarr. *lib. 2. variar. resol. cap. 19. num. 1.* vbi citat alia iura.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Sunt tamen aliqui casus in quibus non requiritur traditio, seu apprehensio. *Primus* est, quãdo Ciuitatibus, Ecclesijs, Monasteriis, Hospitalibus & aliis locis piis, vel etiam in redemptionem captiuorum hæreditas aliqua, legatum, aut fideicommissum est relictum, vel donationis titulo aliquid eis datum, aut etiam venditum: tunc enim statim absque vlla traditione transit in eius dominium. Ita habetur

L. *vt inter diuinum C. de SS. Ecclesiis.* Vnde si idem venditur & tradatur secundo emptori, inualida est talis emptio. *Secundus* est in hærede, siue ex testamento, siue ab intestato succedat in bonis defuncti. Nam statim ac hæreditatem adit, acquirit dominium sine vlla traditione, & apprehensione, vt patet ex L. *cum hæredes*, ff. *de acquirenda possessione*, quæ sic habet. Cum hæredes instituti sumus, adita hæreditate, omnia quidem iura ad nos transeunt: possessio autem, nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet. Ex quibus verbis constat ad solam possessionem hæreditatis comparandam, non autem ad dominiũ, requiri traditionem, vel apprehẽsionem. Idem patet ff. *de acquirenda hæreditate per totum.* Et est communis sententia apud Couarr. de testam. *Heunutius* §. 20. *num.* 6. Notandum tamen est de iure quidem communi hæredem non acquirere possessionem hæreditatis, nisi prius illam apprehendat, vt ex dictis patet, tamen in quibusdam locis Galliæ, & Italiæ, peculiari lege statutum est, vt possessio bonorũ defuncti transeat ad hæredẽ, vnà cum dominio, sine vlla apprehensione, eo ipso, quod hæreditatem adit, vt patet apud Couarr. *lib.* 3. *var. resol. cap.* 5. *nu.* 6. Porro hæreditas tũc adiri dicitur, cam hæres eum acceptat, & profitetur se velle esse hæredẽ, vt habetur *instit. de hæred. qualitate.* §. *vlt.* Medio autem tempore, nempe à morte defuncti, vsque ad hæreditatis additionem, hæreditas iacere dicitur, quia scilicet caret Domino. Nam prior Dominus est mortuus, & alter non nisi adita hæreditate fit Dominus. *Tertius* est, quando aliquid determinatum in singulari, vt v. g. talis fundus, aut talis seruus, aut aliquid simile legatur alteri: tunc enim legatarius acquirit dominium illius, sine vlla traditione, eo ipso quod hæres adit hæreditatem, etsi legatarius ignoret aditam esse hęreditatem, & sibi relictum tale legatum. Imo iuris fictione eo ipso, quod hęres hæreditatem adit,

censetur dominium rei legatæ transisse in legatarium à puncto mortis testatoris. Ita colligitur L. *A Titio* ff. *de furtis*; & est communis sententia apud Couarr. de testam. C. *Reinaldus* §. 1. *num.* 1. Quando verò legatur aliquid alicui, certum quidem in quantitate, sed incertum in individuo, vt v. g. tres mensuræ vini, aut tritici, aut certa summa pecuniæ, licet adita hæreditate nõ acquirat dominium illius, eo quod incertum sit; conceditur tamen illi actio hypothecaria, vt habetur L. 1. C. *communia de legatis*, & est cõmunis sententia apud Antonium Gomerium *tit.* 1. Nauarr. *resol. c.* 19. *nu.* 8. Concedi verò actionem hypothecariam nihil aliud est, quàm bona defuncti ad quemcumque perueniant, manere obligata ad solutionem talis legati; ita scilicet vt legatario detur non solum actio personalis cõtra hæredem; sed etiam in defunctum hæredis detur illi realis actio in bona à defuncto relicta, vt qui illa possident, vel legatum soluãt, vel ea tradant, vt ex iis soluatur legatum. Hæc eadem actio hypothecaria competit etiam, quando legatum est aliquid determinatum in singulari, vt v. g. hic fundus, aut hæc domus. Inseruiet verò, quando res legata fuerit consumpta culpâ hæredis, aut delata in loca longinqua, ita, vt pereat legatario; tunc enim proderit hypothecaria actio, vt legatarius tutiùs petat & obtineat legati valorem, quando res ipsa legata tradi ei non potest. *Quartus* est, quando quis donauit alteri rem aliquam ea lege seu conditione, vt donatarius alimenta illi tribuat: tunc enim non seruata tali conditione statim dominium rei donatæ regreditur ad donãtem, absque alia traditione, vt habetur L. 1 c. *de donationibus quæ sub titulo*. *Quintus* est, quando quis donauit aliquid alteri ea lege, vt finito certo tempore res illa deueniat ad aliquem tertium; tunc enim transacto illo tempore trãsit dominium in illum tertium, etsi ille absens sit, & nihil sciat de tali donatione. Ita sentit Decius, & qui-

dem alij apud Couarr. L. 1. *var. resol. cap.* 14. *num.* 2. & colligitur ex L. *Quoties. C. de donationibus quæ sub modo*; Alij tamen non admittunt hunc casum, vt Couarr. *loco cit.* Anton. Gomer. ad L. 48. *Tauri, numero* 25. & Molina *tract.* 2. *de iustitia, disp.* 265.

3. QVÆRES. An sicut lege constitui potest, vt solo titulo, sine vlla traditione dominium transferatur: sic etiam princeps, cuius est legem condere, eo ipso, quod absque traditione, solo titulo, velit dominium suarum rerum in alium transferre, reuera illud in ipsum transferat. Multi affirmant apud Couarr. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 19. *num.* 3. quia inquiunt præsumendum est eam esse principis voluntatem. Contrarium docet Couarr. *lib. cit.* scilicet in contractibus non transferri dominium nisi constet de voluntate principis. Nam potius præsumendum est, principem velle contrahere, vt alij contrahunt, præsertim, cum id in eius commodum vergat. Secus est de donationibus & priuilegiis, in quibus præsumendum est eam principis esse voluntatem.

QVÆST. IV. *De titulo & traditione seu apprehensione.*

1. QVia ad dominium acquirendum requiritur titulus, & traditio, breuiter explicandum est, quid vtrumque sit.

2. PRIMA CONCLVSIO. Titulus iuris, ac dominij, nihil aliud est, quàm radix & origo, vnde dominium, aut Ius quoduis oritur, vt v. g. Emptio, donatio, successio sunt tituli, quibus acquiritur dominium rei emptæ, donatæ, hæreditatis. Similiter, electio, propagatio, victoria sunt tituli, quibus dominium iurisdictionis acquiritur in aliquo regno, & collatio est titulus in beneficio Ecclesiastico.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Titulus aliquando est verus, aliquando præsumptus. Verus est, quando est vera radix & origo dominij ac iuris. Præsumptus, quando præsumitur vera causa & radix, & tamen non est,

vt v. g. quando quis bona fide emit rem aliquam, aut dono accipit ab eo, cuius res illa non est, credens illum esse legitimum Dominum, aut saltem procuratorem legitimi Domini: talis enim emptio, vel donatio, licet non sit vera & sufficiens causa ad transferendum dominium; præsumitur tamen talis esse, quando bona fides adest. Vnde, qui hoc modo possidet rem aliquam, bona fide dicitur illam possidere cum titulo non quidem vero, sed præsumpto. Hæc doctrina seruit pro materia de præscriptione, de qua infrà.

4. TERTIA CONCLVSIO. Apprehensio, quæ præter titulum requiritur, est duplex: Naturalis seu vera, qua res manibus apprehenditur, seu pedibus premitur; Moralis seu ficta, quando fit aliquid, quod pro rei qualitate censetur sufficiens ad apprehensionem. Vnde res aliqua dicitur verè apprehendi, quando accipitur manibus, si sit mobilis, aut intratur pedibus, si fit immobilis. Fictè dicitur apprehendi, quando interuenit aliquis alius actus, qui ex iuris dispositione sufficiens sit ad acquirẽdum dominium, aut ius in rem: eo enim actu iuris fictione censetur res apprehensa. Porrò, qui sint illi actus in particulari, quibus res fictè apprehenditur, dicam paulo pòst in materia de possessione.

## QVÆST. V. *De vsufructu & proprietate.*

1. EX dictis constat, duas esse partes integri & perfecti dominij, nempe proprietatem, & vsumfructum. De vtraque dicendum est.

2. PRIMA CONCLVSIO. Proprietas, per quam res dicitur propria esse alicuius, nihil aliud est, quam ius in re, per quod res obligatur alicui, vt sine ipsius voluntate non possit fieri alterius, & ad ipsum pertineant omnia emolumenta rei, quæ ipse alteri non communicauerit.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Vsufructus aliquando est coniunctus cum proprietate in eodem homine, ali-

quando est separatus: ita, vt proprietas sit in vno, & vsusfructus in alio. Hinc Iureconsulti distinguunt duplicem vsumfructum. Alterum vocant causalem, qui scilicet in eodem homine causatur à proprietate. Nam ex eo, quod quis habet proprietatem rei, consequenter habet vsumfructum, nisi alteri eum communicet. Alterum vocant formalem, qui scilicet est separatus à proprietate. De hoc solo agimus.

4 TERTIA CONCLVSIO. Vsusfructus *est ius vtendi & fruendi rebus alienis, salua ipsarum substantia.* Ita habetur libr. 1. ff. *de vsufructu*, & Instit. *eodem titulo in principio.* Ac *primo* dicitur *Ius*, quia non loquimur de vsu actuali, quem Iureconsulti vocant vsum facti, sed de ipso iure vtendi & fruendi. *Secundo*, dicitur *Ius vtendi*, vt excludatur ius, quod habet detentor pignoris, vel depositi. *Tertio*, dicitur *Ius fruendi*, vt excludatur nudum ius vtendi, quod non extendit se ad fructus, sicut hoc ius, quo non solum datur potestas vtendi re illa, in qua cõstitutum est, v.g. domo, vel agro, sed etiam percipiendi omnes fructus agri, ita vt, hoc ipso, quo illos percipit, habeat in iis plenum Dominium. Si tamen vsufructuarius moriatur antequam perceperit fructus, etiam si maturi sint, acquiruntur Domino proprietatis, non hæredibus fructuarij, vt habetur Instit. *de rerum diuisione* §. *Is verò*. Et ratio est, quia fructus, antequam percipiuntur, sunt adhuc vniti, & colligati cum re ipsa. Nomine autem fructuum in pecoribus, & aliis animalibus, intelliguntur non solum lana & lac, sed etiam omnes fœtus & partus, vt habetur instit. *de rerum diuisione* §. *In pecudum*. *Quarto* dicitur *rebus alienis*, vt excludatur ius vtendi, fruendi rebus propriis, de quo hic non agimus. Nam, vt supra dixi, sermo est de vsufructu formali, qui separatus est à proprietate. *Quinto* dicitur, *salua eorum substantia*: quia fructuarius debet rem integram proprietario reseruare. Vnde fit,

vt vsusfructus non possit propriè in iis constitui rebus, quæ vno vsu consumuntur, vt in vino, frumento, pecunia. Quomodo tamen in his impropriè constituatur, dicam in sequenti conclusione. Ex hac vltima particula sequitur *primò*, vt qui habet vsumfructum totius gregis, etiamsi possit frui lacte, lana, fœtu, tamen in locum capitum demortuorum, vel inutilium, debeat de fœtu substituere alia, quæ postquam substituit, cedunt in dominium proprietarij, &, si pereant, ipsi pereunt. *Hoc tamen* non habet locum, quando conceditur vsusfructus gregis non totius, collectiuè, sed singulorum capitum: tunc enim non tenetur substituere, vt habetur instit. *de rerum diuisione* §. *citato*, & l. *vetus* ff. *de vsufructu*. Ratio est, quia grex est quasi æternus, sed singula capita seorsum pereunt. *Secundo* sequitur, si vsusfructus sit constitutus in sylua, aut vinea, tenetur vsufructuarius loco arborum, & vitium demortuarum alias plantare, nisi tempestate destructæ sint. Ita habetur l. *arbores* ff. *de vsufructu*, & instit. *de rerum diuisione* §. *cit.* 3. Sequitur si in ædibus sit constitutus vsusfructus, tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, vt integræ permaneant. Et præter hæc tenetur ad alia tria. *Primò* ad tributa rei imposita l. *vsufructu relicto*. ff. *de vsufructu*. *Secundò*, ad rationabilem rei vsum, sicut bonus & diligens paterfamilias. *Tertio* ad dandam cautionem proprietario, se boni viri arbitrio vsurum, fruiturum re ipsius, eamque restituturum finito tempore præscripto. Ita habetur l. 1. ff. *vsufructuarius quemadmodum caueat*.

5. Quarta Conclvsio. Vsusfructus propriè constituitur in iis tantum rebus, quæ vno vsu non consumuntur, vt sunt vinum, oleum, triticum, pecunia, vt habetur Instit. *de vsufructu* §. *constituitur* & ff. *de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur per totum*. Dixi *propriè*, quia vt ibidem habetur, statutum est, vt etiam in

his rebus esset vsusfructus impropriè, idque hoc modo, si quis v. g. legaret alicui vsumfructum omnium suorum bonorum, tunc bona, quæ vsu consumuntur debent certo pretio æstimari, & legatario tradi, præstita cautione, quod transacto tempore vsusfructus reddet illorum æstimationem. Hinc colligitur differentia inter vsumfructum propriũ, & improprium. Nam in improprio dominium rerum, quarũ habetur vsusfructus, transit in vsufructuarium; ac proinde, si pereant, ipsi pereunt: finito autem tempore non tenetur eas reddere, sed earum æstimationem. At in proprio vsufructu dominium rerum non transit in vsufructuarium, ac proinde si pereant sine ipsius culpa, non ipsi pereunt, sed proprietario.

6. QVÆRES inter quas res debeant computari vestimenta, quando in iis constituitur vsusfructus? Resp. Inter res vsu consumptibiles, quia licet vno vsu non consumantur, tamen valdè minuuntur, & teruntur. Ita habetur Instit. *de vsufructu.* §. *constituitur*, & l. 1. ff. *de vsufructu rerum, quæ vsu consumuntur.*

QVÆST. VI. *Quot modis constituatur vsusfructus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vsusfructus constituitur duobus modis, nempe lege, & priuata hominis dispositione. Hinc Iureconsulti distinguunt duplicem vsumfructum: Alterum vocant *legalem*, quia lege constituitur; Alterum *conuentionalem*, quia conuentione, id est, pacto constituitur, licet etiam aliis modis constitui possit, vt dicam in tertia conclusione.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Legalis est, *qui lege patri conceditur in bonis filij aduentitiis, non autem in castrensibus, aut quasi castrensibus*, vt habetur *l. Quæcunque & l. cum oportet C. de bonis, quæ liberis.* Sunt tamen aliqui casus in quibus pater non habet vsumfructum in bonis filij aduentitiis. *Primus* est, quando filio aliquid donatur, aut testamento relinquitur ea cõditione, vt pater vsumfru-

ctum inde non habeat: tunc enim vsusfructus pertinet ad filium. Ita habetur in authentica, *excipitur*, C. *de bonis quæ liberis*. *Secundus*, est quando pater relinquit filio vsumfructum bonorum aduentitiorum, & habetur l. *cum oportet*, citata. *Tertius*, quando quis donat, aut relinquit aliquid filio patre renuente, nec volente, vt id filius accipiat, si enim contra patris voluntatem id obtineat, vsusfructus non pertinet ad patrem. *l. vltima* c. *de bonis quæ liberis*. *Quartus* est, quando filio datus, aut relictus est vsusfructus alicuius rei: tunc enim non pertinet ad patrem, sed ad solum filium. Ratio est, quia vsusfructus est quædam seruitus, & seruitutis non est seruitus, vt habetur l. 1. ff. *de vsufructu legato*. *Quintus* est, quando aliquid à rege, vel regina, vel principe donatur filio, aut filiæ: hoc enim reputatur, ac si esset bonum castrense, & ideò vsusfructus illius non pertinet ad patrem, sed ad filium l. *cum multa* C. *eodem tit.*

3. TERTIA CONCLVSIO. Vsusfructus conuentionalis aliquando constituitur donatione, venditione, permutatione aut alio contractu, vt habetur Inst. *de vsufructu* §. *vsusfructus*, & ff. *ac* C. *eodem tit.* variis in locis. Aliquãdo constituitur vltima voluntate, vt quando testator legat alicui vsumfructum alicuius rei: tunc enim proprietas pertinet ad hæredem, vsusfructus verò ad legatariũ: quãdo verò testator legat alicui proprietatem deducto vsufructu, tunc vsusfructus pertinet ad hæredem, & proprietas ad legatarium. Quod si vni leget proprietatem, alteri verò vsumfructum, iam sunt duo legata, & ad vnum legatarium pertinet proprietas, quam transmittere potest ad hęredes: ad alterum verò vsusfructus, qui finito tempore debet redire ad proprietarium.

4. DICES Non videtur vsusfructus vendi posse, quia id prohibetur in l. *si vsusfructus* ff. *de iure dotium*. Resp Non potest vendi ab vsufructuario sine cõsensu proprietarij; potest tamen vẽdi & ab ipso proprietario,

& ab vſufructuario cum illius conſenſu.

5. QVARTA CONCLVSIO. Differunt vſusfructus legalis, & conuentionalis. *Primo*, quia pater nõ tenetur ſatiſdare, quando eſt vſufructuarius in bonis filij aduentitiis. Qui autem habet vſumfructum conuentionalem tenetur cautionem præſtare, vt præcedenti q. dictum eſt, nec poteſt eximi ab hac obligatione. Nam l. 1. c. *de vſufructu* ſtatutũ eſt, ſi vxor leget marito vſumfructum ſuorum bonorum, & eum expreſsè eximat ab obligatione ſatiſdandi, teneri nihilominus ſatiſdare, & l. penultima. c. *vt in poſſeſſionem*, id in vniuerſum ſtatuitur de omni vſufructu, teſtamento relicto, quare teſtator non poteſt legatario, cui vſumfructum relinquit, remittere eiuſmodi cautionem.

6. DICES. Quid ſi vſufructuarius non poſſet ſatiſdare, eò quòd pauper ſit, & ideò fideiuſſorem non inueniat. Reſp. Tunc ſufficit iuratoria cautio, præſertim ſi non ſit perſona ſuſpecta; ſi autem eſt ſuſpecta, tunc bona, in quibus conſtitutus eſt vſusfructus debent alteri tradi, de cuius manu vſumfructum ſumat. Ita Bartholus l. *vſusfructus. de vſufructu*. Panormit. c. vltimo *de pignoribus* num. 6. Et alij apud Antonium Gomez *tom. 2. variar. reſol. c. 15. num. 3.* Secundo differunt, quia pater, qui eſt vſufructuarius in bonis filij aduentitijs tenetur ad maiores ſumptus ex ipſis fructibus, ſi ad refectionem, & conſeruationem bonorum, quibus vtitur neceſſaria ſint, imò etiam tenetur ad ſumptus litis, ſi quæ circa ea bona oriatur, vt colligitur ex l. 1. c. *de bonis maternis*.

Quæſtio 7. *Quot modis finiatur vſusfructus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vſusfructus formalis finitur ex potiſſimum modis. *Primo*, quando vſufructuarius vel cedit vſumfructum proprietario, vel ipſe acquirit proprietatem, & hoc vocatur conſolidatio. Ita habetur inſtit. *de vſufructu* §. *finitur. Secundo*, quãdo

elapsum est tempus, quo concessus est vsusfructus. *Tertio*, quando vsufructuarius eo non vtitur, tempore ad præscribendam proprietatem rei immobilis necessario, iuxta ea, quæ infra dicemus de præscriptione. Ita habetur l. *corruptione* c. *de vsufructu*. *Quarto*, quando destruitur res, in qua habetur vsusfructus, etsi ædes incendio consumantur, aut corruant: tunc enim ita finitur vsusfructus, vt neq; areæ vsusfructus maneat. Ita habetur *Inst.* §. *cit.* Id tamen non habet locum in vsufructu patris in bonis filij aduentitijs. Nam id, quod destructa re aliqua filij remanet, pertinet etiam ad bona ipsius aduentitia, ergo etiam in ea pater habet vsumfructum. *Quinto*, quando vsufructuarius naturali morte moritur. Ita habetur Instit. §. *cit.* l. *corrupt.* c. *de vsufructu*. Nam si vsusfructus ad hæredes transiret inutilis esset proprietas. Vnde si ita constituatur, vt ad hæredes fructuarij transeat, id intelligi debet de hæredibus proximis, non vero remotis, vt definitum est in l. *Antiquitas*. c. *de vsufructu*. Quod si vsusfructus aliquis relinquatur ciuitati, communitati, Ecclesiæ, aut alicui pio loco sine temporis præfinitione, censetur ei relinqui per spatium centum annorum, quia ille est finis vitæ longæui hominis, vt habetur l. *An vsusfructus*, ff. *de vsufructu*. 6. finitur maxima & media capitis diminutione vsufructuarij, vt habetur Instit. *de vsufructu* §. *Finitur*, & l. *corruptionem* c. *eodem tit.* Nota diminutionem capitis in iure esse triplicem: nempe, Maximam, cum quis scilicet & libertatem, & ciuitatem amittit: Mediam, cum amittitur ciuitas, sed libertas retinetur. Minimam, cum ciuitas retinetur & libertas, sed status hominis commutatur. Vide instit. *de capitis diminutione*.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Sunt alij duo casus, in quibus quæri potest. An finiatur vsusfructus, & si finitur, ad quem perueniat. *Primus* est, quando fructuarij

bona confiscantur propter aliquod delictum, *Secundus*, quãdo fructuarius fit religiosus & emittit professionẽ. Ad *primum* Resp. cum distinctione. Nam si delictum, propter quod bona fructuarij cõfiscata sunt, tale est vt de iure cõmuni finiri debeat vsusfructus, iuxta sextum casũ præcedentis conclusionis, tunc regreditur ad proprietariũ. Si nõ est tale, tũc perceptio vsusfructus pertinet ad fiscũ, vsq; ad mortẽ delinquẽtis, & post mortem redit ad proprietariũ. Ita apertè colligitur ex l. *si postulauerit*. §. *iubet* ff. *ad legẽ Iuliã de adulteris*. In *secũdo casu* etiam distinguẽdũ est. Nam vsusfructus vel est legalis qualis est in patre circa boni filij aduentitia, vel est conuentionalis, qualis est in alijs fructuarijs. Ac *primò* si sit conuentionalis; tũc, si fructuarius fiat religiosus, seruat vsumfructum vsque ad mortem, & monasterium percipit fructus iuxta authenticam, *Ingressi*. C. *de sacrosanctis Ecclesijs*. Excipio Monasteria, quæ in bonis suorum religiosorum non succedunt, vt est nostra Societas, & Religio Minorum. Nam in illis perseuerat vsusfructus in religioso vsque ad professionem, & emissa professione extinguitur, & redit ad proprietarium. Hæc est communior sententia Si autem vsusfructus sit legalis, tunc, si pater fiat religiosus, Quæstio est: An retineat vsumfructum in bonis filij aduentitijs. Tres sunt opiniones. *Prima* est vsumfructum finiri, & redire ad filium, cum pater edit professionem. Ita Couarr. *de testamen. capite secundo, numero octauo*. *Secunda* est, dimidium vsusfructus pertinere ad filium, & dimidium ad Monasterium in fauorem patris, sicut fieri solet in emancipatione filij: tunc enim pater retinet dimidium vsusfructus in bonis filij aduentitijs, quasi in remunerationem beneficij collati, vt patet l. *cum oportet* §. *Cum autem* C. *de bonis quæ liberis*. Ita Bartholus in authentica. *Idem est* C. *de bonis quæ liberis*. Panor. c. in *præsentia de probationib.* numero quinquagesimo septimo. *Tertia* est, totũ v[illegible]er-

fructum pertinere ad Monasterium, quandiu pater vixit. Ita Nauar. c. *Non dicatis* numero 70. & 87. Hoc tamen debet intelligi, nisi filius per matrimonium egrediatur patriam potestatem. Deinde de solis bonis aduentitijs quæ filius ante professionem patris habebat.

Quæstio 8. *De Vsu & habitatione.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vsus est *ius vtendi rebus alienis salua earum substantia, non autem fruendi*: in quo differt ab vsufructu. Definitio patet ex dictis. Addo *salua rerum substantia*, vt excludatur vsus quo res vno actu consumuntur, vel alienantur; qui non est propriè vsus, de quo hic agimus. Porrò ijsdem modis constituitur & finitur vsus, quibus vsusfructus, vt habetur Instit. *de vsu & habitatione.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. In vsu parum est iuris, ac *primò* qui habet ius vtendi alieno fundo, potest quidem in eo ambulare, & commorari, ita tamen, vt Domino fundi molestus non sit, nec impediat eos per quos opera rustica exercentur. Potest etiam accipere poma, olera, flores, fœnum, & ligna ad vsum quotidianum: non tamen potest donare, aut quicquam horum alteri vendere, nec locare, aut concedere alteri ius ad fructus percipiendos, quod tamen potest vsufructuarius. *Secundo*, qui habet vsum domus, potest cum sua familia in ea habitare, & hospites recipere, non potest tamen ius suum in alium transferre. *Tertio*, qui habet serui aut iumenti vsum, potest ipse solus vti ministerio illorum, non tamen id alteri concedere. *Quarto*, qui habet vsum pecorum, non potest vti lana, nec fœtu, nec lacte, nisi forte modico, vt habetur l. *plenum ff. de vsu & habitatione*, sed solum ijs potest vti ad stercorandum suos agros, non verò alienos. Hæc omnia habentur *Instit.* & ff. *de vsu & habitatione.*

3. TERTIA CONCLVSIO. Habitatio est aliquid medium inter vsum & vsumfructū domus, & ab vtroque

distinguitur. Ac *Primo*, in eo distinguitur ab vsu, quod vsuarius cui vsus domus concessus est, non possit eam locare, & acquirere sibi pretium locationis, quod tamen potest is, cui habitatio concessa est. *Secundò*, distinguitur ab vsufructu, quia vsusfructus variis modis finitur, vt dictũ est: Habitatio verò solum finitur morte eius, cui concessa est, vt habetur l. *Habit.* & l. *cum antiquitas* C. *de vsufructu & habitatione*, & l. *si habitatio*, ff. *de vsu & habitatione*.

QVÆST. IX. *An vsus distinguatur à dominio in rebus vsu consumptibilibus?*

1. EGi de vsu propriè dicto, qui constituitur in rebus permanẽtibus, de quo dubiũ non est, quin distinguatur à dominio, vt patet ex ipsius definitione. Est enim ius vtẽdi rebus alienis. Nunc quæritur de vsu improprie dicto, qui est in rebus vsu cõsumptibilibus: An scilicet ius vtendi talibus rebus distinguatur à dominio earũdem rerũ. Sunt duæ sententiæ celebres occasione Minoritarũ, qui dicunt se nullius rei habere dominiũ, ne quidem in cõmuni. *Prima* est Ioãnis XXII. Pontificis in extrauag. *Ad conditorẽ*, vbi asserit tale ius nõ distingui à dominio, ac proinde Minoritas habere verũ dominiũ vsu consumptibiliũ, & ne dicant, vt ipsi dicũt, illud esse apud sedem apostolicã, Ioãnes expresse à se, & à sede apostolica abdicat. Hanc sententiã sequuntur Antonius *pa. 4. tit. 12. articul. 4. §. 4.* Syluester verbo, *Dominiũ.* Turrecremata l. 3. *summæ* c. 112. *Secunda sententia* est planè contraria, nempe in his rebus hæc duo distingui, ac proinde Minoritas, licet habeant vsum earum rerum, non tamen habere dominium: sed hoc esse penes sedem apostolicam. Ita declarauit Nicolaus III. in extrauag. *Exiit qui seminat*, & postea Clemens V. in Clementina. *Exiui de paradiso.* Ante Nicolaum in eadem sententia fuerunt Innocentius IV. Alexander IV. & Gregorius IX. quos Nicolaus pro se citat. Idem docet

Dom. Soto. *l. 4. de iustitia, quæst. 1. art. 1.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Ius, seu facultas vtendi potest esse separata à dominio, etiã in rebus vsu consumptibilibus. Dupliciter enim potest alicui concedi vsus talium rerum. *Primo*, vt detur illi potestas & ius consumendi eas absolutè & irreuocabiliter, & hoc ius nõ differt à dominio. *Secundo*, vt detur ei reuocabiliter, & dependéter à voluntate cõcedentis, vt quouis modo possit reuocari sine vlla iniuria vsuarij, & hoc ius sine dubio distinguitur à dominio, vt patet ex definitione dominij, quia non est ius perfectè disponendi, cũ omnino pẽdeat ex nutu & arbitrio alterius. Et tale est, quod singuli religiosi habẽt in vestes, libros, cibos, qui illis à Superiore conceduntur. Non enim ita conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum Superioris reuocari possit; hoc enim intrinsecè includit religiosa paupertas. Deinde fieri etiam potest, vt quis alteri det ius absolutè, non tamen ad omnem vsum, sed solum ad determinatum v.g. ad consumendum, non autem ad vendendum. Quod ius, licet aliquam affinitatem habeat cum dominio, est tamen valdè diminutum & imperfectum, quia non est ius disponendi de re quouis modo.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Minoritæ etiam in rebus vsu consumptibilibus habent nudum vsum, separatum ab omni dominio. Patet ex decreto Nicolai & Clementis. Et ratio est, quia cum hæc possint separari, nihil mirum, si de facto in aliquo ordine sint separata. Confirmatur, quia certum est Religiosos singulos solum habere talem vsum qui reuocari possit & ab alio depẽdeat; ergo nihil est incommodum, si idipsum in aliqua communitate constituatur, ita, vt ipsa tota nihil habeat, nisi nudam rei concessionem ad vsum, sine vlla proprietate & dominio.

4. DICES *primò*, Si ipsa cõmunitas non habet harum rerum dominium, quis ergo habet; præsertim, cum

Ioannes

Ioannes XXII. renuntiauerit illi dominio. Resp. Fideles, qui res illas largiuntur, vel intendunt sibi seruare dominium, donec consumantur, vel non intendunt: Si primum, manet apud ipsos dominium, si secundũ, transit ad sedem apostolicam, vel potius Ecclesiam. Nam post illam renuntiationem Ioannis XXII. alij Pontifices rursus illud admiserunt, vt habetur in priuilegio Minoritarum.

5. DICES *secundò*, vsus formalis, seu separatus à dominio est, qui competit alicui in rem alienã saluâ substantiâ, vt ex dictis patet, ergo vsus quo quis potest rem consumere, non est separatus à dominio, ac proinde Minoritę habent dominiũ. Resp. Nego consequentiã, quia obiectio procedit de vsu propriè dicto, de quo supra egimus. Hic autẽ quęstio est de vsu impropriè dicto.

6. DICES *tertio*, D. Thomas *infra quæst. 78. art. 1.* docet in rebus vsu consumptibilibus cum vsus conceditur, concedi etiam rem ipsam, & dominium eius. Vnde colligit talium rerum non posse exigi vsuram, id est, pretium vsus distinctum à pretio rei: ergo sentit ius vtendi his rebus non distingui à dominio. Resp. D. Thomas loquitur de Iure vtendi absolutè, & independenter ab alio, qui sanè non distinguitur à dominio rei.

7. DICES *quarto*, si ita est: ergo Ioãnes XXII. errauit. Resp. Ioãnes locutus est de vsu independẽte, qui non differt à dominio: alij vero de vsu dependente, quare conueniunt in re, & solum differunt in facto: An Minoritæ habeant vsum dependentem, an independentem.

## QVÆST. X. *De Emphyteusi.*

1. EMphyteusis, Feudum, libellus, & superficiarius contractus habent affinitatem cum vsufructu, & ideò explicanda sunt.

2. PRIMA CONCLVSIO. Emphyteusis *est contractus, quo res aliqua immobilis alicui fi mẽda traditur sub certa pẽsione.* Traditur vero aliquando in perpetuũ, aliquando

ad aliquas vitas, aliquando ad certum tempus, quod non minus sit quam decennium; si enim decennium non attingat, non censetur Emphyteusis, sed contractus locationis. Porrò is, qui tradit rem aliquam in Emphyteusim, vocatur *proprietarius*; qui accipit, *Emphyteuta*; res quæ traditur, *Emphyteutica*.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Emphyteuta differt à communi vsufructuario. *Primo*, quia potest vendere, donare, aut alio modo transferre ius suum in aliud, quod communis vsufructuarius non potest. *Secundo*, vsusfructus finitur morte vsufructuarij: Emphyteusis non item, nisi in vitam Emphyteutę concessa sit. *Tertio*, vsusfructus communis constitui potest in rebus etiam mobilibus, Emphyteusis in solis immobilibus.

## QVÆST. XI. *De Feudo.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Feudum *est concessio alicuius rei immobilis, aut quæ pro immobili habeatur, quoad dominium vtile, pro fidelitate & seruitio personali exhibendo, retenta proprietate*, vt quãdo Imperator concedit Nobili castrum, aut oppidum. Is, qui concedit vocatur *Infeudator, Dominus, & Proprietarius*. Is verò, cui conceditur *Vasallus & Feudatarius*.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Feudum differt ab Emphyteusi. *Primo*, quia in Emphyteusi imponitur onus reale, vt v. g. annua pensio, siue in pecunia, siue in aliqua alia re. At in Feudo imponitur onus personale; vtrumque tamen imponitur in recognitionem dominij directi. *Secundo*, Feudum ad solos descendentes masculos, non verò ad fœminas censetur deuenire, nisi in cõcessione fuerit aliud expressum. *Tertio*, in Feudo interuenit inuestitura, quæ duplex est; vna propria realis & corporalis, vt quando Dominus feudatarium inducit in corporalem possessionem castri, aut oppidi, quod illi in feudum concedit: Altera abusiua, vt cum feudatarium inuestit per traditio-

nem annuli, ensis, pilei, aut alterius rei: In priori feudatarius acquirit ius in re, & vtile dominium illius; in posteriori solum accipit facultatem adeundi possessionem, & acquirendi ius in re. Vide Iul. Clarum l. 4. *sententiarum* §. *feudum*, quæst. 26.

3. NOTA Hæc intelligi de Feudo propriè dicto, & vt plurimum. Nam aliquando fit, vt etiam in Feudo imponatur onus reale, vt annua pensio aurium, equorum, aut alterius rei: Aliquando etiam Feudatarius liberatur ab obsequio personali.

Quæstio 12. *De libello, & superficiario contractu.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Libellus, seu contractus libellarius est, *quo Emphyteuta aut vasallus pro pensione sibi soluenda concedit alteri rem, quam ipse ab alio habet in Emphyteusim aut Feudum.* Ita Iul. Clarus l. 4. §. *Emphyteusis.* q. 1. Aluarus Valastus *de iure Emphyteut. p.* 1. *q* 35. & alij apud eosdem. Vnde fit, vt libellus nihil aliud sit, quàm Emphyteusis aut feudum alteri Emphyteusi aut feudo subalternatum. Is, qui à Domino directo accipit emphyteusim aut feudum, dicitur Emphyteuta, aut Feudatarius. Is vero, qui ab ijs accipit eandem rem pro pensione, appellatur peculiari nomine Libellarius. Nota, hæc vocabula aliquando confundi, & vnum sumi in significatione alterius. Hæc tamen acceptio, quam posui, vsitatior est.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Superficiarius is dicitur, qui in alieno solo non quidem habet solum ipsum, sed tantum superficiem, aut aream ad domũ construẽdam, oliuetum plantandum, aut aliquid simile. Potest autem superficies concedi multis modis. *Primo*, liberali donatione in perpetuum. *Secundo*, gratuita donatione ad certum tempus. *Tertio*, venditione in perpetuum. *Quarto*, elocatione ad certum tempus. *Quinto*, annua pensione, siue in perpetuum, siue ad certum tempus.

Quæstio 13. *De seruitute.*

1. EX dictis constat Vsumfructum, Vsum, Habitationem & similia in eo consistere, vt quis capiat vsum, aut fructum ex re aliena. Hinc fit, vt res aliena dicatur seruire illi, qui vsum aut fructum ex ea capit. De hac seruitute hic agimus.

2. PRIMA CONCLVSIO. Seruitus *est quædam subiectio seu obligatio, qua res aliena alteri subiecta est, & seruire debet.* Dico *res aliena*, quia nemini res sua seruit, sed aliena tantum, vt habetur l. *vti frui.* ff. *si vsusfructus petatur.* Vnde subiectio rei, in qua habeo dominium, non est seruitus formalis, quamuis causalis dici possit.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc seruitus est duplex: *Realis & Personalis. Realis* est, quæ à re debetur rei. *Personalis*, quæ à re debetur personæ: v.g. alienus fundus, vel seruit personæ meæ, si inde habeam vsumfructum: vel fundo meo, si per illum fit transitus in meum. Rursum realis diuiditur in *Rusticam* & *Vrbanam*, id est, in eam quæ prædio rustico, aut vrbano debetur. Prædium vrbanum in iure vocatur omne ædificium, siue sit in vrbe, siue in villa: Rusticum quoduis aliud prædium, siue hortus. Seruitutes igitur vrbanæ sunt, vt v. g. Petrus non erigat altiùs suas ædes, ne officiat vicini luminibus: vt patiatur tignum immitti in suum parietem à vicino, vt recipiat stillicidium alterius in suam aream. Rusticæ sunt, vt liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel iumentum agere, vel aquæ ductum facere. Vide Instit. *de seruitutibus prædiorum*, & l. 8. ff. *qui votus est de seruitute.*

4. TERTIA CONCLVSIO. Personalis seruitus est potissimum triplex, quarum prima respondet vsufructui. Secunda nudo vsui. Tertia habitationi, verbi gratia, alienum prædium potest mihi seruire, vel quoad vsumfructum, vel quoad nudũ vsum, vel quoad

habitationem. Ad hanc triplicem reuocantur omnes aliæ, quæ sũt in emphiteusi, feudo, libello, & superficie.

5. QVARTA CONCLVSIO. Seruitus iterum diuiditur in *Continuam*, *Quasi Continuam* & *Discontinuam*, quæ diuisio prodest pro materia de præscriptione. *Continua* est, cuius actus continuè durat, vt seruitus aquæductus, aut tigni suscipiendi. *Quasi continua* est, cuius actus non quidem continuè, sed tamen certis temporibus semper fit, vt seruitus stillicidij. *Discontinua* est, cuius actus pendet ex voluntate hominis, vt iter, actus, via, aquæhaustus.

Quæst 14. *Quomodo seruitutes constituantur & finiantur.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Seruitutes personales constituuntur & finiuntur ijsdem modis, quibus vsusfructus, vsus, habitatio, Emphyteusis, Feudum, libellus, & superficies, iuxta ea, quæ dicta sunt. Ratio est, quia hoc ipso, quod aliquis acquirit vsumfructum in re aliena, incipit illi seruire res aliena, & quando cessat vsusfructus, cessat etiam seruitus. Idem est de vsu, habitatione.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Seruitutes reales constituuntur variis modis, nempe lege, testamento, donatione, pactionibus & præscriptione. Finiuntur autem potissimum quatuor modis. *Primò*, finito tempore, pro quo lege, pacto, donatione aut testamento fuerint constitutæ. *Secundò*, remissione seruitutis. *Tertiò*, præscriptione. *Quartò*, si emas aut acquiras aliquod prædium, quod ante emptionem habebat seruitutem realem respectu alterius prædij tui; tunc enim in illo prædio desinit esse seruitus, vt expressè habetur l. 1. ff. *quemadmodum seruitus amittatur* & l. *si quis* ff. *De seruitutibus prædiorum vrbanorum*. Et ratio patet ex dictis, quia seruitus est tantum in re aliena, prædium autem, quod iam emisti, non est alienum, & ideò est liberum à seruitute. Vnde, si illud vendas alteri, non reci-

piet priorem seruitutem, nisi expresse addas te non aliter vendere, nisi cum eadem seruitute, vt habetur *l. si quis citata.*

Quæstio 15. *De possessione.*

1. HActenus dictum est de dominio directo & vtili, & quæ eò spectant. Nunc agendum est de possessione, quæ est quasi complementum & vltima perfectio dominij.

2. PRIMA CONCLVSIO. Possessio dicitur à pedum positione, vt habetur *l. 1. ff. de acquirenda possessione.* Nam per pedum positionem supra bona immobilia quæ sunt potissima, vt super agrum, vel fundum, solet acquiri possessio. Et quamuis hoc nomen aliquando sumatur pro ipsis rebus possessis, tamen hîc sumitur pro actu & iure possidendi, à quo homo denominatur possessor, & res possessa. Hic autem actus sumitur duobus modis. *Primo*, pro acquisitione possessionis. *Secundo*, pro ipsa possessione.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Possessio priori modo sumpta *est rei corporalis apprehensio, seu detentio, corporis, & animi, & iuris adminiculo.* Ita Couar. ad regulã, *possessor. p. 2. n. 1.* & alij passim; *ac primo* dicitur *apprehensio rei corporalis*, quia secũdũ Iuristas res incorporales, vt Census, Beneficia, seruitutes nõ possidentur, sed quasi possidẽtur. *Secundo*, dicitur *adminiculo corporis*, quia vt rem aliquã incipias possidere, debes eam aliquo modo corporaliter apprehẽdere, vel manibus, vel pedibus, vel oculis, vel simili modo, siue per teipsũ, siue per procuratorem, filiũ, seruum. *Tertio*, dicitur *adminiculo animi*, quia debes eam apprehendere animo possidendi. Vnde depositarius nõ dicitur possidere depositũ, nec creditor pignus, qui nõ apprehendit illud animo retinẽdi. *Quarto* dicitur *adminiculo iuris*, non quod omnis possessio sit iusta (nam fur verè possidet rem furtiuam, nõ tamen iure) sed quia requiritur, vt talis apprehensio censeatur suffi-

ciens ad constitutionem possessionis, nec impedit eam, sicut impedit ne apprehensio & detentio rei sacræ facta à laico censeatur esse possessio, vt patet Lege *Qui vniuersitas*. ff. *de acquir. possess.*

4. TERTIA CONCLVSIO. Possessio posteriori modo sumpta est *ius insistendi alicui rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri.* Ita Bartholus l. 1. ff. *de acquirenda possessione.* Couarr. & alij passim; *ac primò* dicitur *Ius*, vt excludatur possessio priori modo sumpta, quæ est quasi acquisitio possessionis, ex qua oritur hoc ius, si iusta fuerit. Quod si illa apprehensio, vel acquisitio fuerit iniusta, non oritur ex ea ius in conscientia, sed tantum in foro ciuili. *Secundò*, dicitur *Ius insistendi*, vt excludatur dominium, quod per se & formaliter est ius perfectè disponendi de re. Propria autem ratio iuris possidendi est, quod possessor possit rem pacificè tenere, & iuris remediis tueri aduersus perturbantes. *Tertio* dicitur *non prohibitæ possideri*, quia nemo potest habere ius possidendi contra iuris dispositionem, vt v. g. possidendi res sacras, si laicus sit. *Quarto* dicitur *tanquam suæ*, quia si quis insistat rei alterius, alter possessor erit. Vnde tutor non est possessor bonorum pupilli, sed pupillius possidet per tutorem; sic etiam possum aliquid possidere per filium, procuratorem, seruum. Vt autem possideam rem per alium requiritur, vt is non habeat animum retinendi: si enim pro sua intendit retinere, non possideo per illum, quia non meo nomine retinet, excipio tamen seruum, & filium nondum emancipatum. Hi enim cum sint eius conditionis, vt non acquirant sibi, acquirunt patri, & Domino, etsi hunc animum non habeant.

5. DICES. Possessio nõ videtur esse ius insistẽdi, sed notiõ ipsa insistẽtia in re ipsa. Ratio, quia is, qui iniustè possidet vere possidet, vt passim cõceditur, & patet exemplo

furis, qui verè rem possidet; & tamen non habet ius insistendi rei, quam possidet, quia hoc ius est in eo, qui à possessione eiectus est. *Secundo*, quia possessio diuiditur in iustam, & iniustam; & illa, quæ iusta est, non aliundè habet, quod iusta sit, quam à iure insistendi, ab insistentia vero habet, quod sit possessio: ergo essentia possessionis non est posita in iure insistendi, sed in insistentia. *Tertio*, quia qui iniustè possidet, sed bona fide, reuera simpliciter & absolutè possidet, & quidem tali possessione, quæ sufficit ad præscriptionem: & tamen reuera non habet ius, nisi in sua existimatione. Resp. Hęc sententia valde probabilis est, quam sequitur Molina *tractat.* 2. *cap.* 17. Altera tamen fuit explicanda, quia communis est apud Iureconſ. Et exponi potest possessionem esse ius insistendi, non quod in conscientia semper sit iusta, sed quia in foro ciuili censetur talis.

## QVÆST. XVI. *Quotuplex sit possessio.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Possessio diuiditur *primò*, in *Iustam* & *Iniustam*. Iusta requirit iustum titulum: Iniusta illo caret. *Secundo in possessionem bonæ & malæ fidei. Tertio* in *Coloratam* cuius scilicet titulus est verisimilis, id est, non apertè nullus, & *Non coloratam* cuius titulus est apertè nullus. *Quarto*, pro varietate titulorũ diuiditur in varias species, quæ sumunt nomina ab ipsis titulis, quo pacto dicimus rem aliquam possideri pro empta, pro donata, pro legata, id est, titulo emptionis, donationis, aut legati.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Vsitatissima diuisio est in possessionem *Ciuilem* & *Naturalem*. *Ciuilis* est, quæ solo animo retinetur. Quamuis enim initio, vt incipias possidere, requiratur adminiculum animi & corporis; tamen, vt posteà retineas, & continues possessionem, sufficit animus retinendi rem; nec desistendi à possessione, vt habetur institut. *de interdictis* §. *possidere.*

Hoc modo possidet is, qui abest à rebus suis. Dicitur autem possessio hæc *ciuilis*. *Primò* quia magis constat modo ciuili quàm naturali, cũ naturalis modus sit per corporalem insistentiam. *Secundò* quia parit effectus ciuiles, vt præscriptionem & vsucapionem. *Naturalis* est, quæ corpore scilicet & animo retinetur. Vt quando quis rem occupat, vt suam. Hæc aliquando coniungitur cum ciuili, vt quãdo quis per se, vel per alium est præsens rebus, quas ciuiliter possidet: tunc enim dicitur ciuiliter & naturaliter possidere. Quæ possessio est firmissima secundum iura: aliquando est separata à ciuili, vt quando fur occupat rem: tunc enim ego ciuiliter, ille naturaliter possidet. Et hęc possessio infirmior est, valet tamen ad hoc, vt quis non possit ab extraneo deturbari, ne quidem ab ipso Domino publica authoritate.

3. DICES. Fur non tantum naturaliter sed etiam ciuiliter possidet rem furtiuam, quia corpore & animo retinet illam vt suam. Resp. Secundum iura dicitur quis naturaliter tantum possidere, quando rem ciuiliter ab alio possessam occupat animo retinendi. Nam quamdiu per ius ciuile alter non censetur cadere à sua possessione ciuili, tandiu hic intrusus, qui occupat, non censetur ciuiliter possidere, sed naturaliter tantum, vt colligitur ex l. *clam possidere* ff. *de acquirenda possessione.*

4. TERTIA CONCLVSIO. Fieri potest, vt quis per se ipsum possideat rem ciuiliter tantum, & per alium naturaliter; quo pacto locator per se possidet prædium ciuiliter, & per colonum, aut inquilinum naturaliter, vt habetur l. 3. §. *Quod si seruus* & §. *saltus*, ff. *de acqu. possessione.* Similiter dicitur quis naturaliter possidere per depositarium, commodatarium, & generatim per eum omnem, qui rem tenet, & non possidet, vt habetur Instit. *De interdictis*, §. *possidere.*

5. QVÆRES. An vsufructuarius, Emphyteuta, & Feudatarius dicantur possidere rem, cuius habent vsumfructum: An vero solus proprietarius per eos possideat? Disputat de hac re Couar. ad regulam. *Possessor, p. 2. n. 4.* & Aluarus Valas. *de iure emphyteutico quæst.* 18. Resp. cum distinctione. Nam si sermo sit de re, in qua constituitur vsusfructus, illam ciuiliter possidet proprietarius per se ipsum, & naturaliter per alios, qui vsufructum inde habent: si autem sit sermo de fructibus ex ea re perceptis, illi naturaliter, & ciuiliter possidentur ab iis, qui habent vsumfructum: si deniq; de iure vtendi & fruendi, naturaliter & ciuiliter etiam possidetur, vel quasi possidetur ab iisdem.

QVÆST. XVII. *Quibus modis acquiratur possessio?*

1. DIxi superius possessionem acquiri cum res apprehenditur. Est autem duplex apprehensio. Vera & Ficta: sunt item duplices res, quæ apprehenduntur, aut quasi apprehenduntur. Corporales, & Incorporales.

2. PRIMA CONCLVSIO. Vera apprehensio rerum corporalium fit duobus potissimum modis, nempe manibus, vel pedibus, vt per se patet. Nota *primo* ad possidendam totam domum, aut totum agrum, sufficere si aliquam eius partem pede premas, vel ingrediaris, modò id facias animo possidendi totum, vt habetur l. 3. ff. *De acqui. possess. Secundo* quando id, cuius possessio apprehenditur, non est commune toti fundo, sed peculiare alicuius partis, vt v. g. seruitus itineris, aut aquæ ductus, tunc oportet intrare, vel actum seruitutis exercere in totam illam partem. *Tertio* quando res aliqua, quæ possidenda est, non solet apprehendi per aliquam sui partem, sed per aliquid aliud, vt equus per capistrum, aut vinum per vas, tunc satis est eam apprehendere per id, per quod solet apprehendi.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Ficta apprehensio fit va-

riis modis. *Primus* est, si antiquus possessor tradat alteri claues domus, in qua sunt merces possidendæ, vt v.g. vinum, oleum, triticum, vt habetur l. *Claubus* ff. *de conuahenda emptione*, & in alijs iuribus. Ratio est, quia dum emptor apprehendit claues, censetur apprehendere res ipsas intus reconditas. *Secundus* est, si alteri tradat instrumentum quo constet de titulo, & iure, quo rem possidebat, vt colligitur ex l. 1. C. *de donationibus*; & est communis sententia. Ratio est, quia in tali instrumento censetur res ipsa contineri. *Tertius*, si antiquus possessor cominus, vel eminus ostendat mihi fundum, & dicat se tradere illius possessionem, & ego significem me acceptare, vt habetur l. *Quod meo*, §. *si venditorem*, ff. *de acquir. possess.* Ratio est, quia oculi sunt veluti longæ manus, quibus res visas quasi contrectamus. *Quartus*, quando post contractum consentiente antiquo possessore, apponitur custodia nomine eius, ad quem res transfertur, siue sit res mobilis, vt pecora, vel aliæ merces, siue immobilis, vt castrum, domus, oppidum. Item siue res sit præsens, siue absens, vt colligitur ex L. *Quarumdam rerum*, ff. *de acquirend. possess.* *Quintus* est, quando antiquus possessor vendit, vel donat alteri rem aliquam, reseruato sibi vsufructu. Nam eo ipso censetur illi tradere proprietatem, & alter incipit possidere, vt habetur L. *Quisquis.* & L. *Si quis argentum*, C. *de donationibus*. Ratio, quia nemo propriè est vsufructuarius, nisi dominium directum sit apud alium: ergo hoc ipso, quod quis vendit rem aliquam constituendo se vsufructuarium illius, censetur amittere eius proprietatem, & transferre in alium possessionem. *Sextus* est, quando antiquus possessor vendit vel donat alteri rem aliquam, constituendo se conductorem eiusdem rei. Nam hoc ipso alter acquirit possessionem vt habetur L. *Quædam mulier*, ff. *de rei vindicatione*, & L. *Qui bona fide*, §. 1. & L. *Interdum*,

§. *vltimo* ff. *de acquirenda possessione*. Ratio, quia conductor possidet nomine locatoris. *Septimus* est, quando quis vendit aut donat alteri rem suam apud quem erat depositа, locata, vel commodata. Nam hoc ipso acquirit alter possessionem virtute prioris detentionis; nisi fortè aliquis alius tertius ciuiliter eam rem possideret. Ita habetur L. *sive autem*, §. *si quis rem*. ff. *de publiciana*, & L. *certi condictio*, §. *vltimo*. ff. *Si certum petat*. *Octauus* est, quando quis emit duas trabes è numero multarum, aut duo pecora de toto aliquo grege, & venditor concedit illi, vt designet duas trabes, aut duo pecora, tunc accipit eorum possessionem, per hanc ipsam significationem, vt colligitur ex L. *Quod si neque*, ff. *de commodo & periculo rei venditæ*. *Nonus*, si antiquus possessor (facta venditione, aut donatione alicuius rei) constituat se possidere nomine emptoris, & emptor id ratum habeat: tunc enim transfertur possessio in emptorem. Hoc Iurisperiti appellant tradere possessionem per clausulam constituti, hoc est, per clausulam appositam in instrumento alienationis, qua venditor constituit se possessorem nomine alterius. Nam hoc ipso incipit emptor possidere per venditorem. Ita colligitur ex Lege *Quod meo*, & Lege *qui bona fide*, & Lege *Interdum*, ff. *de acquirenda possessione*.

4. Tertia Conclvsio. Ficta apprehensio non habet locum, quando possessio non acquiritur voluntate prioris possessoris, qui eam nobis tradat: tunc enim debet interuenire vera apprehensio. Patet ex dictis. Quia omnes illi modi, quibus fit ficta apprehensio, supponunt voluntatem, & consensum prioris possessoris. Hoc fit *primò* vt possessio earum rerum, quæ ante nullius erant propriæ, sed efficiuntur primò occupantis, vt ferarum, thesaurorum, & similium, non acquiratur, nisi per veram apprehensionem, vt patet

Institut. *de rerum diuisione*, §. *illud. Secundò* fit, vt possessio nunquam acquiratur vi, aut clam, nisi per veram apprehensionem. Vnde si depositarius velit clam acquirere possessionem rei apud se depositæ, debet eam apprehendere, & mouere de loco suo, vt patet ex l. 3. §. *si rem*, ff. *de acquirenda possessione*. *Tertiò* fit, vt qui auctoritate iudicis mittitur in possessionem rei, quam alius possidebat, non aliter acquirat possessionem, quam si eam verè apprehendat, nisi scilicet accedat voluntas prioris possessoris, tunc enim potest eam acquirere per actum fictum. Ita Bartholus, Panormit. & alij apud Antonium Gomer. ad l. 45. *Tauri*, *numer* 54. *Quartò* fit, vt hæres non aliter acquirat possessionem bonorum defuncti, cum adiuit hæreditatem, quam per veram apprehensionem, eò quòd nullus sit possessor, qui eam illi tradat.

5. Quarta Conclvsio. Possessio iurium, & seruitutum apprehenditur duobus modis. *Primò* si mittam alterum in agrum, in quo volo ei seruitutem constituere, & ille eat. *Secundò*, si quis vtatur aliquo iure, tanquam ad se pertinente, sciente & ferente eo, cuius intererat concedere vel prohibere, qui modus est generalis, & extendit se etiam ad ea iura, quæ non sunt in re aliqua constituta, cuiusmodi est ius eligendi, præsentandi, & similia, de quibus Couarr. ad regulam *possessor*, p. 2. §. 8 qui citat varia iura pro hac re. Quomodo autem acquiratur possessio beneficij docet idem Couar. *l. 3. variar. resol. c. 19. n.* 10.

Quæst. 18. *Quomodo amittatur possessio?*

1. Prima Conclvsio. Possessio rerum mobilium, tum ciuilis, tum naturalis, amittitur *Primò*, sola voluntate possessoris, nolentis eam amplius possidere. *Secundò* per furtum, aut rapinam alterius. *Tertio*, si alterius custodiæ subesse incipiat, qui eam detineat tanquam suam. *Quarto*, per fugam, si sint animalia, vt

si pecus aberrauit à grege, aut gallinæ, vel aues domesticæ auolauerint, nec habeant consuetudinem per se redeundi, vt patet l. 3. §. *Item feras*, ff. *de acquirenda possessione*. Dixi, *si sint animalia*, quia possessio serui, & ancillæ, non amittitur per ipsorum fugam, vt patet ex l. *Pomponius*, ff. *eodem tit.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Possessio rerum immobilium, ciuilis, & naturalis amittitur. *Primò* si possessor longo tempore sit absens (putà ferè decennium) ita, vt nec per se, nec per alium rei insistat, neque etiam protestetur, se nolle amittere possessionem. *Secundo* si rem ab alio sciat occupatam, & tamen negligat. *Tertio* si reuersus statim repetat possessionem suam, seu ab occupante repellatur. *Quarto* si timens repulsam non audeat repetere, aut inuadere possessionem. *Quinto* si res ita sit occupata, vt non sit probabilis eius recuperatio, vt si vir valde potens eam occupet, vel mare aut flumen assiduè inuadat. Quamdiu autem possessor est in ipsa re, aut saltem ita propè, vt præsto possit adesse, cum opus fuerit, retinet illius possessionem, tum naturalem, tum ciuilem.

Quæst. 19. *Quid priuilegij conferat possessio?*

1. CONCLVSIO. Possessio, præsertim si sit bonæ fidei habet hæc priuilegia. *Primo* parit præscriptionem, & facit, vt res quæ non est tua, elapso tempore certo fiat tua. *Secũdo* si oriatur dubiũ de rei dominio, ante tẽpus præscriptionis, & per moralem diligentiam non possit statim finiri, tunc melior est conditio possidentis. *Tertio* parit in iudicio præsumptionem dominij: vnde possessor non debet probare rem esse suam, sed alter, qui eam repetit, qui, nisi id sufficienter probet, nihil obtinebit. *Quarto* potest quis acrius suam possessionem tueri, vim vi repellendo. *Quinto* si possessor expulsus sit, potest armis suam possessionem repetere, modò id fiat statim. *Sexto* si Dominus rei iniustè

expellat possessorem à possessione, amittit dominium, & applicatur expulso: si autem non sit dominus, tenetur reddere possessionem expulso, & insuper æstimationem eius. Vt habetur L. *Si quis in tantam C. vnde vi.* Sed hæc lex non videtur amplius esse in vsu, vt docet Couarr. *lib. 3. variar. resol. cap. 16. num. 7.*

## CAPVT III.

### *De subiecto Dominij.*

CONSTAT Dominium esse ius perfectè disponendi de re, quod qui impedit iniuriam facit. Vnde sequitur eos solos esse capaces dominij, qui sunt capaces iuris, ac iniuriæ, circa perfectam, & liberam rerum dispositionem, id est, solas naturas rationales, vt Deum, Angelos, homines. De dominio Dei & Angelorum hîc non agimus. De dominio hominum potest. *Primò* Generatim quæri, quod sit fundamentum dominij in illis. Deinde speciatim, de variis hominum generibus, vt de paruulis, de amentibus, de filiisfamilias, de seruis, de religiosis, de Clericis, de Pontifice. An scilicet habeat dominium, vel simpliciter, vel aliquarum rerum.

QVÆST. I. *Qua ratione conueniat homini Dominium?*

1. PRIMA OPINIO est Vvaldensium, Vvicleti, & Ioannis Huss, qui asserunt dominium fundari in gratia & charitate. Ita, vt soli existentes in gratia sint veri domini eorum, quæ possident: amissa autem gratiâ per peccatum, simul amitti dominium, ac proinde peccatores nullum habere dominium. Loquuntur autem de dominio, tam iurisdictionis, quàm proprietatis; quamquam hoc loco de posteriori potissimum agimus. Fundamentum eorum sumitur ex quibusdam scripturæ locis, de quibus postea.

2. SECVNDA OPINIO est Hostiensis c. *Quia super his. Extra de voto*, vbi docet fidem esse fundamentum dominij, ac proinde infideles non habere dominium, nec iurisdictionis, nec proprietatis. Putat enim omne dominium translatum esse ad Ecclesiam fidelium.

iuxta illud Isaiæ 60. 12. *Gens, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.*

3. TERTIA OPINIO est Gersonis *de vita spirituali, consid.* 15. & Conradi *tract.* 1. *q.* 2. qui docent iustos, in gratia constitutos, requirere nouum Ius, & dominium in omnes creaturas inferiores, quod amittãt per quodvis peccatum mortale. Concedunt nihilominus, peccatores retinere apud se dominia earum rerum, quas iustis titulis antea possidebant, neque per peccatum amittere, in quo differunt à Valdensibus.

4. PRIMA CONCLVSIO. Dominium earum rerum, quas homopossidet, non innititur gratiæ & charitati, quasi gratia, vel charitas sit titulus, vel fundamentum alicuius dominij temporalis. Ita definitum est in Concilio Constantien. sessione 15. contra auctores primæ opinionis. Et colligitur ex scripturis. Nam ex iis constat Cyrum, Nabuchodonosorem, & alios malos homines habuisse dominium iurisdictionis, & proprietatis, & quidem ex donatione, & consensu Dei. Vt patet Isaiæ *cap.* 45. *vers.* 1. Ieremiæ *cap.* 27. *vers.* 6. Dan. *cap.* 2. *vers.* 37. Exodi *c.* 29. *vers.* 20. Hinc August. *lib.* 5. *ciuit. cap.* 21. dicit, hoc interesse inter regnum Cœlorum, & terrenum, quod hoc æquè detur piis & impiis, illud solis piis. Et ostendit hoc exemplis. Qui dedit (inquit) Constantino Christiano, ipse dedit Apostatæ Iuliano. Et ratio est, quia Deus non prouidisset benè Reipubl. humanę, si titulum dominii voluisset esse gratiam, & charitatem. *Primo.* Quia tunc omnia dominia essent incerta, nec quicquam coram iudice probari posset. Nemo enim potest ostendere, se esse in gratia. *Secundo.* Quia qui sibi essent conscij de peccato aliquo mortali, non possent tuta conscientia cõseruare res suas. *Tertio.* Subditi nollẽt obedire principibus, quos putarent non habere gratiam, & charitatem. Ex his omnibus sequeretur magna confusio, & perturbatio in Republica.

5. SECVNDA

5. SECVNDA CONCLVSIO. Dominium non fundatur in fide, nec infideles, ob defectum fidei, desinunt esse Domini earum rerũ, quas alioquin possident iusto titulo. Loquor de infidelibus, non Apostatis. Nam Apostatę per Ecclesiam priuari possunt dominio bonorum suorum, vt constat ex tractatu de fide. Conclusio sequitur ex dictis. Nam Cyrus, Nabuchodonosor, Iulianus, fuerunt infideles, & tamen habuerunt temporale dominium. Ratio generalis est. Quia primum fundamentum, seu capacitas dominij temporalis est, habere facultatem liberi arbitrij, quæ est etiam in infidelibus, ergo si accedat aliquis titulus, qui sit proximũ fundamentum, statim potest resultare dominium. Antecedens deducitur ex illo Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli.* De quo vide Perer. in eundem locum.

6. TERTIA CONCLVSIO. Charitas, & gratia non tribuunt homini nouum Ius & dominium rerum temporalium, quod peccatores non habebant. Ratio est, quia bona temporalia æquali iure dantur iustis, & iniustis, iuxta illud Mat. 5. 45. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Confirmatur *primo*, quia Deus semper concedit iustis illa, ad quæ habent Ius ex charitate, vt patet ex his quæ cadunt sub meritũ. Sed bona temporalia non semper eis concedit; ergo ex charitate non habent vllũ ius ad illa. *Secundo.* Quia Christus dehortatur iustos, non solum à cupiditate illorum bonorum, sed etiam ab eorum possessione, iuxta illud Matth. 19. 21. *Vade & vende:* Ergo charitas non facit nos Dominos rerum temporalium.

7. QVARTA CONCLVSIO. Dominium rerum temporalium, generatim loquendo, fundatur in triplici titulo. *Primò*, in iure naturali, quo pacto fructu

terræ, & animalia, subiecta sunt dominio hominis. *Secundo.* In iure diuino, quo pacto Iudæi acceperunt dominium terræ promissionis. *Tertio,* In iure humano, siue gentium, siue ciuili; quo pacto fit aliquis dominus titulo hæreditatis, donationis, emptionis, præscriptionis, aut similis alicuius contractus. Hinc sequitur, non minus peccatores, quam iustos; nec minus infideles, quam fideles, posse habere dominia rerum temporalium. Quod etiam cõstat ex præcedentibus Conclusionibus.

8. SECVNDA OBIECTIO. Scriptura docet propter solum peccatum amitti dominium, vt patet ex illo Eccles. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitiam.* Et ratio est, quia non est dominium, nisi à Deo: Deus autem non confert dominia improbis. *Primo.* Quia sunt eius hostes. *Secundo.* Quia videretur abusum dominiorum approbare. Resp. Scriptura docet Deum aliquando punire homines propter peccata, transferendo ab eis regna & dominia: Non tamen docet, homines, hoc ipso quo peccant, amittere regna & dominia. *Secundo.* Verum est dominium esse à Deo, decet tamen benignitatem Dei, vt etiam hostibus suis benefaciat, vt habetur Matt. 5. 45. Neque propterea approbat abusum: nam ob alias causas id facit. *Primo.* Vt hoc beneficio peccatores ad se alliciat. *Secundo.* Vt remuneret quædam moralia illorum benefacta. *Tertio.* Vt puniat peccata subditorum. Vide D. August. 5. *Ciuit.* 15. 19.

9. SECVNDA OBIECTIO. Fundamentum dominij in eo consistit, quod homo sit conditus ad imaginem & similitudinem Dei, vt habetur Gen. 1. 26. sed per peccatum mortale amittit imaginem Dei. Quia cõparatur iumentis insipientibus. Resp. Fuit olim hæresis Origenistarum, hominem per peccatum mortale imaginem Dei amittere. Amisit quidem Adam iustitiam originalem, cuius beneficio appetitus sensitiuus

subijciebatur rationali, & hac amissa, factus est similis iumentis insipientibus, propter concupiscentiam carnis, & appetitus sensitiui, non tamen amisit naturalem libertatem arbitrij, in qua consistit imago & similitudo Dei.

10. TERTIA OBIECTIO. Iusti ex eo præcisè, quia iusti sunt, videntur habere aliquod peculiare ius, & dominium rerum temporalium, iuxta illud Rom. 8. v. 31. *Qui proprio filio non pepercit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* & 1. Cor. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt, Vos autem Christi*, & 2. Cor. 7. v. 10. *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Ratio est, quia amicorum omnia sunt communia: inter Deum autem, & iustos, vera est amicitia. Resp. ad *primum locum*, Paulum consolari & hortari iustos ad tolerantiam ærumnarum huius vitæ, asserendo Deum nunquam defuturum in necessariis. Quod probatur à maiori. Nam si pro nobis tradidit filiũ suum, quantò magis dabit, quæ viderit fore necessaria? Ad *secundum* Resp. omnia esse iustorum, duplici nomine. *Primò*, quia omnia propter iustos facta sunt, quo sensu dixit Apost. 2. Timoth. 2. v. 10. *Omnia sustineo propter electos. Secundo*, quia omnia prosunt iustis ad salutem, iuxta illud Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ad *tertium* Resp. sensum esse, quod iusti, licet aliquando pauperes sint, vt reuera erant Apostoli; tamen nil deesse illis ad sustentationem, perinde, ac si omnia possiderent. Ad rationem Resp amicitiam Dei erga iustos, præcipuè elucere in communicatione bonorum supernaturalium.

11. QVARTA OBIECTIO. Isaias prædixit omne dominium transferendum esse ad Ecclesiam fidelium, vt supra citatum est. Resp. Isaias hoc solum prædixit, gentem, quæ Christo non seruierit, perituram, id est, extra Ecclesiam Christi nullum fore salutem. c. *Firmiter. Extra. de Trinitate.*

Quæst. 2. *An paruuli, & amentes habeant dominium?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Paruuli sunt veri domini suorum bonorum, etiam ante vsum rationis, iuxta illud Apostoli Gal. 4. v. 1. *Quanto tempore hæres paruulus est, non non differt à seruo, cum sit dominus omnium.* Ratio est, quia paruulus est verè hæres secundum iura: hæres autem dicitur, qui succedit in dominium bonorum defuncti. Confirmatur, quia, qui bona paruulorum vsurpant, verè faciunt illis iniuriam.

2. DICES. Paruuli propter defectum vsus rationis non possunt disponere de rebus, ergo non habent dominium. Resp. satis est, quod habeant ius disponendi, etsi non possit prodire in actum, propter defectum vsus rationis.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Amentes sunt etiam Domini suorum bonorum, propter eandem rationem. Vnde sicut paruulis, sic etiam illis designantur à Repub. tutores, qui illorum bona administrent; neutri enim possunt per se administrare.

4. DICES. Perpetuò amentes non gaudent beneficio præscriptionis: ergo non habent dominium. Sequela patet, quia lex præscriptionis est propter dominia: ergo, qui non potest præscribere, non potest præscribendo acquirere dominium. Resp. fortè amentes possunt præscribere per suos tutores. Deinde etiamsi demus non posse præscribere; non tamen sequitur, eos non esse veros dominos, quia ad præscriptionem requiritur bona fides, quam amentes non habent. Quod tamen non requiritur ad dominium. Loquor de dominio, quod habetur sine præscriptione.

Quæst. 3. *An filiifamilias habeant dominium?*

1. LOquor de iis, qui constituti sunt sub potestate patris.

2. CONCLVSIO. Quatuor bonorum genera possunt huiusmodi filiis competere. *Primo.* Castrensia,

quæ in militia acquisierunt. *Secundo.* Quasi castrensia, quæ officio publico. *Tertio.* Profectitia, quæ patris occasione proueniunt. *Quarto.* Aduentitia, quæ illis donantur non patris intuitu, vel acquiruntur propria industria. Castrensium, vel quasi castrensium habent proprietatem, & vsumfructum: Aduentitiorum solam proprietatem: Profectitiorum, nec proprietatem, nec vsumfructum, sed solam administrationem.

Quæst. 4. *An serui habeant verum Dominium?*

1. Conclvsio. Iura ciuilia non videntur illis verum dominium concedere, sed quicquid acquirunt, quauis causa, dominis acquirere, vt habetur Instit.. *Per quas personas cuique acquiritur*, & l. *Id vestimentum. ff. de peculio.* Sed consuetudo hoc mitigauit. Possunt enim in quibusdam casibus habere aliquod dominium. *Primo.* Si domini tacitè vel expressè consentiant. *Secundo.* Si donetur, vel legetur illis aliquid cum consensu dominorum. *Tertio*, si iis absolutè aliquid donetur, non tamen Dominis inuitis. *Quarto*, si Domini aliquid illis debeant propter iniuriam illatam. *Quinto.* si lucrentur aliquid de suo pecúlio, aut aliquid sibi subtrahant, nullo tamen Domino damno illato.

Quæst. 5. *An religiosi habeant dominium?*

1. Ratio dubitandi est, quia votum paupertatis videtur repugnare dominio. Nota, nos posse loqui vel de integra communitate alicuius Religionis: vel de singulis Religiosis in particulari, siue sint professi, siue non sint, vel denique de superioribus beneficiariis, qui habent beneficia regularia.

2. Prima Conclvsio. Probabile est Religiosos Professos posse habere dominium rerum tẽporalium in communi, ita vt ipsa communitas vero dominio eas possideat. Probatur *primo* ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3. de Regularibus*, vbi conceditur omnibus monasteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierũ,

etiam mendicantium, exceptis Cappuccinis, & minoribus de Obseruantia, vt deinceps liceat iis possidere bona immobilia. *Secundo* quia Nicolaus III. in extrauag. *exijt*, docet dominium rerum, quibus Franciscani vtuntur, ad Papam pertinere: non autem ad eorum congregationem. Indicans in aliis Religionibus, quibus licet bona habere in communi, dominium pertinere ad ipsas congregationes Dixi, *hoc esse probabile*, quia Nauarr. *Comme. 2. de Regularibus*, contrarium docet asserens, solam administrationem bonorum concessam esse communitati: dominium verò esse apud Christum, & eius vicarium, quod valde probabile est. *Primo*, quia communitas non potest alienare bona immobilia, sed debet transmittere ad posteros: ergo non habet verum dominium. *Secundo*, quia Pontifex aliquando adimit huiusmodi bona vni communitati, & concedit alteri; ergo signum est dominium esse apud Pontificem. *Tertio*, quia contraria argumenta non videntur conuincere. Non primum, quia possidere non est idem, quod habere dominium. Nec secundum, quia Nicolaus nihil definit de hac re.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Certum est Religiosos Professos non posse in particulari habere vllũ dominium, aut vsumfructum, aut possessionem rerum temporalium, siue mobilium, siue immobilium. Est communis sententia. Et patet ex c. *Non dicatis*, & c. *expedit*, & c. *cui portio*. 12. q. 1. Et c. *cum ad Monasterium*, & c. *Monachi*, Extrau. *de statu Monachorum*, & ex Concil. Trid. *sess.* 25. c. 2. *de Regularibus*.

4. QVÆRES *primo*. Vnde oriatur illa incapacitas dominij: An scilicet ex natura voti, an aliunde. Resp. Nõ oritur præcisè ex natura voti, vt patet in voto simplici, quod non minus est in ratione voti, quàm solẽne; neque etiam ex nuda vouentis intentione, vt patet in Religione non approbata à sede Apostolica. Sed oritur

ex voto solemni, vel potius ordinatione Ecclesiæ, quæ statuit, vt votum solemne, seu professio in Religione approbata, haberet talem effectum, nempe incapacitatem dominij.

5. Ex dictis sequitur Religiosum peccare. *Primo* si aliquid recipiat, & retineat, sine expresso, vel tacito consensu superioris. *Secundo* si aliquid donet, vel aliter alienet, sine eodem consensu. *Tertio* si abscondat, ne superior inueniat. *Quarto* si possideat aliquid cum consensu superioris, sed tamen non sit paratus illud dimittere ad arbitrium superioris. *Quinto* si murmuret, tanquam iniuria affectus, quando ipsi aliquid adimitur.

6. QVÆRES *secundo*. Quam graniter peccet in his omnibus? Resp. Peccatum hoc in genere suo est mortale, quamuis ex leuitate materiæ, aut alia de causa possit fieri veniale. Prima pars patet exemplo Ananiæ & Sapphiræ, qui morte puniti sunt, eò quòd aliquid proprij sibi clam retinuerint. Quod signum est peccasse mortaliter. Secunda pars patet ex communi regula, qua dicitur, furtum, & similia peccata, tametsi genere suo mortalia sint, posse tamen fieri venialia, vel ex paruitate materiæ, vel ex defectu deliberationis. Dixi in conclusione, *Religiosos esse incapaces dominy rerum temporalium*, quia iurium, & bonorum supernaturalium possunt habere dominium, vel quasi dominium. Nam Regulares beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum beneficiorum, & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium vindicandum, adipiscendum, retinendum, recuperandum. Similiter simplex Religiosus proprio nomine potest agere super iure eligendi, competendi, & manendi in tali, vel tali monasterio. Vide Nauarr. *quæst. 1. de redit. Eccles. numero* 9. Ratio est, quia Religiosi per votum paupertatis non renuntiant iuribus, & bonis spiritualibus.

7. TERTIA CONCLVSIO. Religiosi non professi, sed tamen per votum simplex acceptatum ab Ecclesia facti veri Religiosi, non sunt incapaces dominij: sed retinent illud, quamdiu superiori videtur. Non tamen possunt habere vllum bonorum suorum, vel alienorum, sine superioris consensu. Patet ex constitutione Greg. XIII. edita de hac re, Anno 1584. quæ incipit, *Ascendente Domino.*

8. QVARTA CONCLVSIO. Religiosi beneficiarij vt Abbates, Præpositi, Commendatores, Præceptores, & similes, habentes beneficia Regularia habent ius liberè administrandi, & disponendi bona suorum beneficiorum, nempe ad decentem suum statum, & ad pias causas, nisi particulari aliquo statuto impediantur. Nam hoc est eis concessum à sacris canonibus. De qua re, *vide Nauar. q. 1. de Regular. Canon. 2. n. 11. & seq.*

9. QVINTA CONCLVSIO. Superiores Religiosi non possunt alicui Regulari subdito concedere vlla bona stabilia, vt sunt reditus, fundi, ædium locationes, etiam ad vsum tantummodo, vel administrationem, vt patet ex Trid. *sess. 25. cap. 2. de Regularibus.* Vnde sequitur *primo.* Non posse superiores concedere subditis certas annuas pensiones, aut census, quos ipsi administrent pro vestibus, & aliis necessitatibus; secus tamen si ipsi non administrent, sed officialis, à quo pecuniam & necessaria petant. *secundo.* Sequitur census vitales, qui aliquando dantur pro alimentis, & aliis necessariis vsibus ingredientiũ monasteriũ non posse permitti ingredientibus, vt eos administrent, sed solis officialibus ordinariis, qui tamen eorum fructus debent impendere ad vsus destinatos.

10. SEXTA CONCVSIO. Possunt superiores concedere aliqua bona mobilia, etiam pecuniam, ad vsus tamen pios suis subditis, nempe vestes, libros, &

similem supellectilem, vt est communis sententia. Hęc tamen debent statui eorum esse consentanea, nec in iis quicquam debet esse superflui, vt habet Trident. *loc. cit.*

QVÆST. VI. *An Clerici Religiosi habeant aliquod bonorum dominium?*

1. NOTA *primo* ex Nauarr. huiusmodi clericos posse habere triplicia bonorum genera, *primo* patrimonialia, qualia sunt, quæ vel hæreditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, vt laici acquirũt. *Secundo*, quasi patrimonialia, quæ acquirunt non ratione beneficij, sed dicendo missas, audiendo cõfessiones, docendo, agendo vicarios temporales. Nam Vicaria perpetua est beneficium. *Tertio* merè Ecclesiastica, vt sunt ea, quæ recipiuntur ratione Episcopatus, Canonicatus, vel alterius beneficij.

2. NOTA *secundò*, hæc bona Ecclesiastica rursum esse multiplicia, *primo* quædam sunt immobilia, vt villæ, castra, prædia, & alia huiusmodi à fidelibus donata Ecclesiæ. *Secundo* sunt annui reditus deputati pro aliqua memoria in aliqua Ecclesia agenda. *Tertio* sunt decimæ. *Quarto* oblationes quotidianæ. *Quinto* bona vtensilia, vt sacræ vestes, calices, ornamenta.

3. PRIMA CONCLVSIO. Clerici non Religiosi habent verum dominium bonorum patrimonialium. Ratio, quia per Clericatum neque fiunt incapaces dominij, nec se abdicant dominio.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Habent etiam bonorum quasi patrimonialium dominiũ. Ita Couarr. in c. *cum in officijs, de testamentis* num. 4. Ratio est, quia hæc dantur vel per modũ Eleemosynæ sub certo onere constitutæ, vel per modum stipendij, seu mercedis, pro labore præstito. Nec refert, quod huiusmodi stipendia aliquando excedant laborem; quia liberè à fidelibus constituta sunt. Idem dicendum est de quotidianis

distributionibus, quas accipiunt Clerici pro personali præsentia, vt ex communi sententia tradit Couarr. *loc. cit.* Quamuis contrarium sentiat Nauarr. *in tract. de red. Eccl. qu.* 1. *nu.* 74. Nam in illis est eadem ratio, quæ de stipendiis pro aliis ministris, vt colligitur *exc. vnico de clericis non residentibus.*

5. TERTIA CONCLVSIO. Clerici non habent absolutum, & plenum dominium bonorum Ecclesiæ immobilium, cuiusmodi sunt villæ, castra, oppida, quæ Ecclesiæ donata sunt, vel Episcopatui, vel alicui alteri prælaturæ annexa. Ita D. Aug. *tract. 6. in Ioannem circa finem, & Thom. Valden. t. 1. l. 4. cap. 43.* contra calumniam Vuiclefi, qui obiiciebat clericis, quod vsurparent eiusmodi bona non aliter, quam laici, quod tamen falsum est. Nam clerici non possunt huiusmodi bona alienare, nec etiam locare, nisi certis conditionibus, vt docent Canonistæ super tit. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, & Summistæ verbo *alienatio*. Idem dicendum est de bonis vtensilibus, quia est eadem ferè ratio de iis, vt patet ex authentica. *Præterea* c. *de sacrosanctis Ecclesiis*, & ex Sylu. verbo *abalienatio*.

6. QVÆRES. An Episcopi, & alij prælati non Religiosi, habeant plenum dominium circa fructus, & prouentus, quos percipiunt ex bonis immobilibus. Affirmant Dom. Soto *l.* 10. *de iust. qu.* 4. *a.* 3. & Caiet. *infrà q.* 185. *a.* 7. Ratio, quia percipiũt eiusmodi fructus immediatè ob titulum secularem: ergo nõ minus iuris ad eos habent, quàm si essent Principes seculares. Antecedens patet; quia qui donarunt Ecclesiæ villas, castra, & oppida; donarunt tanquam Domini tẽporales, & prælati administrant & possident ea, tanquam Domini temporales: ergo hi eodem titulo percipiunt fructus, quo illi. Confirm. quia hæc bona non videntur Ecclesię donata ad alendos pauperes, sed ad honorem & splendorem Ecclesiæ, & præterea ad suffragia eius obtinenda.

7. QVARTA CONCLVSIO. Episcopi, Canonici, & alij beneficiarij fiunt Domini eorum fructuum, & prouentuũ, quos accipiunt ex decimis, & oblationibus fidelium saltem quoad eam partem, quæ necessaria est ad statum eorum honestam sustentationem. Est communis sententia. Ratio est, quia hæc pars est iusta merces eorum qui Ecclesiæ seruiunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Vnde sequitur, si quid velint sibi ex hac parte detrahere, posse de eo disponere, sicut de bonis secularibus. Sed tota difficultas est de illa parte fructuum, quæ non est necessaria personæ, vel statui, sed superflua. Nauarr. *in tract. de reditibus Ecclesiasticis*, conatur summis viribus ostendere, Clericos non esse Dominos illius partis redundantis, sed tantum dispensatores, ita vt ex iustitia teneantur expendere in pias causas: Et si secus fecerint, teneantur ad restitutionem. Idem sentiunt Alexander Halen. Richar. Palud. Antoninus, Gabriel, Maior, Petrus à Soto, Michael Medina, & alij citati à Couarr. in *c. cum officia. de testam.* num. 3. Est communis sententia Canonist. Addit Nauarr. idem sentiendum esse de illis, qui habent pensiones ex reditibus Ecclesiæ. Nam res, inquit, transeunt cum suo onere. Hæc sententia probatur, *primo*, quia in Canonibus dicuntur bona Ecclesiastica donata esse Domino Deo, vt patet 12. qu. 2 *c. Qui Christi* & qu. 1. c. *Res Ecclesiasticæ*. *Secundo*, quia in Ecclesia semper intellectum est huiusmodi bona particulariter pertinere ad pauperes, & viduas, & alias pias causas, vt patet ex Clemente l. 2. constit. Apostolicarum c. 29. & *ex decretis* 12. quæst. 1. c. *Præcipuas*, &c. *Ex his* 3. quia si essent Domini non prohiberentur liberè de iis testari, & disponere. At prohibentur iure canon. *Quarto*, quia in variis canonibus habetur illos esse tantum dispensatores, & non Dominos, vt 16. qu. 1. c. *Decima*, & vigesima tertia qu. 7. c. *Quod autem*, &

extrauag. *de donationibus* capite 2. *Quinto* quia in quibusdam canonibus vocantur raptores, & interfectores pauperum, qui non elargiuntur superflua, vt dist. 42. c. *Ordinamus*, & 12. quæst. 2. c. *Gloria*, & alibi sæpè. *Sexto* quia portio pauperum est confusa cum Ecclesiasticis reditibus: ergo quæ superflua ex illis sunt debentur pauperibus. *Septimo*, quia fideles ea conditione dederunt sua bona Ecclesiasticis, vt ex superfluis alerent pauperes: ergo non alter acquirunt dominium, quàm cum hac conditione, quia donationes conditionales non valent nisi conditione impleta, vt patet ex iure ciuil. c. *de donationibus quæ sub modo, vel conditione*, & ex canon. *extra de conditionibus appositis*, c. *verum*. Hæc sententia nimis rigida est, sit ergo.

8. QVINTA CONCLVSIO. Post erectionem beneficiorum, & certorum prouentuum assignationem singulis titulis factam, Clerici beneficiarij, & Episcopi, fiunt domini omnium prouentuum titulo suo annexorum, nec tenentur ad restitutionem si eos non expendant in pias causas; quamuis sub mortali ad hoc obligentur. Ita D. Thom. infra *quæst.* 185. *art.* 7. & Clarus quodlib. 6. *art.* 12. vbi distinguit duplicis generis bona, quædam primariò deputata Ecclesiasticis, & secundariò pauperibus, cuiusmodi dicit esse reditus præbendarum; & loquitur de præbendis, sicuti iam sunt. Addit verò, si Clerici hęc bona non conferant in pauperes, non teneri ad restitutionem, licet mortaliter peccent. *Alia*, inquit, *bona sunt primario deputata pauperibus, vt bona hospitalium. Et hæc nisi Ecclesiastici dent pauperibus. tenentur*, inquit, *ad restitutionem*. Idem cum D. Thoma sentiunt Adrianus *in* 4. *de restitutione quæst.* 12. Syluest. *verbo Clericus* 4 *quæst.* 20 Dom. Sotus *l.* 10. *de iustitia quæst.* 4. *art.* 3. Couarr. supra & alij recentiores. Dixi, *post erectionẽ beneficiorum*, quia antequã essent instituta, & singulis sua portio assignata, erat alia ratio. Pro quo.

9. NOTA *primo* non semper eandem fuisse rationem administrãdi bona Ecclesiastica. Nam ab initio Ecclesiastici sequebantur institutum illud vitæ communis, quod apud fideles omnes viguit Hierosolymis tempore Apostolorum, de quo Act. 2. Bona enim, quæ Ecclesiis donabantur in communi, possidebantur à Clericis, & eorum dispensatio committebatur Episcopo, qui in suum, & aliorum pios vsus fideliter distribuebat, vt patet ex Canone 58. Apost. vbi iubetur Episcopus deponi, & communione priuari, qui non fideliter egisset.

10. NOTA *secundo* postea secutum esse alium gubernandi modum. Nam cumulus bonorum Ecclesiæ diuisus fuit in 4. partes, quarum prima Episcopo, secunda Clericis, tertia fabricæ, & cultui diuino, quarta pauperibus deputabatur. Hanc diuisionem fieri curauit Syluester Papa vt patet ex *synodo Romana*, sub ipso celebrata, c. 4. & postea à pluribus Pontificibus confirmata est, vt constat ex variis *canonibus* 12. *quæst.* 2.

11. NOTA *tertio* hanc distributionem, neque statim ab omnibus receptam, nec eodẽ vbique modo factam esse: ac *primo* non fuit vbique recepta tempore D. Augustin. quia aliqui Episcopi adhuc viuebant cum Clericis, *vt patet* 12. *quæst.* 1. *c. Certè ego.* Similiter in quibusdam Ecclesiis non tantum quarta pars, sed etiam tertia contingebat Episcopo, vt patet ex c. *Requisisti*, Extra *de testamentis*, vbi dicitur, vt Episcopi accipiant tertiam, vel quartam, iuxta cuiusque loci consuetudinem. Imò alicubi media pars eorum, quæ offerebantur cedebat Episcopo, vt patet 10. quæst. 1. c. *Antiquos*, ex Concil. Aurelian.

12. NOTA *quarto*, ex hac varietate factum esse, vt iam vix in aliqua Ecclesia reperiatur illa quarta pars deputata pauperibus: omnia enim bona videntur tantum in tres partes distributa, ita vt pars pauperum sit confusa cum aliis, nec ab iis separata: Aliqui tamen

putant partem illam pauperum deueniſſe ad hoſpitalia, vel certè ex ea conſtituta eſſe beneficia præſtimonialia, quæ ſcilicet deputata ſunt ſtudio eorum, qui futuri ſunt Clerici. Sed neutrum eſt probabile. Non primum, quia pleraque hoſpitalia habent certos fundatores. Nec ſecundum, quia beneficia præſtimonialia videntur potius ſucceſſiſſe beneficiis, quibus annexa erat cura aliquarũ Eccleſiarũ, quę vel neglectę omnino erãt, vel collapſæ. Hæc tamen non ſunt omnino certa.

13. NOTA *quinto*, in iis locis in quibus diuiſio adhuc obtinet illa quadripartita, Epiſcopos eſſe veros Dominos quartæ portionis ad ſe pertinentis, ac proinde non teneri ex iuſtitia quicquam ex ea largiri pauperibus, vt apertè colligitur ex iure Canonico. Nam 12 *quæſt.* 2. *c. de redit. & alibi*, vbi mentio fit illius diuiſionis, perſpicuè dicitur, vt Epiſcopus tollat ſibi quartam partem, & illam retineat; tenentur tamen partem deputatam pauperibus dare; peccant aliàs contra iuſtitiam, & tenentur reſtituere. Hæc certa ſunt.

14. NOTA *ſexto* in alijs locis (vbi illa diuiſio non eſt, ſed pars, quæ deſtinata eſt pauperibus, eſt confuſa cum aliis rebus) poſſe Eccleſiaſticos, tanquam veros Dominos, vſurpare ſibi ex beneficiis Eccleſiaſticis tantum, quantum eſt neceſſarium ad decentem ſuſtentationem, vt ex communi ſententia dictum eſt in quarta Concluſ. Quæſtionem nec de ſuperfluis, de quibus in 5. Concluſ. dixi habere Eccleſiaſticos verum eorum dominium, nec teneri ad reſtitutionem, ſi non expendant ad pios vſus, quamuis ſub mortali ad hoc obligentur.

15. Prima pars, quæ præcipua eſt, probatur *primò*, quia nemo eſt priuandus dominio, vel proprietate bonorum ipſi attributorum, niſi ſufficienter cõſtet eum nõ poſſe habere, aut de facto non habere tale dominiũ. Item nemo eſt cogẽdus ad reſtitutionem eorum, quæ poſſidet, niſi ſufficienter conſtet eſſe aliena; atqui non conſtat

sufficiẽter, Clericos non habere dominium huiusmodi bonorum, aut hæc bona ex iustitia aliis esse debita: ergo veri sunt Domini. Maior est regula iuris. Minor probatur, quia neque cõstat ex modo donationis fideliũ, quo hæc bona ad Ecclesiam translata sunt, neque ex Ecclesiæ dispositione. Non primum, quia fideles donarunt hæc bona, tum ad poscenda suffragia, & orationes Ecclesiæ, tum ad eius splendorem & dignitatem, tum denique ad maiorem Dei honorem. Quod autem donauerint cum onere alendi pauperes, certò constare, aut probari non potest.

16. DICES. Saltem Decimas donarunt cum hoc onere. Resp. falsum est. Nam fideles non possunt Clericis imponere talem obligationem ratione decimarũ. Quia decimæ debẽtur illis ex iustitia ratione ministerij Ecclesiastici, vt docet D. Thom. *infra q. 77. a. 1.* Ratio est, quia tenetur ex iustitia populus sustentare eos, qui præbent illis spiritualia, quod etiam Ethnici agnoscunt lumine naturali: lege autem positiua, & consuetudine introductũ est, vt decima pars fructuũ daretur, ad imitationem legis veteris, vbi licet pauciores essent sacerdotes, tamen decima pars fructuũ fuit diuinitus illis determinata. Itaque ius Decimarũ est omnino spirituale, quia pendet ex titulo spirituali, ac proinde ad eas nullũ omnino habẽt ius pauperes. Sed neque ex dispositione Ecclesiæ carent dominio Clerici, quia Canones nusquam id definiunt, &, quæ ex illis in contrarium allata sunt, facilè diluuntur, vt paulo post patebit. Imo ex iure canonico probari potest Clericos habere dominium. Nam c. *vnico, de Clericis non residentibus* in 6. dicitur, quod, qui diuinis officiis non interfunt, nisi iusta ex causa excusentur, non acquirãt dominium quotidianarum distributionũ, neque faciant eas suas, sed ad restitutionem sic perceptarũ obligentur. Supponit ergo Canon, alios, qui interfunt, acquirere dominium.

17. Respondet Nauarr. & nonnulli Canonistæ acquirere dominium, quoad fidelem administrationem; sed hæc est violenta explicatio. Nam Canon non solum dicit, eos acquirere dominium distributionum, sed etiam facere eas suas. Idem probatur ex Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. *de Reformatione*, vbi statuitur, vt Episcopi qui vltra tres menses sine legitima causa absunt à suis Ecclesiis, non faciant fructus suos, pro rata temporis absentia, sed teneãtur fabricæ, vel pauperibus erogare. Similiter *sess.* 24. *c.* 12. *de Reformatione* statuitur, vt prouisi de beneficiis, curam animarum habentibus, aut canonicatibus, vel dignitatibus, fidei professionem faciãt intra duos menses à die adeptæ possessionis, alioquin, vt non faciant fructus suos. Item in eodem c. statuitur vt obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis Ecclesiis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat abesse ab iisdem Ecclesiis vltra tres menses, quolibet anno, alioqui primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ, fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit vsus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Ex his omnibus patet Clericos esse dominos suorum fructuum, quia vt loquitur Concil. Trid. *lucrantur illos & faciunt illos suos.*

18. PROBATVR *secundo* hæc sententia, quia ministri Ecclesiæ non debent esse peioris conditionis, quàm ministri Regum, ac Principum. At hi fiunt veri Domini suorum stipendiorum: ergo & illi. *Tertio* quia Ecclesia non rescindit pacta, vel donationes, quibus Clerici fructus redundantes alienant. At si non essent Domini, donationes eorum essent rescindendæ, tanquam inualidæ. Imò esset magna negligentia in Ecclesia, quod non ageret pro pauperibus, si ad eos ex iustitia pertinerent superflua ex bonis Clericorũ. *Quarto*, quia ex contraria sententia sequerẽtur duo absurda in praxi.

*Primum*

*primum* quod pauperes possent clam surripere Clericis, qui non dant superflua. *Secundum* quod deberet illis in iudicio concedi actio contra eosdem Clericos.

19. Secunda pars conclusionis, quod scilicet Clerici peccent mortaliter contra charitatem, si expendant superflua in vsus profanos, vel ad ditãdos suos amicos, est cõmunis sententia. Et probatur *primo* ex canonibus supra allatis pro Nauarr. Nam etsi ex iis non rectè probetur, Clericos ex iustitia obligari ad erogandum superflua in pauperes, tamen sufficienter probatur, eos vt minimùm ex charitate ad hoc obligari, ac proinde si non faciant, peccare contra charitatem. *Secundo* quia est expressum Ecclesiæ præceptum in Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* quo Episcopis & aliis Ecclesiasticis interdicitur, ne ex reditibus Ecclesiæ cõsanguineos, aut familiares suos augere studeant. Idem patet ex Canonibus Apost. qui ibidem pro hac recitantur, & D. Paul. 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *& ad Tit.* 1. *v.* 8. vult Episcopos esse hospitales. Imò Concil. Trid. *sess.* 1. *cap.* 23. *de Reform.* dicit præcepto diuino mandatum esse Episcopis, vt gerant curam pauperum, & aliarum personarum miserabilium.

20. Ad *primum* argumentum pro Nauarr. allatum Resp. Dona clericorum donata esse Deo, id est, donata esse ministris Ecclesiæ, ad honorem, & cultum Dei. Itaque ex eo, quod donata sint Deo, non sequitur Clericos non habere dominium illorum, alioqui neque illius partis, quæ illis necessaria est ad sustentationem, haberent dominiũ, quia etiam illa pars donata est Deo, ac fidelibus iuxta sensum prædictũ. Ad *secundum* Resp. Bona Ecclesiastica peculiariter pertinere ad pauperes, non quod pauperes habeãt eorum dominium, sed quia Ecclesiastici obstricti sunt strictissimo præcepto ad impertiendum pauperibus, non tamen ex iustitia, sed charitate. Ad *tertium* Resp. Quamuis Ecclesiastici prohi-

beantur liberè testari de bonis Ecclesiæ, id tamen non obstare eorũ dominio. Nam sicut iure ciuili sunt quædam bona vinculata, quæ ob certam causam à legitimis dominis non possunt alienari, ita iure canonico prohiberi potuit, vt Clericis non liceat sua bona testando alienare. Hoc autem ideo fit, tum ne nimium sint auari in colligendis pecuniis, quas testamento relinquant suis propinquis, tum etiam, vt in vita sint liberaliores erga pauperes. Addo tamen eos posse testari in quibusdam casibus. Primo si in aliquo loco sit talis consuetudo, vt habet Antoninus 3. *p. tit.* 10. *cap.* 3. & Couarr. in *c. Cum in officiis de testam.* Secundo, iure communi possunt testari ad pias causas. Tertio, ad remunerandum honeste officium famulorum, vel consanguineorum. Ad *quartum* Respondeo. Ecclesiasticos vocari dispensatores, & non dominos, habito respectu ad illud tempus, quo bona nondum erant diuisa: tunc enim nullius erant propria in particulari, sed totius communitatis. Ad *quintum* Respondeo. Ecclesiasticos, qui nihil dant pauperibus, per quandam exaggerationem vocari raptores, & interfectores, quia scilicet strictissimo præcepto obligantur dare pauperibus. Vnde, si non dant, sunt quodammodo causa ex sua parte, cur pauperes fame moriantur. Quod autem hæc obligatio non sit iustitiæ, sed tantum charitatis, ex eo patet, quia SS. PP. eodem loquendi modo inuehuntur etiam in Laicos auaros, quos tamen constat non teneri ex iustitia ad dandas eleemosinas, nisi in extrema pauperum necessitate. Ad *sextum* Respondeo. Non satis constare quid factum sit de quarta illa parte pauperum. Nam præter eos, qui putant ex ea constituta hospitalia vel erecta beneficia præstimonialia, de quibus supra dixi, sunt, qui putant deuenisse ad Episcopos; non vero ad clerum, vel fabricam. Sed quicquid sit, etsi deuenerint partim ad Episcopum, partim ad clerum, & fabricam, adhuc

tamen non tenentur clerici dare ex iustitia pauperibus. Ratio est, quia ante diuisionem bonorum Ecclesiasticorum vnaquæque Ecclesia, vel communitas habebat verum dominium suorum reddituum, & Episcopus erat dispensator: sicut ergo pontifex potuit facere diuisionem, vel quadripartitam, vel tripartitam, pro suo arbitrio: ita potuit eam reuocare, vel mutare pro arbitrio; cum ergo in his locis sit tantum tripartita diuisio, quam Pontifex tot annis approbauit, saltem tacitè consentiendo, nihil ex illa diuisione debetur pauperibus ex iustitia, sed totum ex præcepto Ecclesiæ, & charitatis. Ad *septimum* Respondeo. In illa donatione fidelium duo spectari posse ex parte donantium. *Primo* intentionem & finem quem habuerunt sibi propositum. *Secundo* modum, & conditionem, sub qua facta est donatio. Primarius illorum finis fuit, tum vt augerent splendorem, & cultum Ecclesiasticum: tum vt haberent suffragia, & orationes Ecclesiæ. Secundarius fortè fuit, vt alerentur pauperes ex superfluis, sed nec primarius, nec secundarius finis inducit obligationem iustitiæ. Quamuis autem conditio, sub qua donatio fit, inducat huiusmodi obligationem, tamen nullo modo probari potest, donationem fuisse factam cum hac conditione, vt ex superfluis alerentur pauperes. Et sanè si ita facta esset, Clerici auari nullum haberent planè dominium bonorum Ecclesiasticorū, ne quidem partis ad sustẽtationẽ necessariæ. Ratio est, quia quãdo tota donatio est conditionata, nullũ habet planè effectũ deficiente conditione. Hoc autem ne aduersarij quidem concederẽt.

Quæstio 7. *An Pontifex habeat dominium temporale totius orbis.*

1. AFfirmant Aug. Triumphus in summa *de potestate Ecclesiæ quæst.* 1. *a.* 1. Aluarius, Pelagius *lib.* 2. *de planctu Ecclesiæ cap.* 13. Hostien. in c. *Quod super his*; de voto & voti redemptione. Panormitanus in

c. *Nouit. de iudicijs.* Syluester verbo *Papa*, & alij non pauci ex Iureconsultis. Loquuntur autem de dominio temporali, tam iurisdictionis, quàm proprietatis, asserentes vtrumq; diuino iure competere Pontifici. Fundamentum est, quia Christus habuit supremum dominium totius orbis, non tãtum spirituale, sed etiam temporale, iuxta illud Matt. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* At Christus vtramquè potestatem dedit Petro, quando porrexit illi claues, vt fatetur Nicolaus Papa in Epist. ad Mich. his verbis. *Christus B. Petro vitæ æternæ clauigero, serreni scilicet, & cælestis imperij iura commisit.* Huc etiam spectat quod Christus concesserat Petro duos gladios, *Luc.* 22. 38. Cum enim discipuli dicerent. *Ecce duo gladij hìc*; non dixit Christus, Nimis est; sed. *satis, est.* Vnde D. Bernard. *lib.* 4. *de consid.* & Bonifac. VIII. in Extrauag. *Vnam sanctam*, de Maioritate & obedientia, ex hoc loco deducũt Põtificem duos gladios habere ex Christi institutione.

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus homo non fuit Rex temporalis, nec habuit dominium, aut Iurisdictionem temporalem in hoc mundo. Ratio est, quia regnum temporale potest acquiri quatuor modis, aut titulis. *Primò.* Hæreditate. *Secundò.* Electióne populi. *Tertio.* Iure belli. *Quarto.* Speciali donatione superioris. At Christus nullo horum modorum acquisiuit. Nõ primo, quia tametsi natus fuerit ex regia familia Dauidis, tamen regnum ablatum fuit ex illa familia, antequam Christus nasceretur, vt patet Ierem. 22. vers. 30. Nec secundo, quia noluit acceptare electionem suam in Regem. *Ioann.* 6. *v.* 15. *Cùm cognouisset, quia venturi essent, vt facerent eum Regem, fugit iterum in montem solus.* Nec tertio, quia nunquam gessit bellum cum Principibus terrenis ad inuadendum regnum. Nec quarto, quia pater dedit illi regnum spirituale, non temporale, *Luc. cap.* 1. *v.* 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid*

*patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Et Matt. c. 21. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et Psalmo 2. v. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Hæc, & similia loca, debent intelligi de regno spirituali, vt ipsemet Christus explicat Ioan. 8. v. 36. cum ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Porro regnum illud spirituale acquisiuerat iure belli, quia scilicet vicit Diabolum, qui regnabat in cordibus hominum, per vitia, & peccata; & in ijsdem cœpit ipse regnare per fidem, & charitatem. Vnde Ioan. cap. 12. v. 32. dicit. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Confirmatur conclusio. *Primo.* Quia potestas temporalis non erat CHRISTO vtilis ad suum finem consequendum: venerat enim ad redimendum genus humanum, & ad persuadendum hominibus contemptum rerum terrenarum. Ad hoc autem nihil prodest iurisdictio temporalis, præsertim in eo qui intus operatur in corde, & non per externam vim, & coactionē. Confirmatur. *Secundo,* quia Christus nunquam exercuit potestatem temporalem. Nam (vt ipse de se fatetur) venerat ministrare, & non ministrari.

3. DICES, Exercuit illam, eiiciendo è templo emētes, & vendentes. Resp. Hoc non est signum potestatis Regiæ. Nam Sacerdotes possunt aliquem eiicere è templo, etiam ipsum Regem, vt patet 2. Paralip. 26. 20. vbi Ozias Rex à Sacerdotibus vi eiicitur è templo. Et Prophetæ solent aliquando diuino quodam zelo incitari ad simile aliquid perpetrandum, quo pacto Elias occidit Prophetas Baal. Simili zelo vsus est Christus. Vnde dicebant Iudæi, *quod signum ostendis nobis, quia hæc facis,* id est, vnde sciemus te Prophetam, & missum à Deo cum tali potestate.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Pontifex, quatenus Christi vicarius est, directè non habet vllum dominium temporale iure diuino; quamuis habeat indi-

rectè. Prima pars sequitur ex dictis, quia iure diuino non habet, nisi vicariam potestatem Christi. At Christus non fuit Dominus temporalis: ergo nec Pontifex. Secunda pars probatur, quia in Ecclesia Christiana potestas temporalis subiecta & subordinata est potestati spirituali: ergo Princeps spiritualis potest imperare Principi temporali & disponere de rebus temporalibus, in ordine ad bonum spirituale. Antecedens patet *Primo*, quia finis potestatis temporalis subordinatur fini spirituali. Nam pax & tranquillitas Reipub. ciuilis, non est absolutè finis vltimus, sed ordinatur ad pacem & tranquillitatem æternam. *Secundo*. Quia Ecclesia Christi est vna tantum: ergo Princeps spiritualis, & temporalis, constituunt vnam Remp. Christianam: ergo sunt membra vnius corporis: ergo inter se connexa, & dependentia vnum ab alio. Sed spiritualia membra non dependent à temporalibus: ergo hæc ab illis. Confirmatur exemplis, quia tam in veteri, quàm nouo testamento sæpe contigit, vt pontifices & Episcopi imperarent, punirent, aut deponerent Reges, & Imperatores. Nam Ozias Rex à Sacerdotibus eiectus fuit è templo. 2. *Paral*. 26. 20. Item Athalia Regina ob tyrannidem iussa est interfici authoritate Pontificis 2. *Paral*. 23. 14. & 4. *Reg*. 11. 9. Item S. Ambros. excommunicauit Theodosium Imperatorem, propter cædem Thessalonicæ factam. Possunt ex historiis peti plura exempla Pontificum, vt Gregor. II. Zachariæ, Leon. III. Gregor. V. & VII. Innoc. III. Clem. V. qui Reges & Imperatores deposuerunt, aut alio modo de rebus temporalibus disposuerunt, in commodum spirituale subditorum.

5. DICES *Primo*. pontifex videtur habere hanc potestatem directè: hoc enim significant duo gladij, vt interpretantur Bernard. & Bonif. supra citati, quibus fauet Nicol. papa in Epist. ad Michaëlem. Respon.

Christus (Luc. 22.) non agit de gladio temporali, & spirituali, sed de gladiis propriè dictis: voluit enim monere discipulos, tantum fore eorum metum, & trepidationem, quanta solet esse in iis, qui tunicam vendunt, vt emant gladium, ad se defendendum. Atque hic sensus literalis est, quem Bernardus, & Bonif. mysticè interpretati sunt de potestate spirituali, quam habet Pontifex directè, & de temporali, quam habet indirectè. Porro verba quæ ex Nicolao allata sunt, citantur quidem à Gratiano d. 22. c. *Omnes*, sed non habentur in Epist. Nicol. Papæ; si tamen sunt Nicolai verba, debent hoc modo intelligi, quod Christus commiserit Petro iura imperij cœlestis, & terreni, i. esse potestatē soluendi in cœlis, & in terris, iuxta illud Matt. 16. v. 19. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

6. DICES *secundo*. Omnes lites, & contentiones, tam spirituales, quam temporales, pertinent ad iudicium Pontificis, vt expressè habetur, c. *Quicunque litem*, &c. *quæcunque contentiones* 11. *qu.* 1. ergo Pontifex habet potestatem spiritualem, & temporalem. Resp. Prior canon est Theodos. Imp. qui ex pietate, non autem ex debito, detulit hoc Pontifici, & aliis Episcopis, vt possent iudicare causas ciuiles, quæ ad ipsos deferrentur. Posterior canon est incertæ authoritatis, & ideo notatur per vocem Palea. Posset tamen exponi hoc modo, vt contentiones ciuiles, quæ nequeunt terminari per seculares iudices, deuoluantur ad iudicium Ecclesiæ per viam correctionis fraternæ, vt docet Innoc. III. c. *Nouit. de iudicys.* Quando enim vel iudex secularis non vult administrare iustitiam, vel altera pars non vel obedire, recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum, qui moneat eos sui officij, &, si contumaces sint, adhibeat excommunicationem.

7. DICES *tertio*. Vacante Imperio per mortem Imperatoris Pontifex administrat, & vtitur imperiali

potestate, donec nouus Imperator fuerit electus, vt habet Innoc. III. c. *Licet*. de foro competenti, & ex Conc. Viennen. Clement. *Pastoralis*, de sententia & re iudicata: ergo signum est Imperatoriam potestatem à Pontifice tanquam summo temporali Principe dimanare. Resp. Pontifex vacante Imperio non succedit Imperatori in omnibus, sed solùm in authoritate iudicandi, & terminandi eas causas, quæ à solo Imperatore iudicari solent, & non patiuntur facilè moram. Ratio huius nō est, quod Pontifex sit summus Princeps temporalis, sed quia causæ omnes, quæ non possunt definiri per temporales Iudices, deuoluantur ad Iudicem spiritualem, vt ex Innoc. diximus.

QVÆST. VIII. *An Pontifex iure humano habeat dominium temporale?*

1. NEgant Hæretici: præsertim, Caluinus Brentzius, Petrus Martyr, & Magdeburg. qui tria asserunt. *Primo*. Pontificem iure diuino nullam habere temporalem potestatem. *Secundo*. Nec posse vllo modo impetrare Principibus secularibus, neque regnis, & principatu eos priuare; etsi illi priuari alioqui mereantur. *Tertio*. Non licuisse Pontifici aut aliis Episcopis aocipere temporale dominium, quod tunc habent in quasdam vrbes & prouincias, siue dono, siue vsurpatione. Ratio est, quia ius diuinum prohibet, vt vni homini simul committatur gladius spiritualis, & temporalis. Hinc infert Magdeburg. manifestam esse notam Antichristi, quod Pontifex habeat duos gladios, vndecumque illos acceperit. In *primo* puncto non dissentimus, vt ex dictis patet. Secundum falsum est, vt probaui in concl. 2. præced. quæst. De tertio hic agitur.

3. PRIMA CONCLVSIO. Non repugnat iuri diuino Pontificem simul esse Principem temporalem, & spiritualem. Probatur *primò*, quia nusquam id prohibetur lege diuina. Imo habemus contraria exempla.

Nam in lege naturæ Melchisedech fuit Rex, & Pontifex. *Genes.* 14. 18. *& Hebræ.* 7. 3. Item in lege scripta Moyses, Heli, Machabæi, præter iurisdictionem spiritualem, & sacerdotium, habuere temporalem. Deniq; in lege Euangelica commendantur Reges & Imperat. qui Pontifici Romano, & aliis Episcopis donarũt principatus temporales, vt Constantinus, Carolus M. Ludouic. Pius. Contra verò reprehenduntur illi, qui eiusmodi principatus auferre conati sunt, vt Haistulfus Rex Longob. Henr. IV. & V. Otto IV. Frideric. I. & II. De quibus vide Baron. in Annalibus.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Pontifex de facto habet dominium temporale, idque iustè, licitè, & vtiliter. Quod de facto habeat, concedunt Aduersarij. Quod iustè, & licitè habeat, facilè probatur. Quia ex liberali donatione principum habet, vt patet ex authẽticis instrumentis, quæ Romæ extant. Denique quod vtiliter habeat, ex eo patet, quia Pontifex, & Episcopi habentes dominia temporalia, possunt vi & armis defendere religionem Christianam, quando Principes seculares, aut Hæretici sunt, aut timidi, aut negligentes, aut certè non satis potentes viribus.

4. Obiicitur *primo* illud Matth. 20. v. 25. *Principes gentium dominantur eorum, non ita erit inter vos.* Hinc colligit Caluin. 4. *instit.* 11. officium pastoris debere separari ab officio Regis, & Principis. Resp. Christus illis verbis instruit Apostolos tanquam pastores gentium, vt non præsint subditis more Dominorum, sed more patrum. Quod clarius explicat S. Petrus 1. Epist. cap. 5. v. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coactè, sed spontaneè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

5. Obiicitur *secundo* Luc. 12. v. 14. *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Hic reiicit Christus officium iudicandi temporaliter, tanquam non

consentaneum officio prædicandi, sicut etiam Apostoli act. 6. v. 2. dixerunt. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Respondeo. In vtroque loco monentur Pontifices, & principes, ne minutioribus officiis ita occupentur, vt omittere cogantur maiora. Hoc modo Ietro cum vidisset Moysen toto die sedere ad iudicandum, prudenter eum admonuit, non quidem, vt deponeret principatum secularem, & seruaret solum Ecclesiasticum, sed vt constitueret minores Iudices, qui illum in causis leuioribus adiuuarent, & ipse circa grauiora occuparetur.

7. Obiicitur *tertio* 2. Timoth. 2. v. 4. *Nemo militãs Deo implicat se negotiis secularibus.* Resp. Apostolus non prohibet regimen seculare, sed vnicam solicitudinem circa vitam corporalem: & vt bene monuit Chrysost. dicuntur hæc à Paulo non tantum Episcopis, sed aliis etiam hominibus.

7. Obiicitur *quarto*, Authoritas D. Bernard. & Nicol. Papæ. Verba Bernar. l. 1. de consid. ad Pontificem Eugenium sunt hæc: *Forma apostolica hæc est: Interdicitur Dominatio, indicitur ministratio.* Et Nicol. Papa in Epist. ad Michaëlem dicit, fuisse quidem ante aduentum Christi eosdem Reges, & Pontifices; sed Christũ ista officia separasse. Resp. Bern. loquitur de eo, quod habet Pontifex iure diuino, & Apostolico: non autem de eo, quod habet iure humano, vt ipsemet se explicat. Nicol. vero hoc solum vult dicere non conuenire, vt idem sit Pontifex totius orbis: & simul Imperator totius orbis, non quod repugnet; sed quia non expedit, ad humilitatem conseruandam.

## CAPVT IV.

### *De obiecto Dominij.*

HIc examinandum est, quæ res cadant sub Dominium hominis. Sunt autem quædam corporales, aliæ spirituales. Item quædam internæ, quædam

externæ. De quibus sigillatim.

Quæstio 1. *An homo sit Dominus vitæ suæ & membrorum.*

1. NEgant D. Thom. *quæst.* 64. *art.* 5 *ad* 3. Caiet. *quæst.* 150. *art.* 2. & *quæst.* 154. *art.* 6. Dom. Soto *lib.* 4. *de iustitia quæst.* 2. *art.* 3. Franc. Victoria, *in relectione de homicidio num.* 25. & alij communiter. Ratio est, quia homo non potest pro arbitrio disponere de vita & membris. Nunquam enim potest iustè se occidere, vt docet D. Thom. *quæst.* 64. ex D. Aug. 1. *Ciuit.* 19. Confirmatur, quia si quis velit seipsum interficere, potest ab alio vi impediri: si tamen velit suam domum comburere, vel pecuniam abiicere, nemo potest illum prohibere.

2. Contrarium docet Mart. Ledesma *in* 4. *q.* 18. *a.* 1. *dub.* 5. Ratio est, quia homo habet ius perpetuo possidendi, vtendi, & fruendi vita sua, & membris pro arbitrio, in quo consistit ratio Dominij. Vnde etiam D. Thom. *quæst.* 64. *art.* 5. dicit vitam esse quoddam donum diuinitùs homini tributum, & eius potestati subiectum. Confirmatur ex effectibus. *Primo* potest homo alteri vendere, vel donare ius vtendi suo corpore, & membris, quoad has, vel illas actiones. *Secundo* quia qui mutilat, vel occidit alterum, aut impedit vi ne suas actiones exerceat, facit illi iniuriam: ergo priuat illum suo iure: ergo alter habet ius vitæ, & membrorum. *Tertio.* Potest quis exponere suam vitam euidenti periculo, & si necessitas vitæ postulet, potest sibi membrum abscindere: ergo potest disponere de vita, & membris: ergo habet eorum dominium.

3 Dices *Primo.* Non potest se iustè occidere. Cõtra, quia hoc non est sufficiens signum, quod non sit Dominus. *Primo.* Nam satis est ad dominium posse libere disponere de re ad omnem vsum lege non prohibitũ, vt patet in bonis vinculatis. *Secundo*, quia satis est,

vt vsus non sit iniustus, quamuis alioqui sit illicitus. Si quis autem se occidat, licet peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam.

4. DICES *secundo*, peccat contra iustitiam respectu Reip. vt docet Aristoteles 5. *Ethi* 10. & D. Thom. *q.* 59. *a.* 3. *ad* 2. Contra, quia hoc non obstat. Nam si aliqua est hic iniuria contra Remp. illa est contra iustitiam legalem: non autem commutatiuam. At legalis iustitia non obstat proprio dominio.

5. PRIMA CONCLVSIO. Homo non est simpliciter Dominus vitæ suę, neque membrorum eorum, ex quibus vita pendet, loquendo de dominio directo, seu proprietatis. Ratio est, quia non habet directum ius, seu potestatem in substantiam ipsius vitæ. Nunquam enim potest se occidere, non quidem per accidens ratione prohibitionis, sicut fit in bonis vinculatis, sed per se ex defectu iuris, & potestatis, cuius signum est, quia in aliis rebus, quarum homo simpliciter est Dominus, licet aliquando vsus earum sit prohibitus, semper tamen occurrit aliquis casus, in quo sit licitus. Potest enim homo perdere omnes suas facultates etiã vinculatas, propter maius bonum commune: seipsum verò occidere nulla de causa potest. Confirmatur *primo*, quia dominium semper supponit eum, qui debet esse Dominus. Fũdatur enim in libero eius arbitrio, vt supra dictum est, sed vita non supponit hominem, qui futurus sit Dominus, neque pendet ex libero eius arbitrio. *Secundo*, quia dominium requirit quãdam habitudinem superioris: ergo neque homo, neque Angelus, neque ipse Deus potest esse dominus propriæ vitæ, quia nemo illorum superior est respectu propriæ vitæ.

6. SECVNDA CONCLVSIO. Nec Respub. habet dominium vitæ suorum subditorum, sed solus Deus. Prima pars probatur, quia resp. non potest pro suo arbitrio disponere de vita hominis, nec vlla de causa in-

nocentem occidere. Quod autem possit occidere nocentes, hoc facit tanquam minister, & instrumentum Dei, cuius loco gladium portat, *Rom.13. v.4.* Secunda pars patet ex illo *Deut.32.v.39. Ego occidam & ego viuere faciam.* Et Sap. 16. *v.13. Tu enim es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Ratio est, quia Deus titulo creationis Dominus est omnium creaturarum.

7. TERTIA CONCLVSIO. Licet homo non habeat dominium directum suæ vitæ, habet tamen dominium vtile, ac proinde licet non sit proprietarius, est tamen vsufructuarius. Hoc probant rationes Mart. Ledesmæ. Et confirmatur, quia est Dominus omnium suarum actionum & iurium, quæ possunt fundari in libertate arbitrij. Hac ratione vnus homo cadit in dominium alterius, vt post dicam.

Quæst. 2. *An homo sit Dominus suæ famæ & honoris.*

1. NEgant Caiet. *q.37. a.2.* & in summa verbo, *Detractio*, Antoninus *part.2. tit.2. c.2. §.3.* Sylu. v. *Detractio*, Maior. *in 4. d.15. q.16.* Affirmant Adrian. *in 4. in materia de restitut. qui penult.* Dom. Soto l.4. *de iustitia q.2. a.3.* Nauarr. *c. Inter verba num.106. & 332.* Et alij recentiores. In vtramque partem citatur D. Thom.

2. NOTA. Duas quæstiones hic debere distingui. *Prima* est, quod Ius habeat homo in suam famam. *Altera*, quando peccet se infamando, seu quando obligetur ad defendendam suam famam. De priori hic agitur. De posteriori, infra in materia de detractione.

3. PRIMA CONCLVSIO. Homo simpliciter est dominus suæ famæ. Probatur *Primo*, quia acquirit illam proprio labore & industria sicut diuitias: ergo eodem modo acquirit illius dominium. *Secundo.* Quia potest illam prodigere citra vllius iniuriam: nulla enim lex iustitiæ id prohibet. Imo aliquando est consilium, vt

aliquis propter maius bonum priuet se fua fama, quod est signum alicuius dominij.

2. Secvnda Conclvsio. Hoc dominium potest esse aliquando ligatum, & impeditum, vel ita alijs obligatum, vt nõ liceat vti propria fama in omnem vsum, ne inde nocumentum alijs afferatur. *Primo*, quia fama patris natura sua obligata est filiis. *Secundo*, fama vnius hominis sæpe coniuncta est cum fama consanguineorum. *Tertio*, quia fama prælati est quasi ex iustitia obligata subditis. Vnde in his casibus non potest quis dispensare ita de fama sua, ac si esset omnino liber, quia tenetur consulere famæ aliorum. Ita tamen non est contra rationem dominij, vt patet in simili de bonis vinculatis. Nam etiam paterfamilias, tametsi sit dominus suorum bonorum; tenetur tamen non dissipare illa cum damno familiæ: Sicut etiam principes non cum damno Reip. Ratio quia fieri potest, vt aliquis sit Dominus vnius rei; & tamen sit obligatus ad illam alteri conseruandam. Item fieri potest, vt quis habeat domum v. g ita coniunctam cum domo alterius, vt non possit illam destruere, quin alterius destruatur, & tunc est impeditus saltem ex charitate ad talem vsum rei suæ, non per se, quasi non sit Dominus, sed per accidens ratione alterius.

3. Tertia Conclvsio. Non obstante dominio proprio, quod singuli ciues habent ad suam famam, respubl. habet etiam suum ius, & dominium alium eiusdem famæ. Probatur *primo*. Quia ad omnia bona subditorum Respubl habet tale ius. *Secundo*. Quia potest vti fama subditorum in omnem vsum necessarium ad bonum communitatis. *Tertio*. Quia ciuis, seipsum infamando, facit aliquam iniuriam Reipubl. saltem contra iustitiam legalem: & potest esse tam magna infamia, vt committatur peccatum magnum, de quo alias.

6. QVÆRES *primo*. An dominium famæ sit naturale. Respondeo. Affirmatiuè. Ratio est, quia sublato omni iure positiuo, ex solis principiis naturæ, habet homo Ius ad suam famam defendendam, & alij tenentur eodem iure naturali non lædere ipsius famam.

7. QVÆRES *secundo*. An hoc dominium possit vendi, vel in alium transferri. Respondeo: Duobus modis id fieri potest. *Primo*. Propria voluntate. Nam cum homo sit dominus suæ famæ, potest cedere suo iuri, vel illud in alium transferre, siue per liberalem, siue per onerosum contractum. *Secundo*. Communi voluntate, per legem, vel iustam condemnationem, qua aliquis in pœnam sua fama priuatur, sicut alij bonis temporalibus.

QVÆST. III. *An homo sit Dominus bonorum spiritualium.*

1. NEgat Dom. Soto 4. *de iust. quæst.* 2. *a.* 1. Ratio est, quia solus Deus dat gratiam & gloriam. *Secundo*. Quia bona spiritualia non possunt acquiri per industriam humanam, vt definitum est in Concilio Mileuitano. Nam vt ibidem dicitur, Deus efficit eiusmodi bona in nobis sine nobis. *Tertio*. Quia homo sine peccato non potest gratiam, & alia bona spiritualia exponere periculo.

2. Contrarium docet Melch. Canus *in Relect. de pœnitentia p.* 4. *ad* 2. & plerique recentiores. Ratio est, quia homo habet dominium omnium eorum, quæ in ipso sunt præter propriam vitam, cum eorum facultas, & vsus sit in illius potestate, iuxta illud Eccles. 15. *Deus fecit hominem rectum, & reliquit illum in manu consilij sui. Ante hominem vita & mors, malum & bonum.*

3. PRIMA CONCLVSIO. Probabile est hominem aliquo modo esse dominum bonorum suorum spiritualium, quæ pertinent ad gratiam gratum facientem. Ratio est, quia aliquo modo acquirantur per in-

dustriam humanam. Est enim necessaria in homine adulto cooperatio ad recipiendam gratiam sanctificantem. *Secundo*, quia qui peccando amittit gratiam, non peccat spiritualiter contra iustitiam, alioquin in qualibet transgressione mortali essent duo peccata, alterum contra iustitiam, alterum contra aliam virtutem, contra quam peccatur.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Homo non videtur esse Dominus bonorum spiritualium, quæ pertinent ad gratiam gratis datam, cuiusmodi est donum prophetiæ, linguarum, miraculorum. Ratio est, quia in his recipiendis merè passiuè se habet: non enim acquirit ea per propriam industriam, sed à solo Deo sine vlla præuia dispositione conferuntur. *Secundo* quia homo non potest iis liberè vti, quando vult, vt patet in Balaam.

5. DICES. Non requiritur ad dominium, vt aliquis per propriam industriam acquirat rem aliquam: potest enim etiam dominus esse eorum, quæ ex liberali donatione acquirit. Respondeo. Verum est: nihilominus tamen, quando quis in acquisitione alicuius rei merè passiuè se habet, & præterea non habet liberum eius vsum, prout vult, tum non censetur habere perfectum dominium.

QVÆST. IV. *An vnus homo possit habere dominium alterius?*

EX dictis constat non posse habere directum dominium vitæ & membrorum hominis alterius, quia hoc dominium est in solo Deo, vt quæst. 1. dictum est. Est ergo quæstio de dominio vtili. Ratio dubij est, quia homo iure naturali est liber, & seruitus est contra Ius naturæ, vt habetur Institution. §. *seruitus*, de iure personarum, & L. *libertas*. ff. *de statu hominum*: ergo dominium vnius hominis in alium est contra Ius naturæ: ergo nullo modo licitum.

2. PRIMA

2. PRIMA CONCLVSIO. Iustè potuit in homines induci, vt vnus esset verè dominus, & alius verè seruus. Est de fide, quia scriptura expressè approbat hanc seruitutem (*Exodi* 21. *v.* 5. *& Leu.* 25. *&* 45. Et Apostoli præcipiunt seruis, vt obediant suis Dominis, & obseruent iura seruitutis: (1. *Corinth.* 7. *v.* 21. *Ephes.* 6. *v.* 5. 1. *Timoth.* 6. *v.* 1. *&* 1. *Petr.* 2. 18.) Nec dici potest, eos loqui de seruitute latè sumpta pro famulatu, qui loquuntur de ea seruitute, quæ tunc erat in vsu apud Romanos; nempe de seruitute mancipiorum. Hoc indicat Paulus 1. Timot. 6. v. 1. cum ait. *Quicumque sub iugo sunt serui.* Ratio conclusionis est; quia homo habet dominium vtile vitæ & membrorum, vt patet ex 1. quæst. Ergo potest illud legitimè in alium transferre: ergo vnus potest cadere sub dominium alterius.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Vnus potest effici seruus alterius duobus modis. *Primo* libera voluntate. *secundo* iusta necessitate. Non loquor de homine qui iam seruus est, cuius dominium transfertur in alium. Quia hæc translatio potest fieri iisdem modis, quibus fit translatio aliarum rerum, de quibus infrà: loquor ergo de prima acquisitione dominij in hominem, per quam fit seruus, quæ fieri potest vel libera voluntate eius, qui fit seruus; vel certè iusta necessitate, etiam sine illius consensu.

4. TERTIA CONCLVSIO. Prior modus diuiditur in alios duos modos. Nam potest aliquis propria voluntate transferre dominium sui ipsius in alium dupliciter. *Primo* per liberalem donationem. *secundo* per venditionem, vel alium contractum æquiualentem. Et hic secundus modus approbatur. *Exod.* 21. *v.* 2. *& Leuit.* 25. *&* 47. Et in iure ciuili, vt infrà citabimus. Primum modum non inuenio probatum in aliqua lege scripta; si tamen solam rationem naturalem attendamus non videtur improbabilis. Nam ex natura rei, quicquid ho-

mo potest licitè vendere, potest etiam donare; si ergo potest seipsum pretio vendere, cur non etiam donare.

5. NOTA *primo* quod sicut ius humanum potest præscribere certum modum in contractibus humanis, sine quo inualidi sint, neque vim habeant transferendi dominium, vt infrà dicemus; ita etiam in proposito facere potest, & reipsa fecit. Adhibuit enim certas conditiones quæ seruari debent in venditione hominis. *Prima* est, vt is qui se vendit aut ab alio permittit vendi sit maior 20. annis, L. 1. ff. *quibus ad libertatem proclamare non licet. Secunda est*, vt, qui se vendit, sit particeps pretij, L. *cit.* & l. *Non ideo*, C. *de liberali causa*. Et per hanc conditionem impeditus videtur iure ciuili modus efficiendi se seruum per liberalem donationem. Nam leges volunt, vt fiat per contractum oneroſum, & ob id requirunt, vt qui vēditur, participet pretium. *Tertia* est, vt emptor ignoret, eum qui venditur, esse liberum, & putet esse seruum. Nam si cognoscat hominen esse liberum, & tamen emat, non acquirit dominium secundum iura, vt patet ex L. *liberis*, ff. *de liberali causa*. Et ratio est, quia iura volunt impedire talem contractum, eò quòd videatur esse cōtra debitam humanitatem *Quartam* conditionem addit Glossa §. *Serui* instit. *de iure pœnarum*, vt scilicet is, qui venditur, sciat se eo tēpore, quo venditur, esse liberum. Quæ licet non sit expressa in iure, tamen colligitur ex illo, & ex ratione naturali. Quia alioquin non esset contractus voluntarius ex vtraque parte, quod tamen maximè necessarium est. Et ideo iura requirunt ætatem 25. annorum, vt possit reclamare, si iniustè vendatur, l. 4. ff. *quibus ad libertatem*.

6. NOTA *secundo* tres priores conditiones esse merè humanas & positiuas, ideoque solum possunt obligare imperium Romanum, & nunc non obligant, nisi vbi receptæ sunt. Alibi verò standum est iure naturali, & positiuo cuiusque regni, quod notandum est pro

emptionibus & venditionibus Æthiopum.

7. QVARTA CONCLVSIO. Posterior modus diuiditur in tres alios modos: potest enim aliquis fieri seruus iusta necessitate tripliciter. *Primò* in pœnam delicti, vel per leges humanas, vel per iustum bellum. *Secundò* iure paterno. *Tertiò* iure natiuitatis. Quod ad primum attinet, sicut leges humanæ possunt pœnam mortis statuere in delinquentes, ita & pœnam seruitutis, quæ mitior est. Vide in Decretalib. *C. Ita quorumdam; de Iud. & Sarac.* vbi, qui ad Saracenos deferunt arma contra Christianos, vel illis fauent, seruitute mulctantur. Item dist. 32. c. *Eos qui*, & c. *Tum multæ* 15. quæst. 8. vbi mulier contrahens matrimonium cum clerico, in sacris constituto, & filij ex talibus nati dicuntur posse affici seruitutis pœna: item in iure ciuili l. *si manu missus*, §. *de libertis & eorum liberis*. Vbi serui manumissi propter ingratitudinem erga Dominum seruitute puniuntur. De bello est eadem ratio. Nam si hostes possũt iustè occidi, possunt etiam seruitute affici. Hinc ex quadam æquitate introductum est iure gentium, vt iusto bello capti seruarentur in vita, & seruituti subiacerent. Quod ad secundum attinet, iure ciuili concessum est patri vt possit filium vendere: seruatis tamen his conditionibus. *Prima* est, vt hoc non fiat, nisi in magna patris necessitate. L. 2. C. *de patribus, qui filios distraxerunt*. *Secunda* est, vt venditio non sit absoluta, sed quasi sub pacto de retrouendendo; vult enim æquitas iuris, vt qui à patre emit filium quandocumque fuerit illi pretium redditum, teneatur filio libertatem cõcedere, vt habetur L. *cit.* quæ etiam statuit, vt talis filius non subeat postea conditionem Liberti, sed retineat statum Ingenui. Quod ad tertium attinet cautum est iure ciuili, vt, qui nascitur ex matre serua, siue pater sit liber, siue non, iure natiuitatis sit seruus, quia partus sequitur ventrem l. *Partum*. C. *de rei vindicatione*. Inſtit. *de iure personarum*, §. *penultimo*.

8. Nota tamen D. Thom. *in 4. dist. 36. quæst. 1. art. 4.* extra Imperium Romanum vigere aliam consuetudinem, nempe vt filius sit seruus, siue pater, siue mater sit serua. Atque adeò vt filius sequatur deteriorem cõditionem parentis. Quod etiam habetur 32. quæst. 4. *c. Liberi.* Quamuis Glossa ibi exponat, filium sequi deteriorem, id est, debiliorem, nempe matrem. Addunt Syluester, & Angelus v. *Seruitus*; in quibusdam locis introductum esse, vt natus ex serua, si pater sit liber, nascatur liber, & è contrario. Itaque totum hoc negotium pendet ex humano iure quod seruandum est, quando non repugnat iuri diuino, aut naturali. Vlterius addo iure ciuili necessarium esse, vt mater sit serua toto tempore à conceptione vsque ad natiuitatem filij. Nam si vel in vno instanti illius temporis sit libera, nascitur filius liber, quia filius in eo instanti fit liber, & postea non redigitur in seruitutem, L. *Et seruorum*, ff. *de statu hominum*, & instit. *de ingenuis*, §. 1.

9. Ad argumentum initio positum. Respondeo hominem iure naturali esse liberum, quia scilicet iure naturæ non habet homo dominium in alterum hominem: omnes enim homines naturæ conditione sunt pares, cùm sint eiusdem naturæ, ex eodem parente, & ad eundem finem conditi. Quod autem obijcitur, seruitutem esse contra ius naturæ introductam, verum est si intelligatur de prima rerum constitutione, qua omnes homines iure naturæ erant liberi. Non tamen verum est, si spectentur circumstantiæ, propter quas licitè potuit introduci, vt vnus seruiret alteri. Nam multa facta sunt circa homines post peccatum originale, & alia actualia, quæ repugnant primæ hominum creationi, & statui originalis iustitię: non tamen repugnant homini post lapsum & peccatum.

## CAPVT V.

### *De prima Diuisione rerum & Acquisitione.*

CONSTAT initio omnia fuisse communia iure naturæ, & postea secutam esse omnium rerum diuisionem, qua quisque certæ alicuius portionis dominium acquisiuerit. Est ergo quæstio, quomodo facta sit hæc diuisio, & quo iure, & consequenter quomodo acquisita sint dominia.

Quæst. 1. *Quomodo facta sit prima rerum diuisio?*

1. CONCLVSIO VNICA. Hæc diuisio facta est partim occupatione, partim sortitione. Nã posteri Adæ, vt quisque aliquid primò occupabat, ita Dominus efficiebatur. Post diluuium verò, præsertim post confusionem linguarum, filij Noe sorte diuiserunt terram, & quisque suam partem accepit, Genes. *cap.* 10. *v.* 11. Postea, crescente genere humano, singulæ partes iterum diuisæ sunt, seruata proportione cuiusq; familiæ.

2. QVÆRES. Quando prima diuisio facta sit. Resp. constat factam fuisse tempore Cain & Abel filiorum Adæ. Nam Cain, & Abel, habuerunt distincta peculia, vt patet Gen. 4 vbi legimus Cain ædificasse sibi ciuitatem, & Abel obtinuisse de primogenitis gregis sui.

Quæst. 2. *An hæc diuisio fuerit vtilis & licita?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Fuit generi humano valde vtilis, & quodammodo necessaria. Nam si facta non esset sequerentur multa incommoda. Homines enim sunt propensi ad otium, & voluptatem. Itaque si essent omnia communia, nemo vellet pro aliis terram colere: & tamen quisque vellet delicatè viuere. Hinc orirentur rixæ, & dissensiones. Vnde infertur hanc diuisionem non futuram fuisse tam necessariam in statu innocentiæ: tunc enim neque terra fuisset tam sterilis, neque homines obnoxij tam prauis affectionibus.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Non solum vtilis, sed etiam licita fuit hæc diuisio. *Primo*, quia Scriptura eam

approbat: præcipit enim dare eleemosynas, mutuare, donare, debita soluere. Item prohibet furari, & aliena retinere: hæc autem omnia supponunt rerum diuisionem, & dominium. *Secundo* probatur exemplo sanctorum hominum, qui habuerunt proprias facultates, vt Abraham, Isaac, & Iacob. *Tertio*, quia quidam ab Ecclesia damnati sunt (dicti *Apostolici*) quod assererent dominia esse illicita, neque hominem saluari posse, nisi viueret instar Apostolorum, nudus ab omni diuitiarum proprietate, vt refert August. *in libr. de hæres. c.* 40. Similiter in Conc. Constantiensi sess. 8. damnatus est Vviclefus, quod docuerit, illicitum esse Ecclesiasticis habere possessiones. *Quarto*, quia nullo iure prohibita est eiusmodi diuisio.

2. DICES *Primo*. Iure naturali videtur prohibita, quia iure naturali omnia sunt communia. Respondeo omnia sunt communia iure naturali, non eo sensu, quasi Ius naturale præcipiat omnia esse communia, & prohibeat rerum diuisionem, ac proprietatem; sed in alio triplici sensu. *Primò*, quia Ius naturale non constituit vllam diuisionem, & proprietatem, sed relinquit omnia communia, & indiuisa. *Secundò*, quia iure naturali, præcisè spectato, potuit vnusquisque accipere & occupare quicquid vellet, si ab alio non esset occupatum. *Tertio*, quia contra Ius naturale esset, prohibere aliquem ab vsu rerum quarumcumque, ante factam diuisionem.

3. DICES *Secundo*. Clemens docet per iniquitatem factum esse, vt quisque haberet propria, vt patet ex c. *Dilectissimis* 12. quæst. 2. Respondeo. Clemẽs hortatur fideles Hierosolymitanos ad possessionem rerum in communi quoad vsum, qualis erat tempore Apostolorum. Vtitur autem inter alias hac etiam ratione, quia ex prima rerum constitutione & in statu innocẽtiæ debebant esse omnia communia, sed per iniquitatem, id est,

occasione sumpta ex iniquitate peccati originalis, introducta fuit rerum diuisio; non quod ipsa diuisio fuerit iniqua, sed quod ex occasione iniquitatis sit introducta, quo pacto etiam dicit pœnam, seu punitionem, non habuisse locum in statu innocentiæ, sed postea ex occasione peccati subsecutam esse.

QVÆST. III. *Quo iure facta sit hæc diuisio.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Non est facta iure naturali. Ratio, quia, vt dixi, iure naturali omnia sunt communia & indiuisa.

2. DICES. Illud fit iurè naturali, quod fit dictante lumine naturali; sed prima rerum diuisio facta est dictante lumine naturali. Nam post lapsum Adæ dictabat ratio naturalis, vt fieret diuisio, ad euitanda incommoda, quæ secuta fuissent, si mansissent omnia communia. Respondeo *primo*, aliud est obligatio ad faciendam rerum diuisionem: aliud ipsa actualis diuisio. Hæc enim facta est ab hominibus, & non immediatè ab authore naturæ: obligatio verò ad eam faciendam non erat naturalis ante lapsũ Adami: post lapsum verò potuit esse naturalis, vt iam dicã. Respondeo *secundo*, lumen naturale potest aliquid dictare, vt fiat, dupliciter. Primò, vt fiat tanquam medium necessarium moraliter ad finem, ad quem quis tenetur, & tunc est de iure naturali. Secundò vt fiat tanquam medium, non quidem necessarium, sed tamen vtile ad finem. Et tunc non est de iure naturali, vt fiat; sed est liberum, vt fiat, vel non fiat. Vnde sequitur, fuisse naturalem obligationem ad diuisionem faciendam, si illa diuisio fuerit medium moraliter necessarium ad euitanda maiora incommoda, & ad maiorem tranquillitatem: secus si non fuerit medium hoc modo necessarium. Nam si fuisset v. g. magna rerum omnium abundantia, & parua hominum multitudo, non fuisset tantopere necessaria diuisio, ac proinde nec obligatio naturalis ad illam faciendam.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Nec iure diuino facta est prima rerum diuisio, sed iure gentium. Nulla enim extat lex diuina de hac re: Ius autem gentium est consensus primorum hominum, qui fecerũt diuisionem. Hoc sensu intelligendus est Aug. *tr. 6. in Ioan.* & refertur in Dec. c. *Quod iure* dist. 8. vbi sic ait: *Vnde quisque possidet, quod possidet?* Nonne iure humano? & infrà. Iure ergo humano dicitur: Hæc villa est mea.

4. DICES. Si iure gentium facta est diuisio: ergo faciunt contra Ius gentium, qui in communi viuunt. Respond. Non sequitur, quia Ius gentium explicat expedire diuisionem propter incommoda, quæ sequerentur, si omnia essent communia. Vnde si in aliqua communitate possint euitari eiusmodi incommoda, per gratiam, & adiutorium Dei; iam vita communis non est contra, sed præter, vel super ius gentium, quod libenter admittimus.

5. TERTIA CONCLVSIO. Sicut diuisio rerum est de iure gentium: Ita de iure gentium est, vt, quæ adhuc nullius sunt, fiant primò occupantis, vt habetur Instit. *de rerum diuisione* §. *Fera*, & in aliis iuribus. Quædam tamen ita communia omnibus relicta sunt, vt ab aliquo tanquam propria occupari non permittantur, cuiusmodi sunt viæ publicæ, & similia, quæ vel in communes vsus omnium hominum, vel certè aliquorum de aliqua communitate deputata sunt.

6. QVARTA CONCLVSIO. Quamuis prima diuisio rerum sit de iure gentium, tamen progressu temporis multa statuta sunt partim iure diuino, partim iure ciuili, circa proprietates, & dominia rerum. De iure ciuili dicam postea in materia de translatione dominij. De iure diuino patet ex Scripturis. Nam Deus concessit Israëlitis terrã promissionis. Iisdem dedit vasa Ægyptiorum: Sauli, & Dauidi dedit regnum Israël. Itaque hi omnes iure diuino facti sunt domini istarum rerum.

QVÆST. IV. *De acquisitione Dominij animalium per venationem.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Animalia natura mansueta & domestica, etiãsi potestatem domini longius euaserint, non licet capere, vt oues, boues, porcos, gallinas, anseres. Ratio est, quia etiamsi fugiant, adhuc tamen manent in dominio sui domini, vt habetur Instit. *de rerum diuisione* §. *Gallinarum*. Vnde vbicunque ea inuenta fuerint aberrantia, dominis suis restituenda sunt. Similiter si capta à lupo, vel vulpe, eximantur, quamdiu aliquid de illis extat. Nec refert, quod periissent Domino.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Animalia fera, seu syluestria vsu mansueta, quæ consuetudinem habent, vt ex libera vagatione redeant ad potestatem Domini, non licet occupare; vt sunt cuniculi, cerui, quos domi nutrimus, columbæ. Instit. *de rerum diuisione* §. *Pauonũ*. Vnde qui in suo columbario, appositis illecebris, aliorum columbas eò allicit, tenetur ad restitutionem. Secus res habet, si id sine fraude accidat, vt v. g. si quis commodius suas columbas, aut commodiorem stationem aptauerit.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si hæc animalia amittant consuetudinem redeundi, licitum est ea occupare, & fiunt occupantis, vt expressè habetur loco citato. Ratio est, quia tunc videntur recepisse se in naturalem libertatem, & non esse amplius in potestate prioris domini. Vnde columbæ tuæ, si se aggregauerint columbis alterius, nec redierint tempore consueto bis terve, fiunt alterius; debet tamen fieri sine fraude, vt dictum est. Vide Nauarr. *cap.* 17 *num.* 128.

4. QVARTA CONCLVSIO. Animalia omnino fera & syluestria, si potestatem Domini euaserint, & in libertatem naturalem se receperint, vbicumque reperiuntur, licet persequi, & fiunt occupantis. Ratio est, quia iam nullius sunt.

5. Vbi nota, eum, qui ceperit animal ferum, vt leporem, columbam, accipitrem, tamdiu censeri Dominum, quamdiu illud sua custodia coërcet. Quod si eius custodiam euaserit, rursus fit primò occupantis, vt si ceruus ex sylua, vel prato concluso euaserit. Dicuntur autem huiusmodi animalia recuperasse libertatem naturalem, cum ita euaserint, vt difficulter cõprehendi possint. Quod si facilè possent, non cẽserentur extra dominium. Hæc habentur Instit. *de rerum diuisione* §. *Feræ*, & *l.3.4.5.ff. de acquirendo rerum dominio*. Vnde patet examen apum, cum sylueſtris sit naturæ, si ita auolet, vt difficilis sit eius persecutio, posse à quolibet capi, etiam si ex arbore tua pendeat. Sicut enim auis non fit tua, quæ in tua arbore nidificat, ita nec examen apum, quod ex arbore tua pendet. Potest tamen alius, re adhuc integra, prohiberi, ne fundum tuum ingrediatur, vel arborem tuam conscẽdat, Instit. *de rerum diuisione*. Aduerte tamen in his omnibus habendam esse consuetudinis locorum, & prouinciarum rationem. Nam quæ hactenus dixi vera sunt communi iure Rom. quæ tamen per speciales leges in vnaquaque natione mutari possunt.

QVÆST. V. *An principes possint iustè prohibere venationem, piscationem, aucupium in loco publici iuris?*

1. HAnc quæstionem fusè tractat Couarr. ad regulam, *Peccatum*. p. 2. §. 8.

2. PRIMA CONCLVSIO. Possunt Principes prohibere hanc venationem, seu captionem animalium in locis publici iuris, ex consensu populi, siue gratis, siue per aliquem contractum præstito. Ratio est, quia populus potest cedere suo iure.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Possunt etiam prohibere, si iudicetur necessarium ad onera Reipublicæ sustinenda, nempe vt confletur sufficiens vis pe-

cuniæ, quæ officio, & administrationi Principis necessaria sit. Ratio est, quia potest Princeps propter eundem finem imponere noua tributa: ergo loco tributorum potest reseruare sibi ius, & vtilitatem venandi, aut piscandi. Hoc titulo solent Principes in Hispania seruare sibi ius piscandi thynnos, vt habet Couarr. *loco cit. num.* 10.

4. TERTIA CONCLVSIO. Principes etiam ad solam recreationem possunt sibi reseruare in quibusdam locis ius venandi, sine consensu populi. Ita Couarr. supra, & Dom. Soto 4. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 4. Ratio est, quia Princeps, cum laborat pro Republica, potest etiam aliqua loca communia suæ reseruare recreationi, præsertim, cum etiam hoc spectet ad Principis dignitatem. Dixi *in quibusdam locis*; quia non potest populum ab omnibus locis publicis excludere, & sibi totam venationem reseruare, nisi forte eam ob causam remittat aliquid de tributis sibi debitis, vel aliter compenset. Ratio est, quia nimis inhumanum, & propè tyrannicum est priuare totum populum omni recreatione, & vtilitate venationis, quæ iure naturali, & gentium est concessa: præsertim, cum fiat tantum proprij commodi, & oblectationis gratia.

5. Nota *primò*. Posse principem personis de Republ. bene meritis attribuere ius venandi, vel piscandi in loco communi, exclusis cæteris, modo id fiat sine notabili incommodo communitatis. Sic videmus quibusdam Monasteriis, & Nobilibus, varia priuilegia in hoc genere concessa.

6. Nota *secundo*. Etiam consuetudine legitimè præscripta posse huiusmodi ius acquiri tum Principi, tum alijs, vt docet Couarr. suprà. Medina C. *de restitutione quæst.* 12. Caietan. *tit.* 1. *opusc. tractat.* 17. *cap. duodecimo* Ratio est, quia consuetudo habet vim legis, & priuilegij. & sicut alia iura præscriptione acquiri possunt, ita

etiam istud. Videndum tamen, ne huiusmodi consuetudo malo titulo, & tyrannicè sit vsurpata.

7. NOTA *tertio*. Principes, qui sibi tale ius reseruant, obligari ad cauenda damna, quæ feræ multiplicatæ possent agris vicinorum inferre, & si quæ inferant, teneri ad restitutionem. Ita Caietan. & Couarr. suprà. Excipiuntur duo casus. *Primus*, si consensu Reipubl. & eorum qui possident agros vicinos, hoc ius habeant: quia nemo enim potest cedere iure suo. *Secundus*, si in terra hostili, à se occupata, tale ius in aliquo saltu instituant, antequam agri vicini diuidantur: tunc enim agri illi transeunt cum hoc onere, seu seruitute, ad suos possessores.

8. NOTA *quartò*, Eum, qui iniustè prohibet alium à venatione, piscatione, aucupio, teneri ad restitutionem probabilis lucri, quod ille, deductis expensis, & laboribus, facturus erat, vt rectè notat Couarr. *num.* 11. & Nauarr. *cap.* 17. *num.* 120. non tamen ad restitutionem animalium, quæ capta non sunt. Quia illa nondum fuerunt in potestate eius, qui prohibitus est. Vnde etiam secundum quosdam non tenetur Ecclesiæ compensare decimas, quas venatores de rebus ei in quibusdam locis soluere solent, (etiamsi Couarr. contra sentiat) quia decimæ non debentur, nisi de rebus iam perceptis. Idem iudicium est de eo, qui impedimento fuit agricolæ in agricultura.

Qu. 6. *An aliquis possit venari in prædio, vel saltu alieno.*

ABsolutè loquendo potest id facere, modo illa loca non sint ita concluſa, vt feræ non possint egredi; cauendum tamen, ne quid damni inferatur. Quisque tamen potest ius venandi in suis prædiis sibi reseruare, & alijs prohibere, ne ibi venentur. Inst. *de rerum diuisione*, §. *Feræ*. Hæc tamen prohibitio erit irrationabilis, ac proinde parum curanda, si ipse dominus nolit ibi venari, & feræ multiplicatæ damnum inferant. Imo

talis Dominus tenebitur tunc ad damnorum restitutionem, quia censetur illorum causa per prohibitionem, vt notat Couarr. *num.* 11.

Quæstio 7. *Quomodo peccet qui contra iustam prohibitionem, venatur, piscatur, aucupatur?*

1. VENATIO generatim prohibetur quatuor modis, vt notat Couarr. *Primò* ratione status personæ. Ita prohibetur clericis, & multo magis Monachis, præsertim ea venatio, quæ fit magno strepitu canum; & armorum, vt patet *c. 1. Extra. de clerico venatore*, quod sumptum est ex Conc. Aurelian. quieta tamen venatio cum retibus, laqueis, pauciscque canibus, modo rarò fiat, non est prohibita Ecclesiasticis, vt notat Medina C. *de restitution.* quæst. 12. & Sylu. v. *venatio*, siue fiat causa necessitatis, siue exercitij, siue moderatæ recreationis, vt notat Panorm. in *c. cit. Secundo*, prohibetur ratione temporis. Sic videri possit prohibita diebus festis, & ieiunij, ex c. *Anputatis* d. 86. sed hoc intelligendum est, quando propter venationem omitteretur sacrum, vel violaretur ieiunium, alioqui absolutè non est prohibita, cum non sit opus seruile, vt notat Nauarr. *c. num.* 11. quamuis in magnis festis, & quibusdam ieiunijs, sit valde indecora, ob nimiam animi effusionem, & corporis agitationem. *Tertio*, prohibetur ratione publicæ vtilitatis, ne videlicet soboles ferina extinguatur, & ita cibus desit Reipublic. necessarius. Sic prohibetur interdum venatio illis mẽsibus, quibus feræ sunt grauidæ. Item quando sunt niues, quia tunc facilè capiũtur. Item prohibetur vsus certorum instrumentorum, vt bombardarum, & retium tenuium, quibus facilè magno numero concluduntur. *Quarto*, prohibetur ratione loci, vt si in aliquo loco à principe statuta sit immunitas, ne quis ibi venari possit, vel si locus sit alienus.

2. PRIMA CONCLVSIO. quando venatio solum

est prohibita ratione status, vel temporis, ordinariè non est nisi peccatum veniale: modò scandalum absit, & periculum occisionis, vel mutilationis, & animal captum non est necessario restituendum. Prima pars patet ex dictis; & est Medinæ, Sylu. & aliorum. Secunda probatur, quia conditio personæ, vel temporis, non facit illum actum iniustum, aut rem obnoxiam restitutioni.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Etsi venatio prohibita sit ratione publicæ vtilitatis, tamen non est peccatum magnum; nisi, quando modus venandi censetur notabiliter pernicioſus Reipubl. & idcirco sub graui pœna est prohibitus: vel, quando reipsa notabile damnum bono publico infertur, vt si sobolem feminam notabili ex parte extingueret. Animalia tamen capta non sunt in foro conscientiæ restituenda. Ita Couarr. §. 8. Ratio est, quia leges in hisce casibus non prohibent ipsam acquisitionem ferarum, sed vsum venationis. Vti autem venatione contra legis mandatum non censetur notabilis iniuria, vel læsio Reipubl. cum iure gentium liceat occupare quæ nullius sunt. Vnde fit, vt venator non teneatur ad restitutionem ferarum captarum, etsi instrumentis prohibitis vsus fuerit, quia feræ non sunt res Reip.

4. Nota tamen si quis aquas inficeret, vnde contingeret magnam vim piscium mori, vel alio modo graue damnum inferret, teneretur ad restitutionem Reipub. faciendam, quæ habebat ius piscandi, quatenus censetur illud ius grauiter læsisse, & spem lucri & oblectationis eripuisse; ipsa tamen animalia non tenetur restituere, sed solum, quanti illa spes, vel ius piscandi æstimari poterat.

5. DICES. Ergo semper tenebitur ad aliquã restitutionem, etsi vnam tantum vel alteram feram ceperit, quia scilicet iniustè priuauit Remp. suo iure piscandi, & sic

censetur læsisse. Respondeo. Non sequitur, quia illud ius piscandi non censetur notabiliter læsum, propter vnam aut alteram feram subtractam, quamuis enim duæ vel tres feræ sint magni momenti; ius tamen venandi respectu earum in magno saltu est parui momenti.

6. TERTIA CONCLVSIO. Qui venatur in alieno fundo, vel prædio, vel sylua, inuito Domino, non tenetur ad restitutionem eius quod cepit: peccat tamen pro ratione iniuriæ, & damni illati, si quod inferat, & tenetur ad eius compensationem. Ita Couarr. Medina. Prima pars probatur, quia animal syluestre non erat Domini illius fundi, sed nullius: ergo transit in dominium primò occupantis. Ratio est, quia animalia non sunt fructus agrorum, syluarum, & fluuiorum, sicut arbores quæ solo hærent, sed alia ex aliis procreantur. Vnde sequitur, etiamsi ager, vel possessio, talis sit vt eius fructus in venatione consistant, & ipsa venatio sit alteri elocata, non tamen ideo animalia fiunt conductoris, vel vsumfructum habentis, quamdiu naturali libertate fruuntur, sed cõductor & vsufructuarius solum habent ius venandi in tali fundo, quod ius censetur ad fructus agri, vel syluæ pertinere. Secunda pars probatur, quia is, qui venatur in aliena possessione, inuato Domino, facit illi iniuriam: Dominus enim ius habet, vt nemo ibi venetur se inuito. Instit. *de rerum diuisione.* §. *Feræ*, & *L. Item si fundi.* ff. *de vsufru.* Vnde si damnum aliquod inferat, tenetur ad restitutionem, vt si segetes proculcet, aut sepimenta dissipet. Item si Dominus illam feram venari volebat, & probabiliter erat capturus: tunc enim spectanda est æstimatio istius spei. Denique si ius venãdi alteri statuerat vendere, aut locare, & tu crebra venatione effeceris, vt parui æstimetur. Quod si nullũ damnum sit illatum, & Dominus ipse nolebat venari, aut ius alteri elocare, non tenetur

venator ad illam restitutionem, etiamsi inuito Domino venatus sit, quia notabile damnum non irrogauit, & prohibitio illa parum erat rationi consentanea, cum Dominus ipse eo iure vti nollet. Nota eandem esse rationem extranei venantis in loco publico; atque ciuis venantis in loco prohibito alterius; vterque enim tenetur resarcire damnum; si quod illatum est, non ipsas feras.

7. QVARTA CONCLVSIO. Qui venatur in loco publico, venationi Principũ, vel aliarum personarum iustè assignato, peccat venialiter: &, si notabile damnum infert, mortaliter, teneturque ad compensationem damni; non autem ad restitutionem animalis capti. Hæc vltima pars patet ex dictis. Prima probatur, quia lex illa prohibens in tali loco venationem, etiam si pœnam appositam habet; communi tamen hominum iudicio non censetur inducere grauem obligationem, quamuis ipsi Domini ibi venari soleant. Nam feræ sunt nullius, & syluæ sunt communes, & aliunde non est notabilis læsio. Vnde rationi consonum est, vt reseruatio illa iuris venandi, facta per Principem, non adeo strictè accipiatur.

8. DICES. Si est peccatum veniale, ergo ratione grauitatis materiæ potest esse mortale. Resp. ipsa materia, secluso damno, ex suo genere est parua, & ita non constituit peccatum mortale, si damnum absit. Secunda pars probatur, quia ratione damni potest censeri peccatũ mortale, vt si animalia essent magni pretij, & multa; ita, vt Principes non possent tam multa capere, ac aliàs solent. Item si feræ sint redditæ fugaces, vt difficillimè postea capiantur. Denique si alia ratione damnum sit notabile; potest tamen venator excusari à restitutione, vt notat Medina, quia Principes non solent talem restitutionem curare, sed sufficit iis, vt deprehensi pœnam luant. Hæc autem pœna non debet esse

esse corporalis, vt mutilatio, vel flagellatio; quod rectè notauit Sylueſt. Nauarr. & alij communiter, sed pecuniaria, quia non censetur graue crimen, etiamsi graue damnum intulerit. Vnde si sit statuta pœna corporalis, non est mandanda executioni, nisi quis valde sæpe esset deprehensus, & minoribus pœnis non emendatus: tunc enim posset adhiberi v. g. flagellatio.

9. QVÆRES *primo*. Quid dicendum sit de eo qui caperet feras extra locum prohibitum egressas. Resp. Si feræ sponte egrediantur; tunc is, qui eas capit, licitè capit; & ad nihil tenetur. Si quis autem arte magica, vel praua machinatione feras eliceret, & ita extra syluã caperet, non quidem faceret contra iustitiam; ac proinde nõ teneretur ad feras restituẽdas; sed tamẽ grauiter peccaret, propter modũ quo vtitur, & posset puniri eo modo, quo is, qui intra syluam prohibitã venatur.

10. QVÆRES *secundo*. An feræ quæ naturali libertate fruuntur, possint per aliquam legem alicui Principi addici, vel bono publico seruari, vt non transeant in dominium capientis. Respond. Probabile est id posse fieri, modo subsit legitima causa, vt si alia ratione non possit commodè sumptibus quibusdã necessariis prouideri. Ratio est, quia lex ob iustam causam potest alios reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum, vt fusè ostendit Couarr. num. 6. & seq.

Quæstio 8. *An fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit mea, an capientis?*

1. PLerique affirmant esse capientis, & non vulnerantis, vt Couarr. num. 13. & alij, & colligitur ex Instit. *de rerum diuisione* §. *illud quæsitum*.

2. CONCLVSIO. Ordinariè fera est capientis, potest tamen esse vulnerantis, si hæc tria adsint. *Primo*, si læserit illam quantum satis est ad capiendum. *Secundo*, si læsam insequatur. *Tertio*, si moraliter certum sit, quod eam sit apprehensurus: Ratio est, quia tunc habet illam

quodammodo in sua potestate : censetur enim quasi capta. Vnde alius non potest illum præuertere. Secus est, quando dubium erat ; an fera esset euasura : tunc enim fit occupantis, quia adhuc videtur habere suam naturalem libertatem.

Quæstio 9. *An fera meo laqueo capta sit mea, an illius qui fortè superueniens exemit, & abstulit?*

1. MVlti dicunt esse eximentis, vt Couarr. nu. 13. Nauarr. c. 17. num. 176. & alij. Et probant ex l. *in laqueum ff. de acquirendo dominio* Ratio est, quia non acquiritur dominium feræ, nisi per apprehensionem : is autem, qui laqueum posuit, non apprehendit: ergo non fit illius, sed eximentis. Hæc sententia probabilis est.

2. CONCLVSIO. Probabilius tamen est, & rationi naturali magis consentaneum, vt sit eius, qui laqueum posuit. Ratio est; quia hic eam apprehendit, & occupauit per suum instrumentum, adempta ei libertate naturali. Quæ apprehensio videtur sufficiens, vt debeat illius cẽseri. Sicut enim manibus, ita instrumẽtis aliquid apprehendere possumus, & in nostram potestatem reducere. Confirm. ex l. *cit.* in qua hic ipse casus proponitur, & respondetur feram meã esse, si in meam potestatem deuenerit ; atqui venit in meã potestatẽ per meũ laqueũ. Quod si talis apprehensio non est sufficiens ad comparandũ dominiũ (quod tamen euidenter probari non potest :) nihilominus sufficiens est ad comparandũ ius ad rem, quod in eo cõsistit ; quod tu exclusis aliis possis eã apprehendere: ita, vt, si alius præueniat & te impediat, teneatur ad restitutionem. Ita Molina *tract.* 2. *disp.* 42.

3. Nota tamen *primò* si fera se erat extricatura, potuisse ab alio occupari, quia tunc non peruenerat omnino in tuam potestatem, nec tu eam habiturus eras.

4. DICES. Si autem cauea conclusam teneam, parumque absit, quin erumpat, & tu superueniens eam eximas, mihi est restituenda, quia necdum effugerat: er-

go similiter fera meo laqueo capta. Resp. Non sequitur; quia hæc fera nondum facta est mea, cum nondum eam omninò occupauerim: illa enim auis iam ante erat mea. Vnde, nisi reipsa assequatur naturalem libertatem, mihi est restituenda.

5. Nota *secundò*, Si fera, quam ego persequor, incidat in laqueum tuum, vterque habet ius occupandæ; tu, quia laqueo tuo capta: ego, quia mea industria incidit. Itaque erit alterutrius, qui prior illam occupauerit.

6. Nota *tertio*. Si nassam in flumine intenderim piscibus capiendis, pisces captos meos esse. Eadem enim est ratio, quæ laquei. Quod si tu, vbi plena fuerit, exemptis piscibus euacuata, eam eodem loco, vel alibi, reponas, quod secundo loco captum erit, tuum erit, si prior occupaueris; quia etsi meo instrumento, tamen hoc factum tua industria, quod nassam ibi tuo nomine posuisti: meum vero erit, si prior occupauerim, quia meo instrumento captum. Hoc maximè æquitati conuenit.

Quæstio 10. *An venæ metallicæ auri & argenti, fiant primò occupantis?*

1. Generalis regula est, quæ nullius sunt fieri primò occupantis, vt sæpe dixi. Hinc sequitur, lapillos, gemmas, quæ in littore maris, vel promontorijs, vel fluminibus inueniuntur, fieri primo occupantis, quia in nullius sunt dominio, vt habetur Instit. *de rerum diuis.* §. *Feræ*: Et §. *Item lapilli*; sed difficultas est de venis metallicis.

2. Prima Conclvsio. Valde probabile est, huiusmodi venas in nullius dominio censeri. Ita Dom. Soto *l.* 5. *de iustitia quæst.* 3. *art.* 3. Ratio est, quia Principes passim sibi vendicant ius effodiendi hæc metalla, & concedunt priuatis ius ea inquirendi vbilibet, & in agro alieno, & bonam partem sibi reseruandi, compensato dumtaxat damno, quod infertur loco. Hæc autem non

facerent, fi fta metalla eſſent in dominio eius, cuius eſt ager. Vnde ſequitur, ſi quis eruiſſet aurum, vel argentum in alieno agro, etiam inuito Domino, non teneri ad reſtituendum aurum Domino agri, ſed ſolum ad æſtimationem damni illati. in quo ſpectanda eſt etiam ſpes illa, & veriſimilitudo, qua Dominus putabatur auro illo potiturus, ſi tamen pars aliqua auri eruti per regni leges eſſet attributa Principi, ea eſſet perſoluēda.

4. Tertia Conclvsio. Etſi tales venæ nullius ſint, & res eruta ſit occupantis, tamen ſeclūſa omni lege, & conſuetudine particulari, poteſtas & ius effodiendi tantum competit ei, qui eſt Dominus loci. Vnde ſi locus eſt hominis priuati, ius etiam eſt priuati; ſi eſt publicus competit Reipublicæ. Ratio patet ex dictis, quia ſi cuique competit ius venandi animalia in ſuo fundo, multo magis ius effodiendi metalla, cum metalla ſint fundo permixta, & inhærentia: animalia autem ſint vaga. Vnde ſequitur Indos occidentales iure potuiſſe prohibere Hiſpanos ab occupatione talium venarū in ſua regione, vt rectè docet Do. Soto loc. cit. quamuis contrarium ſenſerit Franciſ. Vict. *in relectione de Indis pag. 3. num. 4.* Hoc tamen intellige antequā illæ prouinciæ Hiſpanico Imperio eſſent ſubiectæ. Nam quælibet Reſp. poteſt prohibere extraneum à venatione in ſylua publici iuris. Et ſimiliter quilibet priuatus alium à venatione in ſuo fundo, vt ſupra dictū eſt: ergò multo magis ab eruendis metallis.

4. Dices. Lapicidina quæ eſt in meo fundo mea eſt, vt oſtendit Couarr. *c. 37. qq. practicarum num. 3.* Et colligitur ex l. *vir in fundo, ff. de feudo totali.* Idem ſentiendum eſt de fodina carbonaria, & cretaria: ergo ſimiliter de venis metallicis. Reſpondeo. Non ſequitur. *Primo*, quia venæ metallicæ ſunt maximæ æſtimationis, ac proinde non eſt æquum illas cedere viliſſimo fundo, qua ratione in Inſtit. de rerū diuiſione, §. litterę,

dicitur *ridiculum esse picturam Apellis, vel Parrhasii, in accessionem viliſsimæ tabulæ cedere. Secundo*, quia venæ istæ ab ipsa natura in ius publicum, non autem priuatis vsibus institutæ videntur, vt Dom. Soto notat. Et præterea sunt rariſsimæ & difficillimæ inuentionis.

## Quæstio II. *Quomodo acquiratur dominium in thesauris.*

1. NOTA Thesaurum dictum quasi θησαυρὸν ἐς ἄυριον, quod in crastinum, seu futurum reponatur, vt ex Alciato docet Couarr. in Regula, *Peccatum.* pag. 3. §. 2. Definitur autem *l. Nunquam ff. de acquirendo rerum dominio*; hoc modo. *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam Dominum non habeat.* Vbi nomine *pecuniæ* intelliguntur quæuis opes mobiles, vt catenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei, & argentei. Quod si non sit vetus, non censebitur thesaurus. Vnde non fiet inuentoris, sed si Dominus inueniri nequit, expendi conuenit in pios vsus, sicut alia bona incerti dominij.

2. PRIMA CONCLVSIO. Iure naturali, & gentium, thesaurus transit in dominium inuentoris occupantis. Est communis sententia. Ratio, quia quæ nullius sunt fiunt primo occupantis. At thesaurus in nullius dominio censetur, vt patet ex definitione, ergo.

3. DICES. Quid si possit sciri à quorum maioribus sit conditus. Respondeo. Nihil refert, quia quod tãto temporis spatio desijt possideri, desijt etiam esse in dominio cuiusquam. Hæc de iure naturali, & gentium.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Iure ciuili thesaurus inuentus in proprio fundo totus est inuentoris: inuentus autem in fundo alieno (etiãsi fundus is Principis fuerit) si quidem fortuitò sit repertus, dimidium erit inuentoris, & dimidiũ Domini fũdi: Si autem de industria quæsitus, sine consensu Domini, totus erit Domini. Prima

pars habetur Instit. *de rerum diuisione* §. *thesaurus*, *&c. vnica c. de thesauris*. Secunda pars ibidem habetur, & est seruanda in foro conscientiæ, etiam ante omnem Iudicis sententiam. Ratio, quia hæc dispositio iuris non est pœnalis, sed definitiua proprietatis rerum, vt rectè docet Nauarr. *c.* 17. *num.* 175. Caiet. *infra quæst.* 66. *art.* 5. Tertia pars, vt totus sit Domini, si de industria quæsiuisti, non videtur obligare in conscientia ante sententiam Iudicis, sed sufficit dare dimidiam partem Domino fūdi, parte altera dimidia retenta. Ratio est, quia ista dispositio est pœnalis, ad puniendam iniuriam, quam inuentor videtur intulisse Domino loci, quærendo absque eius consensu in eius fundo. Confirmatur ex l. *cit.* vbi innuitur, compulsionem iudicis esse expectandam, ac proinde legem esse pœnalem.

5. TERTIA CONCLVSIO Si Dominus fundi consensit, vt alter quæreret thesaurum sciens quod ille quæreret, standum est pacto, si quod initum est: si autem nullum sit pactum, totus thesaurus erit inuentoris. Ita Nauarr. *c.* 17. *num.* 172. Prima pars per se patet. Secunda probatur, quia tunc videtur illi partem suam condonasse, nisi fortè inuentor sciuerit, ibi latere thesaurum, & simulauerit se nihil scire: tunc enim Dominus ita deceptus non censetur condonasse, vt notat Sylueſt. v. *inuentum* quæſt. 3.

6. QVARTA CONCLVSIO. Qui scit alicubi thesaurum latere, & emit locum antequam eruat, efficitur Dominus totius thesauri. *Nauarr. n.* 175. Dom. Soto *l. de iustitia q.* 3. *art.* 3. Ratio est, quia eruit illum ex loco proprio, nec tenebatur Domino priori indicare, sed poterat vti sua scientia, emendo agrum illum secundum communem æstimationem ad quam nihil facit thesaurus reconditus cuius nulla habetur suspicio.

7. QVÆRES *primò*. Quid dicēdū sit de thesauro inuēto in loc. publ. Couarr. in Reg. *Peccatū.* p. 3. §. 2. nu. 3. &

alij, ab ipso citati, putant totum esse inuentoris. Alij contra putant dimidium esse inuentoris & dimidium fisci, vel ciuitatis, Instit. de rerum diuisione §. Thesaurus. Quod videtur probabilius.

8. QVÆRES *secundo*. Quod si inueniatur in loco sacro, vel Religioso. Resp. si casu, aut fortuito inuenitur, totus est inuentoris. Inst. *loc. cit.* Idem docet Glossa ad c. *si quid inuenisti* 14. quæst. 5. & Rosella v. *Furtum* nu. 11. Contrarium tamen est etiam probabile, quod tenet Couarr. & multi alij, asserentes dimidium deberi Ecclesiæ, vel Prælato, reliquum inuentori.

9 QVÆRES *tertio*. Quid si per magiam repertus sit? Resp. tunc totus pertinet ad fiscum, vt docent communiter DD. ex l. *vnica C. de thesauris*. Nota tamen *primo*, inuentorem non teneri illum tradere antequam à Iudice compellatur. Nauarr. *nu.* 175. Ratio est, quia lex illa pœnalis est, & quidem sententiæ ferendæ, non latæ.

1. NOTA *secundo*. Si Thesaurus quæsitus sit arte magica, loco alieno, solũ eã partem adiudicandã fisco per sententiã, quæ fuisset inuentoris, quia Dñs loci propter maleficiũ alterius nõ debet suo iure priuari. Quę hactenus dicta sunt de Thesauris procedũt secundũ ius commune. Vnde si in aliqua prouincia sint aliæ leges particulares, vel cõsuetudines hac de re iustæ, seruari debẽt.

Quæst. 12. *An iustè prohiberi possit pastio, vel lignatio, in pascuo, vel sylua Reipub.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Resp. potest hoc iustè prohibere etiam suis ciuibus, saltem secundum certum modũ, & mensuram, v.g. ne tali loco, vel tempore pascãt: ne exscindãt stirpẽ talem, aut tali modo: ne maiorẽ molẽ lignorũ auferãt. Ratio est, quia id potest aliquãdo expedire bono publico. atque potestas Reip. extẽditse ad omnia, quæ bono publico conducibilia videntur. Non videtur autem omninò & in totum posse prohibere. Quia singuli ius habent inde necessaria sumendi;

quo iure absque suo consensu non possunt spoliari. Nisi fortè aliunde sit illis sufficienter prospectum. Vide plura apud Couarr. *c. 37. pract. qq.*

2. Secvnda Conclvsio. Si contra iustam prohibitionem ciuis aliquis in loco publico communitatis pascat, vel ligna cædat, solum peccat venialiter, neque ad restitutionem tenetur, nisi magnum detrimentum communitati censeatur illatum. Ita Dom. Soto *lib. 4. quæst. 6. art. 4.* Ratio est, quia in hisce rebus communibus non censetur notabilis iniuria committi per eos, qui aliàs ius habent, nisi fortè enorme damnum inferatur, vt si multæ stirpes notabiles exscindantur; si arbores ædificijs idoneæ sternantur.

3. Tertia Conclvsio. Idem dicendum de incolis dominorum pagorum, vel oppidorum, habentium loca compascua, vel syluas cæduas, si alteri in alterorum syluis hinc inde lignentur. Ratio est, quia etsi incolæ huius loci non habeant ius lignādi in sylua communi alterius loci, nec vicissim: tamen, quia passim scitur contrarium fieri ab vtraque parte, censetur communitas vicissim condonare, quod ereptum fuerit, contenti mulcta, si qui in facto deprehendantur.

4. Qvarta Conclvsio. Si pascas, vel ligneris in loco alicuius priuati, vel Reip. cuius ciues non possunt idem facere in loco Reip. tuæ, vel si id facias in loco communi, elocato alteri, peccas pro ratione rei ablatæ, vel damni illati, & teneris ad restitutionem. Ita Dom. Soto supra, patet ex dictis.

Quæst. 14. *Quæ dicantur haberi pro derelicto, ita vt dominium illorum primo occupantis censeatur?*

1. Prima Conclvsio. Illud habetur pro derelicto, quod Dominus ea mente abiecit, vt id in numero rerum suarum esse nolit. Inst. *de rerum diuisione §. penult.* Vnde sequitur ea, quę in tẽpestate proijciũtur leuandæ nauis causa, non haberi pro derelicto, vt habe-

tur *loco cit. §. vlt.* Quia ea libentissimè Dominus seruaret, si posset. Et postquam proiecit & in portum euasit, summè desiderat ea recuperare. Vnde iniqua est consuetudo, quæ in quibusdam locis seruatur, vt Dominus prouinciæ, vel territorij occupet bona naufragorum, qua si possessore careant. *Primo*, quia est contra ius naturale, cùm sit alieni occupatio. *Secundo*, quia est magna in miseros crudelitas. *Tertio*, quia est contra ius Cæsareum, Authentica, nauigia *C. de furtis*. Et si sint bona Christianorum, occupantes ea incurrunt excommunicationem Bullæ cœnæ Domini.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Pro derelicto videtur etiam haberi res ea, quæ fluctibus procul abrepta & minus sciens, vbi sit quærenda, non curat eam recuperare; vel quia parui eam facit, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ. Ratio est, quia Dominus non videtur velle talem rem habere in suis bonis, ob incommodum adiunctum. Secus est, quando omnino vellet eam recuperare, si aliquo modo posset.

## CAPVT VI.

*De translatione Dominij per donationem, & promissionem.*

DOMINIVM transferri potest, vel volente priore Domino, vel inuito. Volente fit tripliciter. Donatione, vltima voluntate, contractu: Inuito totidē modis. *Primo*, Iure belli. *Secundo*, auctoritate legis, idque vel sine culpa Domini, vt lege præscriptionis, vel ob culpam eius, vt ob crimen hæresis, læsæ Maiestatis, incestas nuptias. *Tertio*, sententia Iudicis, vt si fur damnetur in quadruplum. Hi modi explicandi sunt exceptis paucis, de quibus alibi dictum, aut dicendū est.

Quæstio 1. *Quid sit donatio & promissio?*

1. LOquor de donatione & promissione gratuita, quę fit ex mera liberalitate, vel etiam ex gratitudine.

2. PRIMA CONCLVSIO. Donatio *est datio libe-*

*ralis.* Per *donationem* intelligitur actio donantis natura sua sufficiens ad dominium transferendum, quæ fit vel traditione rei, vel verborum officio. Est enim triplex Donatio; vna incipit à reali traditione, vt quando res ipsa simul traditur. Et hæc est completa donatio transferens dominium: Altera incipit à promissione, vel à verbali traditione, vt cum dico: *Do tibi meum equum, qui absens est.* Hæc donatio verbalis sufficiens est natura sua ad dominium transferendum; tamen iure positiuo impeditur, ne dominium trãsferat, nisi secuta reali traditione, vt dictum est, *c. 2. quæst. 3.* Vnde si quis rem sic donatam Petro, donaret aut venderet Paulo, & eidem traderet, Paulus acquireret illius rei dominium, & Petrus solum haberet actionem personalem in donatorem, vt compensetur rei æstimationem. Vide, quæ dicta sunt *c. 1. qu. 5. concl. 2.*

3. Secvnda Conclvsio. Promissio *est deliberata, & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona, & possibili.* Dicitur *primo deliberata*, id est, cum plena deliberatione & attentione, qualis requiritur ad peccatum mortale ad meritum, & ad votum validum, vt notat Nauarr. *cap. 18. num. 7.* Vnde si quis promittat aliquid cum semiplena deliberatione, non satis aduertens quid faciat, non obligatur ad implendum, ne sub veniali quidem. Ratio est, quia cum hæc obligatio sit onus quoddam, quod sponte suscipitur, non debet censeri cuipiam impositum, nisi perfectè in illud cõsenserit, quod non fit absque perfecta deliberatione, & animaduersione. Vnde sequitur etiam Votum Deo factum cum imperfecta deliberatione non obligare, ne sub veniali quidem, quamuis violatio voti validi facta eximperfecta deliberatione sit venialis, de quo infra in materia de voto. *Secundo*, dicitur *spontanea*, vt excludatur promissio metu aut fraude extorta, quæ non est valida, vnde eam non tenemur implere, nisi sit iu-

rata, vt docet D. Thom. *quæst.* 8. *art.* 7. Nec refert (saltem in foro conscientiæ) etiam si metus ille leuis fuerit, iuxta Sylu. *v. Restit.* 2. §. 7. & Nauarr. *c.* 17. *num.* 30. Ratio est, quia qui metu etiã leui, vel fraude extorquet promissionem, iniuriam facit. Vnde ratione iniurię potest promissor non soluere promissum. *Tertio*, dicitur *obligatio fidei*, quia non sufficit dicere: Ego faciam, sed oportet, vt fides detur, & obligetur; id est, vt homo se obliget alteri ex virtute fidei, seu fidelitatis, vt rectè docet Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 2. Vnde etiam non est satis dicere. Ego promitto me hoc facturum, si solum intendat significare animi sui propositum: non autem dare fidem, vt sæpè fit. Si tamen ex tali modo loquendi alter deciperetur cum notabili suo detrimento, teneretur ille sub peccato mortali implere, quod verborum specie promisit, vt notat Nauarr. *cap.* 18. *nu.* 6. quia non implendo daret causam damni. Similiter non sufficit dicere. Ego promitto me facturum, quicquid iusseris, si id dicas, vt affectum tuum, & animi promptitudinem ad alteri placendum testeris: non autem, vt te obliges, quod etiã frequens est apud homines. Ratio est, quia hæ, & similes formæ loquendi sæpè vsurpantur voluntatis, vel testandi animi causa: non autem ex intentione se absolutè obligandi. Vnde tunc absolutè non obligant: cum enim omnis vis obligandi promissionis sit ab intentione, non possunt vltra intentionem obligare.

4. DICES. Quid si promissor sit dubius, quo animo verbis promissoriis vsus fuerit. Respondeo. In vtroq; foro inclinandũ est in fauorem eius, quia in dubio non est imponendũ onus, quod non nisi sponte suscipitur.

5. QVARTO dicitur *de re quapiã bona*, vt excludatur promissio operis, quod sine peccato expleri nequit: quia nulla potest contrahi obligatio ad id, quod sine peccato præstari non potest, vt patet ex *c. vlt. de pactis.*

Id enim contradictionem implicat: sic enim fieret, vt idem esset peccatum & virtus, bonum & malum: & vt homo peccaret, non minus omittendo peccatum, quam faciendo.

6. DICES. Ergo promissio prodiga non obligat, cum profusio rerum suarum sit opus malum. Respondeo, plerique concedunt promissionem, qua parte prodiga est, non obligare, idque verum esse quidam aiunt, etiamsi iuramento confirmata sit, vt Dom. Soto *l. 4. quæst. 7. ar. 1. ad 2.* & Dom. Bannes *quæst. 62. art. 5. dub. 5.* quam sententiam in quibusdam casibus veram censeo. *Primo*, quando ita est prodiga, vt eius executio absolutè sit illicita. *Secundo*, quando aliquid est promissum in modum pretij, nec promissor aliter intendit dare: tunc enim non tenetur ad excessum, nisi iuramentum interuenerit, vt patet in promissione vsurarum, & pretij enormis. *Tertio*, quando merito præsumi potest, promissorem fuisse deceptum, aut promissionem non fuisse omnino liberam. Extra hos casus non video, cur promissio prodiga non obliget, maximè iuramento accedente, etsi imprudenter & cum peccato facta fuerit: multa enim imprudenter & cum peccato fiunt, quæ tamen facta tenent, nec facilè rescindi possunt. Vt si virgo nobilis contra voluntatem parentum, & cum familiæ indignatione promittat nuptias ignobili, & pauperi: tunc enim peccat promittendo; tamen verè obligatur. Pari modo etiamsi promissio aliquando peccatum sit ob circumstantias, vel quia prodiga: tamen fieri potest, vt impletio eius peccatum non sit. Suppono enim rem esse in plena potestate promittentis, neque alteri priori debitam. Ratio est, quia etsi prodiga largitio, quæ est executio promissionis peccatum sit, dum adhuc liber es, & non obstrictus: tamen postquam te obligasti promissione, vel iuramento, non est peccatum, sed actus iniustitiæ, vel fidei, vel Reli-

gionis, prout intendiſti te obligare, neque amplius habet immediatè rationem donationis, ſed ſolutionis debiti.

Quæſtio 2. *Quomodo differant Donatio, Promiſſio, Pollicitatio, Pactum, & Stipulatio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Promiſſio natura ſua (ſeposito iure poſitiuo) non habet vim transferendi dominij. Donatio, etſi tantum verbis fiat, habet. Ratio eſt, quia promiſſio reſpicit donationem futuram. Donatio vero eſt tranſlatio rei in alterum in præſens. Dixi *natura ſua*, quia poſito iure, quo impeditur tranſlatio dominij per donationem verbalem, parum videtur intereſſe inter donationem & promiſſionem.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Pollicitatio eſt offerentis ſolius promiſſum *l. 3. de pollicitationibus*, ſeu: Eſt nuda promiſſio nondum ſecuta acceptione. Vnde omnis pollicitatio eſt promiſſio, non contra.

3. TERTIA CONCLVSIO. Pactum eſt duorum conſenſus, atque conuentio, *l. 3. iam cit.* Vnde ad rationem pacti requiritur conſenſus duorum. Ad rationem pollicitationis ſolum vnius. Tranſit autem pollicitatio in pactum, quando is, cui facta eſt, eam acceptat.

4. QVARTA CONCLVSIO. Stipulatio eſt contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & ſecuta reſponſione debitoris, v. g. ſpondes dare tantum? ſpondeo. Promittis centum? Promitto. Vide *infra in materia de contractibus*.

Quæſt. 3. *An promiſſio ob turpem cauſam obliget?*

1. NOn loquor præcisè de promiſſione gratuita, de qua in 4. qu. ſed generatim de omni promiſſione, etiam oneroſa, quę requirit vtriuſque partis conſenſum.

2. PRIMA CONCLVSIO. Omnis promiſſio, & pactio, quæ fit propter opus malum, vt v. g. propter for-

nicationem, aut homicidium, inualida est ante opus præstitum, & neutram partem obligat. Ratio est, quia nemo potest obligari ad peccatũ: ergo promissor operis mali non tenetur: ergo nec promissor pecuniæ opere nondum præstito tenetur: cum eius promissio fuerit conditionata, seu respectiua, vt pote solo intuitu illius operis facta. Imo tenetur eam reuocare tanquam iniquam, & ad malum directè allicientem.

3 Secvnda Conclvsio. Patrato opere malo verius est promissorem obligari soluere promissum. Colligitur ex Couarr. ad Reg. *Peccat. p. 2 §. 2. num. 1.* Caiet. *quæst. 32. art. 2.* Medina *C. de restitut. quæst. 28.* Etsi enim hic putet solutum debere restitui, eò quòd opus turpe sit inuendibile: tamen dicit promissum debere solui, vt fidem suam promissor liberet. Verùm non tantùm ex virtute fidei, vt vult Medina, sed etiam ex iustitia videtur teneri Ratio est, quia non fuit promissio gratuita, sed onerosa, vt v. g. Promitto tibi catenam pro maleficio: ergo si labor, vel opera in maleficio præstita, iudicio humano tanti valet, quanti res promissa, vbi præstita fuerit nascetur obligatio iustitiæ in promissore: quando enim altera pars impleuit contractum, tenetur altera lege iustitiæ.

4. Nota. In opere præstito non solùm considerandam esse malitiam, sed etiam laborem, periculum, detrimentum fortunarum, & similia, quæ executor, tua causa subiit. Item fidelitatem, quam tibi præstitit, & voluptatem, aut vtilitatem, quæ tibi inde prouenit. Hæc autem apud homines æstimantur digna pretio, vt rectè notat Caiet. ergo si pro his pretium aliquod promisisti, teneris illud soluere ex iustitia, quando illa *præstita sunt.*

5. Dices. Malitia est illis connexa. Respondeo. Nihil refert, quia possunt illa seorsim à malitia considerari Simile est in bonis operibus, in quibusdam la-

bor, periculum, damnum poſſunt ſpectari per ſe, & præciſa ab operis Sanctitate. Hinc eſt quod non committatur ſimonia, ſi quis paciſcatur, dare ſacerdoti 100. aureos, vt in loco, in quo eſt periculum capitis, ſemel faciat ſacrum. Nam periculum abſtrahitur ab operis ſanctitate, & æſtimatur pretio, ſine culpa ſimoniæ: ergo ſimiliter in malis operibus poterit periculum, & labor præcisè ſpectari, & æſtimari pretio abſque malitia. Hinc ſequitur mercedem opere præſtito accipi & exigi poſſe, quia debetur iure naturali, & qui eam accipit non obſtringit ſe ad aliquid, quod ſit peccatum, nec approbat peccatum iam commiſſum: poteſt enim illud deteſtari qua peccatum, & dolere ſe feciſſe; tamen, quia factum eſt, poteſt perſequi commodum, & ius quod eo obuenit.

6. TERTIA CONCLVSIO. Probabile nihilominus eſt eum, qui aliquid promiſit pro opere malo, quod legibus punitur, vt pro homicidio, adulterio, furto, non teneri ad implendum promiſſum, etiam opere ſecuto, & patrato. Eſt communis ſententia Doctorum vtriuſque Iuris, vt docet Couarr. ſupra, num. 6. & confirmatur ex l. *ſi flagitij* ff. *de verborum obligatione*. vbi ſic dicitur. *Si flagitij faciendi, factive cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet.* Et l. *generaliter*, ff. *eod. tit.* vbi ſic dicitur. *Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti.* Quibus locis lex facit irritas tales conuentiones. Quamuis reſpondere poſſis; leges illas, & ſimiles, ita accipiendas eſſe, vt ſignificent non valere tales ſtipulationes ante factum, neque etiam poſt factum dari ius petendi promiſſum in foro externo. Non autem earum mentem eſſe tollere obligationem naturalem; quæ ex huiuſmodi promiſſionibus onerofis oritur.

Quæst. 4. *Quænam promissiones sint irritæ iure naturali, aut positiuo?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Iure naturali, irritæ sunt omnes promissiones, quarum impletio est illicita. Ratio est, quia nemo potest obligari ad peccatum. Vide conclus. 1. præced. quæst.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Iure positiuo probabile est esse irritas. *Primò* omnes eas promissiones, quæ factæ sunt ob turpem causam, quæ legib. punitur, etiamsi earum impletio illicita non sit. Quamuis contrarium verius videatur, vt dictum est paulò antè. *Secundò* irritæ sunt omnes promissiones, quæ præbent occasionem peccandi, vt si promittas alicui, quod non tenebitur in posterum de dolo, de vi, de iniuria, de furto, vt patet l. 27. ff. *de pactis*, si tamen post iniuriam commissam liberè eam condones, valet condonatio. Non enim leges impediunt condonationem, sed volunt, ne ex vi promissionis, aut pacti præcedentis tenearis condonare. *Tertio* irritæ sunt, quæ adimunt libertatem disponendi de reb. suis, vt si promittas alicui quod instituas eum hæredem, quod non reuocabis testamentum, quod recedes ab intestato, quod dabis 100. coronatos, si non instituas hæredem, vt habetur l. *Stipulatio hoc modo* §. ff. *de verb. oblig.* Propter eandem causam inualida est donatio præsentium & futurorum, quia aufert potestatem testandi. Similiter inualidum est pactum circa bona eius, qui adhuc viuit, sub conditione; si ad ipsos, aut eorum aliquem ea bona deueniant, nisi in tali pacto is consentiat, cuius sunt bona, vt habetur l. *vltima C. de pactis.* Item pactum pœnæ appositæ non stanti sponsalibus nullum est, vt habetur *C. gemmæ*, Extra, *de sponsalibus*, eo quod matrimonia libera esse debeant, & id eorum deroget libertati. Hæc omnia comprehenduntur l. *pacta C. de pactis*, vbi sic dicitur. *Pacta, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam*

*vim*

quim habere indubitati iuris est. Contra leges ea dicuntur fieri, in quibus promittitur aliquid, quod leges prohibent, vt homicidium, furtum. Contra bonos mores fiunt. *Primo* quæ dant occasionem malè agendi, vt si promittas alicui, quod non tenebitur in posterum de dolo, vi, furto, iniuria. *Secundo* quæ impediunt bonos mores, quos expedit esse in Republica bene constituta, vt v. g. quæ impediunt potestatem liberè testandi, aut disponendi de rebus suis.

3. TERTIA CONCLVSIO. His non obstantibus promissiones, & omnia pacta, quorum executio non est illicita, nisi iuramentum accesserit, sunt seruanda in foro conscientiæ. Ita Sylu. v. *Pactum* n. 11. Et apertè colligitur ex c. *Quamuis pactum de pactis in 6.* Quia vt ibi dicitur, eius iuramenti obseruatio non vergit in æternæ salutis dispendium.

4. DICES. Hæc pacta dicuntur esse contra bonos mores. Iuramentum autem contra bonos mores, non est obligatorium, vt habetur in Reg. *Iuris in 6. Reg.* 58. Respondeo. Non sunt contra bonos mores naturales, de quibus intelligenda est illa Regula, sed ciuiles; id est, non sunt contra virtutem, ita vt res promissa sit peccatum, sed possunt incommodare moribus, quos expedit esse in Repub. Hoc modo pactum, quod filia dum nuptui datur, cum patre init, vt dote contenta nullum ad bona paterna regressum habeat, est contra bonos mores, & irritum iure ciuili, & tamen si iuramẽto confirmetur seruari debet, vt cõstat ex cit. c. *Quãuis peccatũ*. Similiter promissio vsurarum est contra bonos mores, quia præbet occasionem exigendi vsuras, & tamen impleri debet, si iuramentũ accesserit c. *Debitores*. Extra. *de iure iurando*. Potest tamen in huiusmodi pactis peti dispensatio iuramenti ab Episcopo, si in illis aliqua iniuria intercessit, & tunc non opus est seruare promissum, vt dicam infra in materia de contractibus.

QVÆST. V. *An Promissio vel Donatio interna obliget?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Etsi promissio, vel donatio purè interna, facta Deo, obliget nos Deo cordium inspectori: non tamen facta homini, obligat homini. Est communis Sed difficultas est, vnde id proueniat: An sc. ex solo iure positiuo? An ex iure naturali? Aliqui putant huiusmodi promissum, vel donationem internam, siue Deo, siue homini facta sit, inducere veram obligationem, spectato solo iure naturali. Quod autem non obligat, quando homini facta est, putant prouenire ex solo iure positiuo. Ita Ledesma *in 4. p. 2. qu. 18. art. 1. dubit. 13.* Et inclinat Sotus *l. 7. qu. 1. ar. 2.* Et Molina *disp. 266.* Probatur *primo*, quia promissio interna addit aliquid supra nudum propositum: ergo magis obligat. *Secundo*, quia actu interno, quo quis non vult amplius aliquam rem habere in suis bonis, potest amitti possessio & dominium eius rei: ergo etiam potest causari obligatio ad alterum. *Tertio*, quia tota vis obligandi promissionis est à voluntate interna: ergo hæc sufficiēs est ad obligandum. *Quarto*, quia exterior expressio non est necessaria, nisi vt possit cognosci & acceptari promissio, vel donatio. Hæc autem acceptatio non est necessaria iure naturali.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Probabilius est promissionem, & donationem internam, quæ homini fit, iure naturæ esse insufficientem, & inualidam ad obligandum. Colligitur ex D. Thom. *quæst. 88. art. 1.* vbi dicit: Promissionem vnius hominis non posse alteri fieri, nisi per signa externa: Deo autem posse fieri per internam cogitationem. Idem passim docent Thomistæ Ratio, est, quia promissio, & donatio, sunt signa quædam practica, quæ efficiunt quod significant: qui enim dicit, Promitto tibi, vel do tibi, non solum significat internam cogitationem, & affectum dandi: sed etiam ipsum actum donationis, & pro-

miſſionis, qui in hiſce verbis ſub tali intentione prolatis formaliter conſiſtit, & effectum eius, ſcilicet obligationem, quæ naſcitur in promittente: & iús, quod naſcitur in promiſſario. Quare cum actus interni non ſint idonea ſigna ad alteri ſignificandum, non ſunt etiam idonea inſtrumenta ad ſe alteri obligandum. Nam hæc aptitudo fundatur in ſignificatione ad alterum: ſi tamen alter poſſet cognoſcere internas cogitationes, ſicut poſſunt angeli, quando ad eos diriguntur, tunc per actum internum optimè poſſet donatio, & promiſſio fieri. Confirmatur, quia promiſſio vel donatio non obligat, niſi ſit acceptata, vt ſeq. quæſt. ſed interna promiſſio, vel donatio, non eſt acceptata: ergo.

3. Ad *primum* Reſpond. Interna promiſſio addit ſupra propoſitum aliquam inchoationem promiſſionis, quæ tamen adhuc non eſt ſufficiens ad cauſandam obligationem. Ad *Secundum* Reſpondeo. Etſi poſſeſſio & dominium poſſint amitti actu interno, vt cum res habetur pro derelicto: non tamen poſſunt transferri in alterum, quia ad hoc plura requiruntur. Nam facilius eſt aliquid deſinere, quam incipere eſſe, aut in altero produci. Ad *tertium* Reſpond. Etſi tota vis obligandi ſit a voluntate, tamen voluntas non poteſt eam immediatè in homine cauſare abſque actu externo, tanquam inſtrumento, ſicut nec iuriſdictio poteſt alicui conferri ſine externo actu, vt communiter Theologi docent. Ad *quartum* Reſpond. Non ideo tantum requiruntur externa ſigna, vt alteri ſignificetur voluntas donandi, ſed etiam, vt ipſa donatio, & promiſſio per illa fiat, tanquam per inſtrumenta.

Quæſt. 6. *An promiſsio vel donatio externa obligeet ante acceptationem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Promiſſio, vel donatio, ante acceptationem ordinariè non obligat ciuiliter, neque actionem parit in foro ciuili. Eſt communis

sententia,& patet ex l. 1. ff. *de pollicitationibus*, & ex l. *absenti* ff. *de donationibus*. Vnde sequitur ante acceptationem semper reuocari posse, quod tum ex prædictis iuribus, tum ex aliis clarè deducitur, & l. *multum interest*. C. *si quis alteri vel sibi*, & l. *si pater*, ff. *de manumissis vindicta*. Idem in omnibus alijs contractibus locum habet, L. *contractus*, C. *de fide instrumentorum*. Ratio est, quia obligatio non nascitur, nisi ex mutuo duorum consensu, l. 1. ff. *de pactis*. Ergo priusquam alterius consensus accedat, prior potest pœnitere, & suam oblationem reuocare. Hinc sequitur *Primò* mortuo donatario ante acceptationem, inualidam esse donationem, quia amplius acceptari non potest.

2. DIES. Poterit acceptari ab hæredibus. Resp. ex rigore iuris non potest, quia ad illos directa non fuit. Videtur tamen posse ex quadam æquitate: tum quia hæredes personam defuncti repræsentant: tum etiam, quia præsumendum est eam esse mentem donatoris: nisi de contrario constet. Quod intellige si illi hæredes sint liberi: non autem si extranei. *Secundò* sequitur, quando donatio defertur per nuntium, si contingat illum mori ante insinuationem, vel traditionem, tacitè censeri reuocatam, quia per mortem mandatarij soluitur mandatum, l. 57. ff. *mandati*. Vnde consensus donatoris, qui illi commissus, & per illum deferendus erat ad donatarium, quasi euanescit. Hoc tamen intellige si nuncio commissum erat, vt verbis, & traditione reali rem perageret: secus, si solum literas deferendas habuit. Hæ enim si ad manus donatarij peruenerint, sufficiunt ad donationem insinuandam, vel deferendam. Vnde ipse vicissim per literas poterit eam acceptare.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Licet donatio, & promissio, ordinariè non obligent ante acceptationem, vt dictum est: excipiuntur tamen aliquæ pollicitationes

quæ obligant antequam acceptentur, nempe, quæ fiunt ciuitati, vel vniuersitati, vel Ecclesiæ, vel Hospitali. In iure tamen non inuenitur expressè; nisi de promissione facta ciuitati, ad instaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum, aut recipiendum, vel ad opus aliquod faciendum, si hoc opus iam sit inchoatum, vt patet, ff. *de pollicitationibus*, *per totum*. Sed DD. id extendunt etiam ad eas promissiones, quæ fiunt vniuersitati, vel Ecclesiæ, vel Hospitali. Ratio est, quia donationes, & promissiones ad pias causas, videntur æquari donationibus, & promissionibus factis ciuitati, si priuilegia spectemus, vt patet *L. illud*, & *L. vt inter*, *C. de sacro sanctis Ecclesiis*.

Quæst. 7. *Vnde proueniat, quod promissio, vel donatio, non obliget ante acceptationem.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Probabile est id prouenire ex solius positiui iuris dispositione, ac proinde, stãdo intra limites iuris naturalis, sufficere consensum ad obligationem. Ita Couarr. in *c. quamuis pactum*, *p. 2. §. n. vlt.* Et Molina. *disp. 263*. Probatur primò, quia ex pollicitatione facta ciuitati oritur obligatio, vt dictum est: ergo hic actus ex natura sua ad hoc sufficiens est. Sequela patet, quia ius ciuile non tribuit contractibus maiorem vim, quam natura sua habeant; quamuis interdum propter bonum publicum possit vim illis afferre. *Secundo*, quia in gratuitis promissionibus acceptatis obligatio non oritur ex acceptatione, sed ex gratuita promissione quæ non spectat obligationem reciprocam. Ex hac sententia sequitur, promissiones, & donationes ad pias causas, esse validas, ante omnem acceptationem. Quod tenet Felinus in cap. 1. *de pactis*, *n.* 7. citatque pro se Bartholum, Bald. Panorm. Ratio est, quia iure naturali sunt validæ: & iure ciuili non sunt inualidæ. Nam leges ciuiles, quæ irritas reddunt tales promissiones, & donationes, non habent vim in iis

causis, eo quod iure canonico (ad quod ea res pertinet) non inueniantur approbatæ.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Probabilius est, quod promissio & donatio non habeant vim obligandi ante acceptationem, id non prouenire tantum ex iure ciuili; sed etiam ex iure naturali, vel iure gentium: Est communior sententia: Probatur *primo*, quia in contractibus onerosis ante acceptationem licitum est vbique gentium pœnitere, & reuocare suam obligationem, vt patet in contractu emptionis, sponsalium, Matrimonij, & aliis. Nec opus est expectare, donec acceptet, aut recipiat: ergo idem licitum erit in promissionibus & donationibus gratuitis, nisi lex positiua adimat hanc potestatem. *Secundo*, sicut promissio, vel donatio onerosa, qua quis se obligat, habet tacitam conditionem; nempe si alter vicissim se velit obligari; ita etiam promissio, & donatio gratuita habet tacitam conditionem, si scilicet acceptetur. Nam vt dicitur in l. *qui absenti ff. de acquirenda possessione*. Qui promittit vel donat, non videtur animum se obligandi habere, nisi alter acceptet: ergo sicut ibi nondum conditione impleta potest reuocare obligationem: ita & hic.

3. Ad *primum* Respond. ius ciuile non efficit, vt pollicitatio facta ciuitati, vim habeat ante acceptationem: (nihil enim tale colligi potest ex vlla lege toto tit. de pollicit.) sed ne possit reuocari pro libito, sicut ex natura rei posset, vt patet ex l. 3. *eodem tit.* Vnde fit, vt talis promissio semper possit acceptari, & promissum peti, quæ petitio videtur necessaria, vt teneatis soluere, vt iisd. m legibus indicatur. Nec tenetur promissor suam promissionem ciuitati insinuare: nulla enim lex id præcipit. Idem dicendum videtur de pollicitationibus ad causas pias, nisi ex intentione promittentis habeant vim voti. Nam tunc sponte solui debent. Itaque ex omni pollicitatione nascitur quædam obliga-

tio velut conditionata, & suspensa, donec acceptetur, vel reuocetur, quam reuocationem positiuum potest impedire. Vnde in tali casu ius ciuile non tribuit propriè pollicitationi vim, quam iure naturali, vel gentium, non habet, sed impedit, ne possit reuocari.

4. Ad *secundum* Respond. obligatio non oritur ex acceptatione, tanquam ex causa directa; sed tanquam ex conditione necessario requisita. Sicut enim ignis est sufficiens causa calefactionis aquæ: & tamen ex eo non potest nasci calefactio, nisi aqua debito modo applicetur: ita promissio est sufficiens causa obligationis, & tamen non potest vim suam exercere, nisi acceptetur.

QVÆST. VIII. *Quomodo promissio, vel donatio, absenti facta, validè possit acceptari?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vt donatio absenti facta validè possit acceptari, requiritur primo, vt donator eam deferat, vel insinuet absenti, per epistolam, vel nuncium, cui id commiserit: id enim necessarium est, vt duorum voluntas in vnum concurrat, vt colligitur ex l. *absenti* ff. *de donationibus*, & l. 1. ff. *de contrahenda emptione*. Vnde si alius quispiam præcurrens, cui id mandatum non fuit, donationem illi insinuet, non sufficit vt validè acceptari possit. Quæ est communis sententia DD. & colligitur ex glossa in l. *Nec ambigit. C. de donationibus*. Ratio est, quia cum promissor non intendat per hunc hominem suum consensum & obligationem in alterum dirigere, non potest alter accipiendo aliquid iuris acquirere. Nam cui nihil validè offertur, nihil etiam potest validè acceptare. Cum autem ipse nuntium mittit, tunc in verbis nuntij suum consensum, & obligationem ponit, vt per eum ad absentem deferatur: & sic dum absens coram nuntio acceptat, duorum consensus concurrunt. Quod ad rationem pacti est necessarium, vt quæst. 2. dictum est.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si donatio per nuntium offeratur absenti, necesse est, vt hic eam coram nuntio acceptet: nec sufficit eam acceptare coram aliis, vt ex multis authoribus ostendit Sancius l. 1. de matrim. *disput.* 5. *num.* 35. Ratio est, quia alioqui duorum consensus non concurrunt, nec vicissim innotescunt. Quare acceptatio debet exprimi illi, qui eam offert, id est, ipsi promittenti, vel eius nuncio, qui eius locum supplet. Nam hoc ipso, quo quis destinatur ad absentem, vt offerat ei promissionem alterius, constituitur etiam ad recipiendam eius acceptationem; vel si promissio sit onerosa, eius repromissionem. Vnde sequitur contra Sylu. v. *Matrim.* 5. *quæst.* 12. & quosdam alios, quando contrahitur per nuntium, vel literas, non sufficere, vt absens exprimat consensum suum aliis. Debet enim consensus absentis exprimi illi, qui eum petit, & qui sub conditione illius sibi rependendi, in alterum consentit: nisi constet, aliam esse promittentis mentem. Quod addo, quia non est de essentia contractus, vt consensus absentis, cum quo contrahis, tibi innotuerit: si enim mens tua est, vt statim contractus valeat, posito alterius consensu, etiam antequam innotescat, statim valebit. Hoc tamen non præsumitur, nisi clarè sit expressum.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si verò per litteras promissionem tuã absenti obtuleris, vt acceptatio eius sit valida, ita vt retrocedere nequeas, necesse est, vt ea tibi vicissim per literas, vel per nuntium ad te missum innotescat. Ita Sancius supra. Probatur *primo*, quia requiritur acceptatio exterius expressa, ita, vt promissor possit eam intelligere. *Secundo*, quia alioqui non concurrunt consensus duorum in vnum. *Tertio*, quia antequam tibi innotescat cõsensus alterius, potest ille suum consensum reuocare: ergo & tu potes tuum. Quod maximè locum habet in promissionibus respectiuis,

quæ requirunt repromissionem. Hæ enim omnes hanc tacitam conditionem habent, si is, cui promittis, vicissim repromittat, & se obliget, quod fit signo externo, ad promissionem directo. In gratuitis tamen promissionibus, vel donationibus, non puto necessariũ, vt literæ acceptionis, vel nuncius, ad donatorem peruenerint: quia non tantum interest, eum, qui gratis donat, scire suam donationem acceptari, quam eum, qui sub onere aliquid offert, & repromissionem expectat, nosse alterum repromittere. Cuius signum est, quod donator gratuitus non sit multum de eo cognoscendo sollicitus.

4. QVARTA CONCLVSIO. Requiritur etiam, vt non reuoces donationem ante acceptationem: si enim reuoces, & nuncio quem misisti, id innotescat, non potest quicquam efficere l. *si vero*, ff. *mandati*, quia extinctum est mandatum, vt ibi dicitur, ac proinde omnis potestas insinuandi vel tradendi ei, adempta est. Si autem innotescat ante executionem, tunc distinguendum est, vel enim ille se habet solum instar nuncij referentis donationem alterius, aut rem tradentis: vel habet mandatum faciendi donationem. Si priori modo se habeat; facta reuocatione nihil fit: quia deest omnino consensus ex parte donantis. Nam nuncius solum habet officium nuntiandi, aut tradendi: non autem tribuendi aliquid iuris. Si secundo modo: valent eius acta, non quidem ad transferendum dominium, sed ad tribuendum Donatario ius ad rem, & donatori inijciendam obligationem ad consensum. Colligitur ex l. *si mandassem*, & l. *inter causas* ff. *mandati*. Tenetur enim mandator ratum habere, quod ex vi mandati bona fide eius nomine gestum est.

QVÆST. IX. *An post mortem donatoris possit donatio validè acceptari?*

1. SVpra qu. 6. concl. 1. dictum est: An possit validè acceptari, mortuo donatario, aut etiam nuntio ad donatarium misso. Nunc quæritur de morte donatoris.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quando ipsa donatio ante mortem facta est ex parte donatoris, & missa est epistola, vel nuntius, qui illam absenti insinuet, vel rem tradat, si contingat donatorem mori ante insinuationem, probabilius est illam nihilominus validè acceptari posse. Ita Sancius *lib. 2. de Matrim. disp. 6. num. 5.* Ratio est, quia donatio illa ex parte donantis fuit valida, etsi reuocabilis, vt habetur L. *Nec ambigitur* C. *de donationibus.* Et manet virtualiter impressa literis, vel nuncio, vt ad donatarium transeat: ergo perseuerat post mortem donantis: ac proinde potest tum acceptari. Confirmatur *primo*, quia donatio, mortuo donatore, non potest reuocari per hæredem etiamsi nondum sit acceptata, vt docet Couarr. *lib. 3. variar. resol. cap. 14. num. 17.* Iul. Clarus §. *Donatio.* q. 13. & alij passim, quod est signum, illam posse validè acceptari post mortem. Quorsum enim adimeretur hæredi potestas reuocandi, si non possit acceptari. *Secundo*, quia donatio est gratia quædam: quando autem gratia facta est ex parte cõcedentis, potestas executoris non expirat morte concedentis, vt expressè habetur C. *Si super gratiam, de officio delegati* in 6. Cõtraria tamen sententia est multorum DD. vt ostendit Sancius, quorum fundamentum est, quia mandatum morte mandatis soluitur. Verum sic non est propriè mandatum donandi, sed donatio ipsa, vt dictum est. Itaque illud fundamentum pertinet ad alium casum. De quo sit

3. SECVNDA CONCLVSIO. Quando donatio ante mortem donatoris non est facta ex parte ipsius, sed

solum mandata fieri, vt si misit rem per nuntium, vel procuratorem, cum mãdato, vt suo nomine det absenti: tunc si antequam ille munere suo fungatur, contingat donatorem mori non potest donatio validè acceptari, ac proinde res illa restituenda est hæredibus donatoris. Ratio est, quia ante mortem donatio facta non fuit, sed solum datum fuit mandatum donandi. Mandatũ autem morte mandantis expirat, vt habetur *l. inter causas ff. mandati.* Vnde procurator ille non potest donationem nomine sui mandatoris facere: & si fecerit nullius momenti erit, ac proinde nec acceptatio. Hoc tamen intelligendum est nisi mandatum fuerit in fauorẽ piæ causæ, quia illud morte mandantis non expirat, vt docet Couarr. *l. 1. variar. resolut. cap. 14. n. 16.* Vnde etiam post mortem est exequendum. Ratio est, quia quisque præsumitur ita tacitè voluisse in vita, cum opera pietatis tum maximè sint homini necessaria. Confirmatur ex l. *Si pater, ff. de manumissis vindicta.* Vbi mandatum de manumittendo seruo non expirat morte mãdantis fauore libertatis: ergo multo magis idem dicendum est, fauore piæ causæ, & salutis animæ. Hinc sequitur, si culpa nunciꝰ donatio non fuerit tempestiuè ante mortem donantis facta, ipsum teneri ad duplicem restitutionem. Nam hæredibus defuncti, tenetur ratione rei, quæ tunc illorum est: donatario ratione damni, quod eius culpa contraxit, vt rectè notauit Molina *disp.* 203. Posito enim tali mandato tenebatur nuncius lege iustitiæ adhibere diligentiam, & mandatum, ex mente mandantis, in commodum donatarij implere.

Quæst. 10. *Quinam possint promissionem, vel donationem, absenti factam acceptare?*

1. IVrisperiti proponunt hanc quæstionem hoc modo: Quinam possint pro absente stipulari.

2. PRIMA CONCLVSIO. Multi hoc possunt præstare.

*Primò*, qui ab altero generalem, vel specialem habet promissionem. *Secundò*, qui est sub alterius potestate, ita vt non sit sui iuris; vt filiusfamil. pro patre: seruus, pro Domino: Religiosus pro Prælato. Ratio est, quia censetur vna persona. Non tamen famulus mercenarius, pro suo Domino: aut subditus, pro Principe: quia sunt sui iuris. Vnde inst. *de inutilibus stipulationibus*. §. *Si quis alij*, dicitur. Si quis alij quam ei, cuius iuri subiectus sit, stipuletur nihil agit. *Tertiò*. Qui aliorum curam gerunt, vt tutor, pro pupillo: Curator, pro furioso. Item princeps, pro subdito: quia cum hic possit facere alteri potestatem stipulandi pro altero, multo magis eam ipse habet. Item Notarius publicus; præsertim, si de eo conficiat instrumentum. De quo vide Couarr. *loc. cit. num.* 11. *Quarto*. Is, qui ex donatione, vel promissione, facta absenti, commodum reportat, vel aliquo onere liberatur, vt patet §. *sed & si quis*, inst. *de inutilibus stipulationibus*. Vt creditor, pro debitore, socius, pro socio; vxor, pro marito. *Quinto*. Quilibet priuatus potest stipulari, & acquirere Ecclesiæ, aut piis causis, iuxta Glos. communiter receptam in c. *Quoties cordis* 1. quæst. 7.

3. Secvnda Conclvsio. Præter enumeratos, nemo potest iure communi validè pro absente stipulari, seu acceptare promissionem, in fauorem absentis factam; ita, vt inde nascatur aliqua stricta obligatio. Ratio est, quia iura resistunt tali stipulationi, eamque irritam reddunt, vt patet §. *si quis alij*, Instit. *de inut. stipulat.* & l. *si quis stipulatus*. ff. *de verborum obligationibus*. Deinde, quia promissio facta alicui, cuius nihil interest, impleri censetur solum verbis illi facta: reipsa autem solum est facta tertio, in quem est exequenda. Nihilominus secundum communem vsum hominum, amicus pro amico ita stipulari solet, vt nascatur aliqua leuis obligatio, si tamen hæc iuramento confirmetur,

non solùm in foro conscientiæ ligat; sed etiam in foro ciuili tribuit actionem, vt patet ex dictis *quæst. 4. concl. 3.*

Quæst. II *Quomodo obliget Promissio externa legitimè acceptata?*

1. ALiqui putant illam per se solum obligare sub peccato veniali, quamuis per accidens ratione dãni possit sub mortali obligare. Ita Caiet. *infra quæst. 113. art. 1.* Henriquez *de excommunicatione c. 17.* Fumus v. *Perfidia.* Alij contra putant obligare sub mortali, si materia notabilis sit, quæ est communior sententia. Alij denique distinguunt, obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis asserentes. Vnde si promittens intendat se solum obligare ex honestate morali, solum tenebitur sub peccato veniali: si verò intendat se obligare ex iustitia, tunc tenebitur sub mortali. Ita Molina *disp. 362.*

2. NOTA *primò.* Non satis est explicare, quantum obliget promissio ex intentione promittentis; sed etiam explicandum est, quantum obliget ipsa per se & ex natura sua, præscindendo ab extrinseca intentione.

3. NOTA *secundo.* Hoc pendet ex alia quæstione nempe, ex qua virtute obliget promissio. An scilicet, ex virtute tantum veritatis, vt putat Caiet. An ex virtute fidelitatis, vt putat Henriquez, & Fumus. An ex virtute iustitiæ, vt plerique alij.

4. PRIMA CONCLVSIO. Promissio obligat ex virtute veritatis, sed non tantum. Probatur prima pars ex argumento Caiet. quia sicut ex virtute veritatis tenemur dicere verum, & facere, vt verba respondeant menti: ita ex eadem virtute obligamur, vt opera respondeant verbis. Secunda pars probatur contra Caiet. *Primò*, quia promittere, non tantum est affirmare se daturum, vel facturum; sed vlterius, est obligare se

alteri,& consequenter ius illi tribuere ad exigendum. Vnde dici solet omne promissum cadere in debitum. *Secundo*, quia alioqui sequeretur eum, qui promittit non magis obligari quam eum, qui absque promissione affirmat se aliquid facturum, quod tamen constat falsum esse, communi hominum vsu, & sensu.

5. Nota. Virtutem veritatis nos obligare ad duo. *Primo*, vt dicta nostra conformemus menti, ne committamus mendacium. *Secundò*, vt facta conformemus dictis, ne dicamus falsum: vtrumque enim requiritur, vt quis sit verax in dictis: magis tamen obligat ad non mentiendum, quam ad non dicendum materialiter falsum. Itaque si promissio solum obligaret lege veritatis, minus peccatum esset violare promissum, quàm officiosè mentiri, quod tamen manifestò falsum est. Vnde sequitur, promissionem non tantùm obligare ex virtute veritatis: sed etiam ex virtute fidelitatis, quæ vocatur fides promissionum.

6. SECVNDA CONCLVSIO. Probabile est promissionem obligare non solùm ex virtute veritatis, & fidelitatis, quod ex dictis patet, sed etiam ex virtute iustitiæ. Probatur *primò*, quia omnis promissio, si fiat per formulam stipulationis, tribuit actionem in foro externo, & promissor cogitur eam implere, vt omnes, DD. tradunt: ergo inducit obligationem iustitiæ.

7. DICES *Primò*. Hoc solum probatur de promissione quæ fit interueniente stipulatione: non autem, quæ fit simpliciter. Respondeo. Formula stipulationis non reddit promissionem firmiorem in foro conscientiæ, sed solum in foro externo, quia præsumitur maiori deliberatione facta, quando hæc interuenit. Deinde etsi iure digestorum requisita fuerit stipulatio, vt promissio simplex tribueret actionem in foro externo: tamen, iure codicis non videtur requiri, vt colligi potest l. *si quis argentum*. c. *de donationibus*. Adde, quid-

quid sit de iure ciuili, tamen iure canonico conceditur actio ex promissione accepta; etiamsi formula stipulationis non interuenerit, vt patet ex c. 1. *de pactis*. Et est communis sententia, teste Couarr. in c. *Quamuis pactum*, p. 2. §. 4. *num.* 24. Nec refert, quod ius canonicum requirat expressionem causæ, quia dum causam non exprimis, cur promittas, videris per errorem promittere, quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiæ. Vide Sylu. v. *pactum* num. 3. Probatur *secundo*, quia promissio onerosa acceptata obligat lege iustitiæ, vt omnes fatentur: ergo etiam gratuita. Sequela patet, quia etsi in onerosa sit perfectior obligatio, eò quòd pro obligatione rependatur æqualis obligatio; tamen hoc non facit obligationem promittentis esse alterius generis, aut non pertinere etiam ad virtutem iustitiæ.

8. Dices. *secundo*. Qui facit promissionem gratuitam, non videtur se tam strictè velle obligare, sed solum ex virtute fidei; ita vt si non seruet, faciat contra fidelitatem, non tamen contra iustitiam. Respondeo virtus fidei est ea, qua quis seruat promissum, quia promisit, & se verbis obstrinxit. Vnde quomodo obliget promissio, non est spectandum ex virtute fidei; sed contra quomodo fides obliget diiudicandum est ex natura promissionis. Atqui promissio ex natura sua obligat supra simplicem assertionem, vt in prima conclusione ostensum est: ergo fides, cuius est implere promissum, plus obligat, quam virtus veritatis, cuius est verificare assertum. Neque intelligi potest, quæ sit hæc maior obligatio, nisi sit iustitiæ. *Tertio*. Probatur, quia promissione datur ius ad rem, quod etiam ad hæredes promissarij transit; sicut & obligatio promissoris ad ipsius hæredes traiicitur. Atqui huiusmodi iuri respondet obligatio iustitiæ. Nam promissarius dicit rem sibi deberi, & potest debitum exigere, vel condonare, quod signum est esse debitum iustitiæ.

9. TERTIA CONCLVSIO. Probabilius est præcipuam obligationē promissionis non esse iustitiæ, sed fidelitatis; quæ tamen sit valde affinis iustitiæ. Hæc posterior pars probatur ex dictis. Prima patet, quia debitum ex iustitia, & debitū ex fidelitate diltinguuntur. Atqui obligatio promissionis est fidelitatis, vt passim conceditur: ergo non iustitiæ. Maior patet ex communi modo loquendi DD. qui solent dicere, deberi quippiam ex fidelitate, non ex iustitia. Sic Oeconomus, & omnis qui officium aliquod nomine alterius administrat, dicitur ad quædam teneri ex fidelitate, & non ex iustitia.

10. QVÆRES. Quomodo debitum fidelitatis distinguatur à debito iustitiæ. Respondeo. Debitum fidelitatis, quod ex liberali promissione oritur, est multò imperfectius quam debitum iustitiæ, quod oritur ex contractu, vel ratione damni dati. *Primo*, quia promissio solum tribuit ius ad rem, & remotum. *Secundo*, potest multis modis reuocari. *Tertio*, pendet ex liberalitate promittentis, & non rependitur æquiualens. *Quarto*, non astringit, vt si vioies tenearis ad compensationem lucri cessantis. *Quinto*, non necessariò respicit eum, qui est sui iuris, vt patet in promissione Domini ad seruum, patris ad filium, & Dei ad hominem. *Sexto*, non impedit, quo minus res promissa dicatur postea gratis dari. Debitum autem iustitiæ longè maius est: si non soluatur, obligat ad compensationem lucri cessantis, & solum est ad eum, qui est sui iuris, & impedit donationem gratuitam: sunt ergo distincta hæc debita; & consequenter iustitia, & fidelitas sunt virtutes distinctæ.

11. QVARTA CONCLVSIO. Promissio serio facta, animo promittendi, in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligat sub peccato mortali ad sui impletionem. Ita Nauarr. *c. 19. num. 6.* Sotus *l. 7. quæst. 2. art. 1.*

*tit.* 1. *ad* 1. Anton. 2. *p. tit.* 10. *c.* 1. §. 4. & videtur esse communis Canonist. apud Couarr. in c. *Quamuis pactum* §. 4. Ratio sumitur ex dictis, quia omnis obligatio iustitiæ ex genere suo est sub mortali. Sed promissio obligat, vel ex iustitia, iuxta secundam conclusionem, vel ex fidelitate, quæ est affinis iustitiæ, iuxta tertiam conclusionem: ergo obligat sub mortali, præsertim in re magni momenti.

12. QVINTA CONCLVSIO. Si quis vtatur verbis promissoriis; non tamen animo serio promittendi, sed tantum ad significandum firmum propositum, vel ad firmius asseuerandum, vt ei credatur, non obligatur sub peccato mortali ad implendum, nisi fortè ratione damni inde secuti. Ratio, quia talis non obligatur, nisi lege virtutis, qua tenetur dicta sua efficere vera, & cauere, ne dixerit falsum. Atqui ad hoc non obligatur sub mortali, vt est communis sententia. Hoc modo multorum promissiones, qui leuiter solent multa promittere, sunt intelligendæ: non enim mens est illorum se serio obligare, aut tribuere aliis ius exigendi, sed tantum firmiter asserere. Idem dicendum de iis qui non intendunt se obligare absolutè, sed sub hac conditione, nisi fuerit incommodum aliquod, vel nisi aliquid melius occurrerit.

QVÆST. XII. *An promissioni, vel donationi, iam acceptatæ, possit apponi aliquod onus?*

3. PRIMA CONCLVSIO. Ante acceptationem promissionis, vel donationis, potest onus imponi, vt si dem tibi domum, vel agrum sine onere, priusquam acceptes, possum imponere onus, vt mihi tenearis inde soluere aliquam pensiunculam annuam. Ratio est, quia tota potest reuocari: ergo multo magis onus apponi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Post acceptationem non potest vllum onus imponi, sine consensu promis-

sarij. Ita Couarr. *l. 1. variar. resolutio. c. 14. num. 1.* Ratio est, quia iam consecutus est ius ad rem sine onere: ergo sine onere est ei debita.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si acceptes donationem, cum onere in fauorem tertij appositio, ille tertius hoc ipso acquirit ius, vt illud onus ei præstes, quod onus transit ad ipsius hæredes. Est tamen hoc ius reuocabile à donatore, vsque ad tempus, quo onus est implendum, nisi fuerit à tertio acceptatum. Ita Couarr. *numero 3. & 11.* Prior pars colligitur ex l. *Quoties c. de donatione sub modo.* Posterior ex l. *cum qui ff. Qui sine manumissione ad libertatem peruenerint*; vbi dicitur in potestate venditoris esse, qui grauamen in fauorem tertij apposuit, illud reuocare ante tempus, quo erat implendum. Sed dubium est, an sit reuocabile à donatore, priusquam tempus aduenit, verbi gratia, dedi tibi domum cum onere vt prius quinquennio cedas eam Petro. Transactum est quinquennium, nondum cessisti, nec Petro quicquam est significatum: an possim te hoc onere liberare, vel domum meam repetere, vt mihi seruem. Negat Iulius Clarus §. *donò* quæstio. 13. numero 5. & multi alij, quos citat. Et videtur colligi ex l. *Quoties c. de donationibus sub modo.* Vbi colligitur ius vetus, quo post tempus elapsum, si onus appositum in fauorem tertij non erat præstitum à donatario, concedebatur, vt à donatore & hæredibus eius posset reuocari. Contrarium tenet Couarr. numero 13. & Barthol. in l. *Qui Romæ, de verborum oblig.* Ratio, quia donatio ante acceptationem non est valida; ergo cum tertius ille non acceptauerit eam, per se, vel per alium, poterit reuocari. Nec obstat L. *Quoties*, quia ad eius interpretationem satis est, vt hæredes donatoris non possint eam reuocare, & vt illi tertio competat actio in donatarium, volente donatore: non autem nolente, & reuocante

onus impositum. Nota tamen si tertius ille, in cuius fauorem onus impositum est donationi, sit ciuitas, vel pia causa, statim ac fuerit acceptata à donatario, acquirit ius irreuocabile, & actionem in rem donatam. L. *vt inter.* C. *de sacrosanctis Eccles.*

9. QVÆRES *primò*. Quare à donatore possit reuocari onus, & non ab hæredibus? Respondeo. Quia eius est reuocare, qui donationem liberè fecit. Vnde mortuo donatore onus impositum fit irreuocabile.

5. QVÆRES *Secundò*. An viuo donatore non possit fieri irreuocabile? Respondeo, potest in duobus casibus. *Primo*, quando impositum est in fauorem ciuitatis, vel piæ causæ, vt dixi. *Secundò*, quando cœptum est impleri, quia tunc censetur tertius acceptasse.

Quæst. 13. *Quibus casibus Promissio acceptata, & ante valida, desinat obligare?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Probabile est tunc desinere obligare, quando ita mutatur status rerum, vel personarum, vt si promissor hanc mutationem primo cogitasset, promittere vel donare noluisset. Hanc regulam tradit Nauarr. *c.* 18. *num.* 7. & quidam alij. Et in multis casibus est idonea; præsertim, quando promissio, vel donatio, facta est homini: quando autem Deo facta est sæpè habet difficultatem. Multi enim vouent castitatem, vel Religionis ingressum, non præcogitantes difficultates obuenturas, quas si præuidissent, noluissent promittere, vt ipsimet testantur: & tamen omnium iudicio manent obligati: debebant enim omnia hæc præcogitare; ac proinde, si non fecerint, ipsis imputandum est.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Facilior est hæc Regula, si dicamus Promissionem desinere obligare. *Primò*, quando res promissa fit illicita, vel inutilis, vel impossibilis; vt est communis sententia. *Secundò*, si

ſtatus rerum, & perſonarum, ita mutetur, vt promiſſor, ſecundum iudicium prudentum, non videatur illum euentum voluiſſe comprehendere. Confirmatur, quia lex, quæ abſolutè lata eſt, non obligat in ijs caſibus, quos legiſlator, expreſsè, vel interpretatiuè, voluit exceptos. Atqui promiſsio eſt lex quædam particularis, quam ſibi quis ſponte imponit: ergo non obligat in ijs caſibus, quos expreſsè, vel tacitè, ex prudentum interpretatione cenſetur excepiſſe, vt verbi gratia, ſi promiſisti operam tuam alteri, certo tempore, & filius tuus eodem tempore in morbum incidat, vt non poſſis eum deſerere, non teneris præſtare promiſſum. Nec refert, etiamſi iuramento promiſſionem confirmaueris, quia iuramentum non dat vim promiſſioni, niſi ſecundum eam mentem, qua promiſſio cenſetur facta; etiam in donationibus non reſpectiuis, vt ſi nunc promittam tibi, tu mihi poſt medium annum, non reſpectu huius meæ donationis, tu ſi non ſtes promiſſis, nec ego ſtabo. *Quarto.* Quando aliquid promiſſum eſt ob cauſam, quæ non ſubeſt, vt ſi promiſeris Petro aliquid, eò quòd putes accepiſſe te ab ipſo aliquod beneficium, cùm non acceperis: tunc enim non teneris implere.

Quæſt. 14. *Qui poſſint donare, qui non poſſint?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Communis regula eſt, illos ſolos poſſe liberè donare, qui habent dominium, & adminiſtrationem, & facultatem alienandi. Nam qui tantum habent dominium, non poſſunt donare; quia donatio pertinet ad regimen, & adminiſtrationem bonorum: qui tantum adminiſtrationem, non poſſunt niſi ſecundum mentem domini, vel in eius commodum: Qui carent facultate alienandi, non poſſunt niſi prout ius, vel ſuperior, id eis permittit.

2. SECVNDA CONCLVSIO. In particulari loquendo non poſſunt liberè donare, *Primò*, carentes vſu rationis

*Secundò*. Impuberes. *Tertio*, Filij familias, etiamsi puberes sint. *Quarto*, Minorennes qui subsunt procuratori. *Quinto*, prodigi, qui à magistratu positi sunt sub curatore. *Sexto*, vxor. *Septimo*, Ecclesiastici, quoad superflua bonorum Ecclesiasticorum. *Octauo*, Religiosi. Ratio patet ex suprà dicta regula.

Quæst. 15. *An donatio inter coniuges sit valida?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Donationes coniugum inter se iure communi sunt inualidæ; ita vt ad arbitrium donantis sint reuocabiles. Est communis sententia DD. ex L. *cum hic status C. de donationibus inter virum & vxorem*. Hoc ideò iure statutum est, ne coniuges mutuo amore se bonis spoliarent.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæ donationes duobus modis confirmantur. *Primo*, iuramento, vt si coniux iuret se eas non reuocaturum. *Secundo*, morte donantis, modo hæc præcedat mortem donatarij: sicut legatum, & donatum causa mortis, confirmatur morte vt patet ex l. *cit.* Vt tamen morte confirmetur, requiritur, vt res ante mortem fuerit aliquo modo tradita, ita vt donatarius eius possessionem aliqua ratione acceperit, vt docet Couarr. Rubric. *de testam.* pag. 3. num. 3.

3. TERTIA CONCLVSIO. Sunt tamen quidam casus, quibus hæ donationes statim valent, neque expectanda est mors donatoris. *Primus* est, si Imperator det Imperatrici; vel contra, l. 26 c. *de donat. inter virum & vxorem*. *Secundus*, si coniux coniugi det ad instaurationem ædium succensarum, l. 14. ff. *eod. tit.* *Tertius*, si donans ex donatione non fiat pauperior, id est, si nihil ei detrahatur ex bonis, vel iuribus iam quæsitis; vt si maritus repudiet hæreditatem, & perueniat ad vxorem, statim valet, l. *Si sponsus*, ff. *eod. tit.* *Quartus*, si donatarius non fiat ditior, vt si maritus det vxori ad dandas eleemosynas, vel ad fucos, & vnguẽta l. 7. ff. *eod. tit.* *Quintus*,

si alter det alteri, vt aliquam dignitatem consequatur, v.g. vt fiat Doctor, vel Consul. l. *quod adipiscendæ* ff. *eod. tit. Sextus*, si fiat causa remunerationis, vt si maritus senex, donet vxori iuueni; vel ignobilis, nobili; quia potius est remuneratio, quàm simplex donatio, vt colligitur ex l. *quod autem* ff. *eod. tit.*

Quæst. 16. *An donatio inter liberos & parentes sit valida?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Donatio patris in filium nondum emancipatum est inualidá, ita vt pro arbitrio patris reuocari possit L. 2. 6. *de inofficiosis donationibus*, & l. *cum de bonis* C. *de donationibus*. Ratio est, quia quamdiu filius est sub potestate patris, censetur quasi vna persona ciuilis cum patre, & ita pater videtur sibi donare. Hinc sequitur, donationem matris in filium esse validam, quia filius non est in potestate matris sed patris.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Donatio patris in filium nondum emancipatum duobus modis confirmatur. *Primò*, iuramento. *Secundo*, morte donantis, si res ante fuerit tradita, vt dictum est de donatione inter coniuges.

3. TERTIA CONCLVSIO. Sunt tamen aliqui casus, quibus donatio patris in filium nondum emancipatum statim valet. *Primo*, si aliquid det in dotem, vel ad matrimonium. *Secundo*, si det bona mobilia proficiscenti ad bellum. *Tertio*, si professuro aliquam disciplinam det libros. Hæc enim duo genera efficiuntur statim castrensia bona. *Quarto*, si vsumfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij, condonet filio. *Quinto*, si aliquid det in remuneratione obsequiorum. Denique in omnibus penè casibus in quibus donatio inter coniuges statim valet, etiam valet donatio patris in filium, teste Nauarr. *c.* 17. *num.* 147. Vide etiam Syluest. v. *Donatio* 11. quæst. 7. Nota tamen in his omnibus, si donatio excedat illã quantitatem, de qua parens potest

disponere, eam secundum hunc excessum reuocari, ne legitimæ parti reliquarum prolium officiat.

QVÆST. XVII. *Quantum possit quis validè donare.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Donatio, qua quis donat alicui omnia sua bona, tam futura, quàm præsentia, iure communi est inualida. Est communis sententia ex L. *stipulatio hoc modo* ff. *de verb. oblig.* Vt docet Cou. *l.* 3. *variar. resol. cap.* 12. *n.* 4. Ratio est, quia per hanc donationem aufert sibi homo potestatem liberè testandi, quod leges improbant tanquam contra bonos mores, quos in Repub. benè cõstituta esse decet. Hinc sequitur validam fore donationem. *Primo*, si donator det alicui præsentia omnia, non autem futura. *Secundo*, si reseruet sibi aliquid ex suis bonis, vel saltem vsumfructum. *Tertio*, si donet omnia præsentia, & futura, donatione causa mortis, sicut sæpè fit inter coniuges, cùm paciscuntur, vt superstes habeat omnia. Ratio est, quia donator in his casibus non aufert sibi potestatem liberè testandi. De primo & secundo constat. De tertio probatur, quia qui donat omnia sua bona, donatione causa mortis, potest alium hæredem instituere, non obstante tali donatione, qui etsi teneatur postea donatario dare, iuxta conuenta in donatione, potest tamen detrahere falcidiam, id est, quartam partem, eamque sibi reseruare. Vide Iulium Clarum *quæst.* 19 & Couarru. *loc. cit.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Sunt tamen duo casus, in quibus donatio inter viuos omnium bonorum præsertim & futurorum valet. Prior est, si fiat Ecclesiæ, vel in aliquam piam causam. Ita Clarus *quæst.* 20. *num.* 3. & Couarr. rubric. *de testam. p.* 2. *num.* 13. Et ratio est, quia talis donatio non potest censeri contra bonos mores: si enim possum personam meam tradere Ecclesiæ, vel Monasterio, cur non etiam omnia bona? Posterior est, si iuramento cõfirmetur. Ita Couarr.

*num.* 4. etsi plerique Iurisperiti contrà sentiant. Ratio illorum est, quia iuramentum contra bonos mores non est obligatorium, vt habet 58. Regula iuris in 6. sed donatio omnium bonorum est contra bonos mores: ergo. Hæc tamen ratio non concludit, quia regula iuris loquitur de iuramento, quod est contra bonos mores naturales: non autem ciuiles, vt suprà *quæst.* 4. *concl.* 3.

3. TERTIA CONCLVSIO. Potest quis validè donare vsque ad 500. solidos: vltra verò hanc summam donatio est inualida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione. Habetur expressè L. *penult.* C. *de donationibus* sub finem. Quod ideò statutum est, ne homines, metu, vel fraude, vel inconsulta temeritate impulsi, se donationibus exhaurirent. Quanti sint 500. solidi, vide Iul. Clarum *quæst.* 15. *num.* 1. Insinuatio hæc est simplex suæ mentis declaratio, qua quis declarat Iudici se liberè donare huic tantũ, vel tantum. Nec requiritur causæ cognitio, vel facultas à Iudice: sed sufficit eius præsentia, vt docet Clarus *num.* 5. Iudicis autem est inquirere: An donatio sit omninò libera, an coacta. Hinc sequitur *primo*, si quis donet pluribus, & excedat prædictam summam, donationem quoad excessum esse inualidam, modo illa donatio simul, & vno quasi animi impetu fiat. Detrahendũ autem tũc singulis secundum proportionem: si tamen diuersis temporibus, animique motibus fiat, erit valida, patet in L. *sancimus* C. *de donationibus. secundo*, sequitur, si quis debitum aliquod liquidũ, hanc summam excedens, remittat, inualidam esse remissionem: quia remissio est instar donationis. Ita Clarus *qu.* 16. *num.* 2. Nota tamen eum, cui vltra hanc summam donatum est, posse retinere, nisi à donatore, vel eius hæredibus repetatur. Quia leges non intendũt obligare donatarios, vt sponte restituãt, sed vt restituãt, si donator, vel eius hæredes velint. Non enim reddunt

donatarium inhabilem, sed tribuunt donatori potestatem pro arbitrio repetendi. Quamdiu ergo non repetit, potest alter retinere.

4. QVARTA CONCLVSIO. Excipiuntur tamen aliqui casus, quibus donatio absque insinuatione est valida, etiamsi 500. solidos excedat. *Primo*, si iuramento confirmetur. *Secundo*, si fiat ad redemptionem captiuorum. *Tertio*, si ad reparationem ædium, incendio, vel ruina destructarum. *Quarto*, si magister militum det militi mobilia, quamuis ea magni sint pretij. *Quinto*, si donatio sit remuneratoria obsequiorum, & beneficiorum. *Sexto*, si quis renuntiet bonis, vel iuribus speratis, nondum obtentis. *Septimo*, si quis det Ecclesiæ, vel ad piam causam. Hæ exceptiones partim habentur L. *vlt. C. de donat.* partim apud Iulium Clarum *quæst.* 16. 17. 18.

QVÆST. XVIII. *Quibus casibus donatio inter viuos possit reuocari.*

1. DVplex est donatio: *altera inter viuos*: *altera mortis causa*. Donatio inter viuos est, *cum quis sic donat, vt etiam se viuo velit rem absolutè esse alterius*. Donatio mortis causa est, *cum sic donat, vt rem non velit absolutè, & irreuocabiliter esse alterius, nisi post suam mortem*, vt si dicam: Dono tibi hanc rem post mortem meam, vel cum moriar, vel quia nunc timeo mori. Vide Sylu. v. *donatio* 1. *num.* 1.

2. PRIMA CONCLVSIO. Donatio inter viuos, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, generatim triplici ex causa potest reuocari. *Primo*, ob ingratitudinem donatarij. *Secundo*, ob prolem suscepta. *Tertio*, si sit inofficiosa. Vide Iul. Clarum *quæst.* 21. *nu.* 1. Et Gomez *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 1.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Ratione ingratitudinis reuocatur in quinque casibus L. *finali C. de reuocandis donat.* *Primus* est, si donatarius atroces iniurias in do-

natorem effuderit. *Secundus*, si manus impias intulerit. *Tertius*, si iacturam non leuem bonis eius attulerit. *Quartus*, si periculum vitæ ei creauerit. *Quintus*, si cõditionem donationi appositam non impleuerit. His addunt Doctores sextum, si inopia pressum non aluerit. Quod est notandum pro simplicibus, qui omnia donant suis liberis, & postea negliguntur, vt rectè Sylu. *supra num.* 17. Clarus *num.* 3. Gomez *num.* 4.

4. Notanda tamen hic sunt tria. *Primum*, hæc non habere locum, quando donatio est ob causam; vt propter obsequia, quæ eam merebantur: neque in donatione facta Ecclesiæ, vel monasterio; quia censetur facta Deo, & ob grauem causam. *Secundum*, donatarium non teneri ad restitutionem ante sententiam, quia est pœna, vt colligitur ex L. *cit.* Vnde debet interponi querela & ingratitudo probari: si tamen res nondum sit tradita, potest non tradere, & petentem exceptione ingratitudinis repellere. Cui enim datur repetitio post traditionem, seu solutionem, datur etiam exceptio ante traditionem, vt non teneatur soluere, vt dicam *infrà in materia de contractibus*. Quod si donatarius re tradita per iniuriam impediat querelam, potest donator via compensationis occultè sibi consulere, quia per iniuriam patitur damnum. *Tertium*, si donator non reuocauit in vita propter causam ingratitudinis, nec hæredes eius posse reuocare, vt expressè habetur L. *finali C. de reuocandis donationibus*. Quod intellige; nisi fortè donator per ignorantiam ingratitudinis in se commissę eam non reuocauerit: tunc enim hæredes eam reuocare possunt, teste Sylvest. num. 18.

5. Tertia Conclvsio. Ratione prolis susceptæ potest etiam reuocari donatio, vt si quis prole carens magnam partem bonorum suorum donauit, & postea nascatur ei proles. L. *si vnquam*, *C. de reuocan. donat.* Ratio est, quia præsumitur fuisse facta sub tacita condi-

done, nisi nascerentur ei liberi. Et quidem si facta sit donatio extraneo, reuocatur tota: si facta sit alicui ascendentium, vt patri, vel auo, reuocatur solum quoad legitimas filiorum postea susceptorum, iuxta Gomez *num.* 14. Sunt etiam hic tria notanda. *Primum*, donatarium non teneri ad restitutionem, donec donatum repetatur. *Secundum*, si donator expressè, & in specie renuntiet priuilegio, *L. si vmquam*, dum donat, non posse reuocare dum viuit, etiamsi nascantur ei liberi: poterunt tamen liberi post eius mortem reuocare, quatenus donatio eis fuit in officiosa, id est quatenus legitimã eorum læsit. Quia renuntiatio patris non potest tollere ius filiorum, quod post mortem patris habent ad suas legitimas. *Tertium*, si iurauit se non reuocaturum donationem, nihilominus potest reuocare suscepta prole. Ratio est, quia hoc iuramentum non excludit tacitam conditionem, quæ ex iuris dispositione inest tali donationi: si tamen ille expressè excluderet illam conditionem, velletque donationem valere, etiamsi filij nascerentur, eamque iuramento confirmaret, non posset eam reuocare. Vide Iulium Clarum *quæst.* 22. 23.

6. QVARTA CONCLVSIO. Postremò reuocatur donatio, si sit inofficiosa, id est, si sit contra officium pietatis paternæ in filios, quod tunc fit, quando pater tantum donat, vt filij priuentur sua portione legitima L. 1. *& seqq. C. de inofficiosis donationibus*. Ac *Primo*, si facta est alicui ex filiis, reuocatur solum vsque ad legitimam aliorum L. 5. & 8. *C. eod. tit. Secundo*, si facta est extraneo, animo fraudandi liberos, reuocatur tota: si autem eo animo non est facta, reuocatur solum quoad legitimas filiorum, teste Couarr. *l. 1. variarum resolutionum, c.* 19. Hic duo notanda sunt *primum*, donationem inofficiosam, quam parens liberos habens fecit, non reuocari, nisi post mortem parentis. Nam tunc primo debetur filijs sua legitima, ac tum primũ incipit illa donatio

cedere in filiorum præiudicium. *Secundum*, donationem inofficiosam, etsi valida sit, vsque ad mortem donantis, tamen non fieri sine peccato: quia fit in damnum liberorum, quod post mortem donantis sentient. Vnde, etsi quis promittat aliquid inofficiosè, & promissionem iuramento confirmet; non tamen tenetur implere, quia sine peccato implere non potest, vt colligitur ex multis iuribus C. *de inofficiosis donationibus*.

Quæstio 19. *Quibus casibus donatio mortis causa reuocari possit.*

CONCLVSIO Donatio quæ mortis causa facta est, potest reuocari ob tres causas. *Primò*, si pœniteat donatorem: sicut enim testamentum & legatum pro arbitrio testatoris vsque ad mortem reuocari potest: ita etiam donatio, quæ mortis causa fit; nec refert, an expressè pœniteat, an implicitè vt colligitur ex L. *Qui mortis causa*, ff. *de mortis causa donation*. *Secundo*, si donator dedit intuitu alicuius periculi instantis, ex quo metuit mortem incurrere. Nam hoc ipso, quod periculum euaserit, censetur tacitè reuocata donatio, L. 3. *& seqq. eod. tit.* *Tertiò*, si donatarius moriatur ante donationem, ipso iure est reuocata.

Qu. 20. *An donatio vel promissio conditionalis sit valida.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Conditio præsentis, vel præteriti, addita donationi, vel alicui alteri contractui, non suspendit eam: sed, si conditio existit, valet donatio: si non existit, non valet. Vt, do tibi hanc vestem, si Romæ fuisti; si es meus cognatus. Ita habetur L. *cum ad præsens*, & duabus seqq. ff. *si certum petatur*, & L. *conditio in præteritum*, ff. *de verb. oblig.* Idem dicendum si conditio est de eo, quod necessariò vel omnino certò futurum est, vt, v.g. do tibi hoc, si es mo-fiturus, si iudicium est futurum, L. *si pupillus*, ff. *de nouationibus*. Ratio est, quia quod certò est futurum, censetur quasi præsens.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Conditio futuri incerti suspendit donationem, & alias dispositiones, vsque ad euentum conditionis, vt v.g. Promitto tibi 100. aureos, si fias sacerdos. Ratio est, quia ante euentum conditionis, non potest certo constare, an extabit. Vnde qui ita donat, non intendit, vt donatum fiat donatarij, nisi conditio euenerit.

3. TERTIA CONCLVSIO. Conditio impossibilis non suspendit, sed irritam reddit donationem, & quemuis alium contractum, excepto contractu matrimonij, & dispositione vltimæ voluntatis, de quibus paulo post. Ita Gomez *tract. de legat. cap. 12. num. 67.* Et colligitur ex L. *impossibiles*, ff. *de verb. obligat.* & l. *non solum*, ff. *de actionibus & obligationibus.* Vbi etiam ratio insinuatur, quia omnium ea cogitatio est, vt nihil agi existiment, apposita ea conditione, quam sciunt esse impossibilem.

4. QVARTA CONCLVSIO. Conditio dupliciter dicitur impossibilis, nempe re ipsa, & Iure. Re ipsa impossibilis est, quæ fieri nequit, siue id ex natura rei prouenial, vt si lunam detraxeris; siue ex impotentia illius, cui imponitur, vt si dederis mihi 1000. aureos, cum sis pauper. Iure impossibilis dicitur, quæ stante, & inuiolato iure, fieri nequit, vt est omnis conditio turpis, quæ peccatum continet. Item, quæ nihil boni in se continet, & alicui bono est impedimento, vt si non dederis eleemosynam.

5. QVINTA CONCLVSIO. Si conditio priori modo sit impossibilis, irritum reddit contractum, siue sit de futuro, siue de præsenti, vel præterito. Ratio est, quia talis conditio est signum non adesse serium consensum in contractu. Si autem posteriori modo sit impossibilis, non irritat contractum, nisi sit conditio de futuro. Ratio est, quia, quando est de futuro, obstringit, vel allicit alterum directè ad peccatum. Atqui nemo potest

obligari ad seruandam promissionem, qua alius obstringatur, vel alliciatur ad peccatum. Itaque ante conditionem impletam omnes eiusmodi donationes & promissiones sunt inualidæ: impleta tamen conditione obligant, quia non amplius ad peccatum obstringunt. *Vide quæ suprà dicta sunt quæst. 3.*

6. Sexta Conclvsio. Quamuis conditio impossibilis reddat irritam promissionem, & alios contractus, vt dictum est. Excipitur tamen *Primò*, contractus matrimonij propter *cap.* fin. *de conditionibus appositis. Extra.* Vbi Gregorius IX. statuit conditionem impossibilem, & turpem, contractui matrimonij adiectam, debere propter eius fauorem pro non adiecta haberi, ac proinde non irritare contractum, exceptis iis conditionibus, quæ sunt contra substantiam matrimonij. De hac re latius agitur in materia de matrimonio. *Secundò.* Excipitur dispositio vltimæ voluntatis. Nam conditio impossibilis, vel turpis apposita, non reddit eam irritam, sed habetur pro non adiecta, vt constat L. 1. 4. 6. 8. 9. ff. *de conditionibus institutionum*, & instit. *de hæred. institutione* §. *impossibiles.*

7. Nota hanc posteriorem exceptionem habere locum in vtroque foro: priorem verò in foro tantum externo, non autem in foro conscientiæ. Ratio est, quia Ius humanum non potest supplere consensum in matrimonio, eò quod in matrimonio quisque sit sui iuris, nec vlla potestas humana possit alteri dare facultatem sui corporis, ad vsum matrimonij, sine meo consensu: potest autem supplere consensum in vltimis voluntatibus, quia res externæ subsūt dispositioni iuris humani.

## CAPVT VII.

*De translatione dominij per vltimam voluntatem.*

Per vltimam voluntatem intelligitur *Primo.* Testamentum. *Secundo*, Codicillus. *Tertio.* Legatum. *Quarto.* Fidei commissum. *Quinto.* Donatio causâ mor-

nis. Hic potissimum agimus de testamento.

QVÆST. I. *Quid sit testamentum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si vim nominis spectemus, testamentum dictum est quasi mentis testatio, vt habetur instit. *de testam.* §. 1. Alij vocant testamentum, quasi testamen, seu proprium testatoris de vltima sua voluntate testimonium, vt Gellius, Valla. Vide Couarr. *in Rubric. de testamen. p.* 1.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Quod ad rem attinet definitur ab Vlp. l. 1. ff. *de testam.* Testamentum *est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri vult*: sed quia definitio hæc conuenit etiam aliis vltimis voluntatibus, nempe codicillo, legato, fideicommisso, & donationi causâ mortis. Ideò DD. addunt hanc particulam: *cum directa hæredis institutione*. Nam per hanc particulam distinguitur ab aliis vltimis voluntatibus, quia nullæ ex illis continent directam hæredis institutionem, nisi fortè ex priuilegio, vt dicam paulò post de codicillo militari. Vnde propriè loquendo: Testamentum est hæredis institutio. Vide instit. *de legat.* §. *antè hæredis institutionem*. Et instit. *de fideicommissis*, §. *in primis*, & L. *vlt.* ff. *de codicillis*, vbi habentur hæc verba. *Testamenta vim ex hæredis institutione accipiunt, & ob id veluti caput, ac fundamentum intelligitur totius testamenti hæredis institutio* Hoc olim tam rigidè seruabatur, vt si legatum aliquod, vel fideicommissum præcederet in testamento hæredis institutionem, non esset ratum, & ea solum vim obtinerent, quæ post hæredis institutionem in eo testamento disponebantur. Hic tamen vigor sublatus est à Iustin. instit. *de legat.* §. *ante hæredis institut.* Vbi sancitur, vt omnia sint valida, quæ in testamento disponuntur, siue præcedant hæredis institutionem, siue sequantur.

3. TERTIA CONCLVSIO. Testamentum differt à codicillo dupliciter, *primo*, directa hæredis institutione.

Nam codicillus non fit ad instituendum hæredem, (nisi interdum ex priuilegio, quale concessum est militi, vt patet L. *Milites codicillis*, ff. *de testamento militis.*) sed fit allegata instituenda, ad fideicommissarias, seu indirectas substitutiones, & ad declarandum, immutandum, corrigendumve aliquid in testamento. Hinc patet, cur dixerim, *directa hæredis institutione.* Nam indirecta institutio hæredis potest fieri codicillo; vt si testator in codicillo fieri committat hæredi ab intestato, vel in testamento instituto, vt hæreditatem alicui alteri restituat, qui eo ipso tenebitur eam restituere, reseruando sibi solam quartam partem hæreditatis, quam Trebellianicã appellant, vt patet instit. *de fideicommissaria hæreditate*, §. *sed quia hæres. Secundo.* Differt, quod in codicillo sufficiant quinque testes, etiamsi non sint rogati, masculi, & puberes, vt ex seq. patebit. Hinc fit, vt clausula codicillaris testamento addita, qua significat testator, se velle suam dispositionem valere, per modum vel testamenti, vel codicilli, vel generatim se velle eam valere meliori modo, quo potest. eam vim habeat, vt etiamsi testamentum ob defectum solemnitatis non valeat, qua testamentum, id est, quoad institutionem hæredis directam; valeat tamen qua codicillus. Vnde efficitur *primo*, vt legata tali testamento relicta sint soluenda. *Secundo.* Si testator, non habens liberos, instituat extraneum hæredem: institutio illa habebit vim substitutionis fideicommissariæ. Nam frater, vel alius, qui ab intestato succedit, tenebitur illi tradere hæreditatem, retenta solum quarta parte. *Tertio.* Si verò habeat liberos illi habebunt solum legitimam: extraneus verò sic institutus habebit reliqua. Vide Molin. *disp.* 132.

QVÆST. II.

QVÆST. II. *An testamentum factum ad piam causam sit validum, si desint solemnitates iuris?*

1. IVs ciuile requirit has solemnitates in testamento. *Primo* vt adsint 7. testes. *Secundo*. Vt omnes sint masculi. *Tertio*. Vt puberes. *Quarto*. Vt rogati. *Quinto*. Vt omnes subscripserint, Vt patet L. *Hac consultissima*, C. *de testamento*. Est ergo quæstio: An testamentum factum ad piam causam sit validum, si desint omnes, vel aliquæ ex his solemnitatibus. Dicitur autem factum ad piam causam, quando hæres instituitur pia causa, vt Ecclesia, Monasterium, Pauperes.

2. PRIMA CONCLVSIO. Vt testamentū ad pias causas sit validum, etiam in foro externo, non requiruntur solemnitates iuris ciuilis, sed sufficiunt ea, quæ sunt iuris gentium. Nempe, vt duo testes adsint. Ita Couarr. c 11. *de testam.* n. 9. & apertè colligitur ex c. *Relatum primo, de testamentis*; vbi Alexander III. mandat, vt Iudex non secundum leges ciuiles, sed secundum canones tractet eas causas, quibus agitur de iis, quæ relicta sunt Ecclesiis, duobus vel tribus tantùm legitimis testibus requisitis. Neque requiritur præsentia Parochi, vt quidam volunt. Nam pontifex dicit non nisi duos legitimos testes requirendos. Potuit autem Pontifex in hac re derogare legibus ciuilibus.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Vt tale testamentum sit validum in foro conscientiæ, non sunt necessarij duo testes. Ratio est, quia neque iure ciuili, neque iure canonico sunt necessarij. Non primum, quia nulla solemnitas iuris ciuilis requiritur in testamento ad piam causam, vt iam probatum est. Nec secundum, quia licet Ius Canonicum requirat duos testes; non tamen ideo requirit, vt dispositio sit valida in foro conscientiæ, sed vt possit probari in foro externo, quantum satis est, vt Iudex pro ea sententiam ferat, vt colligitur ex cit. cap. *Relatum*. Hinc sequitur. *Primo*, in tali

testamento, vt validum sit, non requiri hæredis institutionem. Ratio est, quia hæc necessaria tantum est iure ciuili, sed vt testamentum ad pias causas validum sit, nihil requiritur solo iure ciuili, introductum. *Secundo.* Sequitur, etsi testamentum aliquod ad causas profanas defectu solemnitatis sit inualidum, tamen legata pia in eo contenta valida esse. Ratio est, quia Alex. Papa c. *cit.* loquitur generatim de omnibus ad piam causam relictis: ergo etiam comprehendit legata. *Tertio* sequitur legata profana, posita in testamento ad pias causas minus solemni, valere, & soluenda esse. Ratio, quia solemnitas quæ sufficit ad institutionem hæredis, sufficit etiam ad legata illi appositа: accessorium enim sequitur naturam principalis.

QVÆST. III. *An testamentum, factum ad causam profanam, sit validum sine solemnitate iuris?*

1. COnstat non esse validum in foro externo. Quæritur ergo de foro conscientiæ. Couarr. *c.* 10. *de testament. numer.* 12. docet in vtroque foro esse inualidum, ita, vt hæres tali testamento institutus, & legatarius, teneatur ad restitutionem hæredibus ab intestato.

2. PRIMA CONCLVSIO. Probabilius est tale testamentum in foro conscientiæ validum esse, ac proinde licitè retineri quicquid ex tali testamento possidetur, siue titulo hæreditatis, siue legati. Ita Adrian *quodl.* 6. *art.* 1. Angelus v. *Hæres num.* 5. Tabiena ibid. *numer.* 4. Sylvest. v. *testam.* 1. *q.* 5. Ioannes Medina, *de Restitutione*, q. 23. Et apertè colligitur ex L. *Etsi inutiliter C. de fideicommissis* Et institutione *de fideicommissariis hæreditatibus*, §. *vltimo.* Ratio est, quia ex testamento minus solemni oritur obligatio naturalis, vt est communis sententia DD. V. I Et fatetur Couarr. *nu.* 10. Atqui hoc nihil aliud est quàm tale testamentū in foro conscientiæ esse validum. Ita vt hæres ab intestato teneatur eis

satisfacere, & institutus possit relictum petere, & retinere, quamuis Ius ciuile ex eo non concedat actionem. Respondet Couarr. illam sententiam Iurisperitorum intelligendam esse de obligatione naturali non stricta, ratione cuius hæres ab intestato teneatur ex iustitia, sed laxa, qua teneatur solum ex honestate morali, ac proinde eum qui sic institutus est, non posse retinere hæreditatem, vel legatum, quia non habet Ius iustitiæ. Hæc responsio non satisfacit. *Primo.* Quia obligatio naturalis apud Iuristas vocatur ea, quæ præciso omni iure positiuo oritur ex natura actus, & à iure positiuo superueniente non irritatur; sed præciso iure positiuo oritur obligatio iustitiæ ex tali testamento: ergo loquitur de obligatione iustitiæ. *Secundo*, quia Iurisperiti ex hac sententia concludunt hæredem ab intestato teneri in foro conscientiæ restituere hæreditatem ei, qui sic institutus est: ergo loquuntur de obligatione stricta. Confirmatur Conclusio, quia numerus testium, & similes solemnitates, solum requiruntur in testamẽtis, vt fidem faciant in foro externo, seu vt falsitas, & omnis deceptio euitetur, vt expressè dicitur L. *Quæstionum C. de fideicommissis*: ergo non fuit mens legislatorũ reddere irrita talia testamenta in foro conscientiæ, sed tantum in foro externo non assistere, seu non dare actionem, sicut non dant actionẽ ex nuda promissione, nisi formulâ stipulationis, vel simili modo sit præstita.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Ex his sequitur *Primo*, Hęredem ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, teneri restituere hæreditatem, & soluere legatariis, quibus testamento minus solemni debentur. *Secundo.* Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere ratione dubij. Ita Molina disput. 81. Ratio est, quia cum nec ipse, nec alij cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio. *Tertio.* Si hæres ab intestato retineat hæreditatem, & legata,

possunt illi quibus aliquid per tale testamentum est relictum, vti occulta compensatione. Ratio est, quia reuera res relictæ sunt ipsorum. *Quarto.* Si hæres ab intestato fateatur mentem testatoris fuisse, vt hæreditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solueret, aut si oblato iuramento iurare noluerit, cogendus etiam in foro externo hæreditatem tradere (detracta tamen quarta parte, quam vocant Trebellianam) & soluere legatum, vt patet instit. *de fideicommissarius hared. §. vlt.* & L. *quæstionem C. de fideicommissis.*

4. OBIECTIO *prima.* Leges ciuiles apertè docent huiusmodi testamenta, in quibus deest solemnitas iuris inualida esse, & pro infectis haberi, vt patet L. *Hæc consultissima, C. de testam.* & instit. *Quibus modis testamenta infirmentur, §. Ex eo.* Respondent quidam has leges niti præsumptione fraudis, quæ præsumitur commissa in talibus testamentis, quãdo desunt præscriptæ solemnitates. Vnde quando constat nullam fraudem commissam, sed hanc esse veram, & liberam voluntatem testatoris, leges illas non habere locum. Hæc solutio non placet. *Primo*, quia non potest prudenter præsumi fraus ex eo, quod vnus, vel duo testes, vel subscriptio alicuius, desint. Nam multis modis fieri potest, vt aliquid horum sit omissum. *Secundo.* Quia quatuor testes possunt sufficere, vt constet non subesse fraudem: sufficiunt enim in rebus maioribus; vt in causa criminali, in qua agitur de vita. *Tertio.* Etiamsi iudices sciant nullam subesse fraudem: tamen non adiudicabunt ex tali testamento hæreditatem, nisi hæres ab intestato fateatur hanc fuisse mentem testatoris, vel nisi recusauerit oblatum iuramentum. Vnde aliter Resp. leges illas intelligi de foro externo, quia scilicet in foro externo non datur actio ex tali testamento. Lex. n. ciuilis ei non assistit. Hoc autem fit ob iustas causas. *Primo.* Ad vitandas lites. *Secundo.* Ad excludendas fraudes & machinationes.

5. OBIECTIO *secunda.* Si eiusmodi testamenta essent valida in foro conscientiæ, malè facerent Iudices adiudicando hæredibus ab intestato, quia facerẽt apertam iniustitiam, & præberent illis occasionem iniquè petendi, quod aliis relictum est. Respond. Iudices non adiudicant hæredibus ab intestato bona, quæ alijs relicta sunt, tanquam absolutè ad illos pertineant: sed solum non concedunt actionem, iis, quæ nituntur tali testamento: hi enim repelluntur, tanquam destituti probatione quam leges requirunt.

Quæst. 4. *Quinam possint testari, qui non?*

CONCLVSIO. Non possunt testari qui vel sufficienti vsu rationis carent, vel iuris dispositione prohibentur. Inter hos *primo* est impubes, id est, masculus ante 14. & fœmina ante 12. annum expletum. L. *à qua ætate* ff. *qui testamenta. Secundo.* Filiusfamilias, qui tamen, si pubes sit, potest testari de bonis castrensibus & quasi castrensibus L. *nemo C. qui testamenta. Tertiò.* Religiosi. *Quarto.* Clerici quoad bona Ecclesiastica C. *quia nos*, & C. *Relatum* 2. & C. *cum in officiis, de testamentis.* Ex consuetudine tamen multis locis recepta, possunt de his ad pia opera testari. *Quinto.* Damnati ad mortem naturalem, vel ciuilem, vt electi in perpetuum exilium, & perpetuos carceres. Habenda tamen est ratio locorum, & consuetudinum, quia Ius codicis, & ff. *non vbique seruatur. Sexto.* Qui commiserunt aliquod crimen, cui iure annexa est pœna, qua ipso facto sunt intestabiles L. *is cui*, & L. *cum lege*, ff. *Qui testamenta.* Huiusmodi sunt hæretici L. *Manichæos C. de hæreticis.* Item credentes, receptores, defensores, & fautores eorum, vt patet Authent. *Credentes*, C. *de hæreticis.* Item damnati propter libellum famosum, L. *is cui*, ff. *qui testamenta.* Denique persecutores, aut percussores Cardinalium C. *felicis.* de pœnis in 6.

Quæstio 5. *Quinam possint, aut non possint scribi, aut instituti hæredes, vel legatarij.*

CONCLVSIO. Non possunt *primò* hæretici, & Apostatæ, L. *finali, C. de hæret.* Et L. *Hi qui sanctam, C. de apostatis. Secundò.* Credentes, receptores, & fautores hæreticorum, si tamen intra annum non pœnituerint, vt patet ex Autent. *sit.* Vnde sequitur hæredes catholicos posse tales hæredes excludere, & si impediantur, vti aduersus eos occulta cõpensatione, quia ius non habent. *Tertio.* Qui persequuntur, aut percutiunt Cardinalem, vt suprà citaui. *Quarto.* Qui ob crimen aliquod est intestabilis actiuè, ita vt non possit condere testamentum, est etiam intestabilis passiuè, vt non possit capere ex testamento, vt docet Glossa in L. *is cui. ff. qui testamenta*, quam communiter approbant DD. V. L. *Quinto.* Fratres minores, vt patet ex Clement. *Exiui, de verb. signif. §. quia igitur.* Vide cætera apud Sylu. v. *Hæreditas*, 2. quæst. 2. Non tamen placet, quod putet excommunicatum non posse esse hæredem, cum id nullo iure probetur.

1. Quæst. 6. *An illegitimus possit instituì hæres?* Illegitimi sunt duplices: alij vocantur Spurij: alij Naturales. Naturales sunt, qui nascuntur ex parentibus inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis, nullum erat impedimentum dirimens, vt docet Couarr. de *Matrimon. p. 2. ca. 8. §. 4. n. 4.* Etsi enim iure Cæsareo solum dicebatur Naturalis, qui natus erat ex vnica concubina domi retenta: tamen iure Canonico omnes illi vocantur Naturales, qui ex dictis parentibus geniti sunt, omnesque eodem iure gaudent; quod etiam consuetudine receptum est in foro ciuili, vt docet Panormitanus in C. *per venerabilem. Qui filij sunt legitimi.* Spurij dicuntur, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & natiuitatis, erat impedimentum dirimens, vt verbi gratia, qui nati sunt

ex soluta & coniugato, vel ex soluta & sacerdote. Sub his duabus speciebus comprehenduntur, qui Nothi, & Manceres appellati, quæ nomina variè ab authoribus vsurpantur, nec quicquam ad rem explicandam faciunt. Vide Couarr. loco citato.

2. PRIMA CONCLVS. 0. Spurius non potest aliquid capere à patre, siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex contractu inter viuos, vt patet ex Nouel. 74. c. 6. *Nulla eis participanda clementia est, sed vt supplicium etiam hoc patrum, vt agnoscant eos nihil habituros.* Hinc sequitur *primo.* Si pater relinquat filio spurio aliquid in testamento, præter alimenta, nihil iuris acquiri filio, sed teneri in conscientia legitimis hæredibus. Ratio est, quia ipse per leges factus est incapax. *Secundo.* Sequitur spurium à patre non posse substitui, nec vulgari, nec fideicommissaria substitutione. Ratio est, quia perinde est, an immediatè capiat aliquid à patre, an ab alio, ex patris ordinatione. *Tertio* sequitur, si pater hæredem instituens roget eum, vt hæreditatem restituat spurio, & ille promittat se id facturum, non teneri illum hæredem implere promissum, quia promissio fuit nulla, vt pote contra legem. Vnde potest hæreditatem sibi retinere, tanquam verus hæres à testatore institutus. Conditio enim, seu grauamen appositum à testatore, cum sit contra legem, censetur tanquam non appositum in vltimis voluntatibus, vt patet ex L. *impossibiles*, ff. *de verb. oblig.*

3. DICES *primo.* Hæres tenetur restituere fisco, quia bona illa hoc ipso, quod hæres promittit se daturum ea spurio, sunt confiscata, vt patet ex L. *penult.* ff. *de iure fisci*, & L. *prætoris* ff. *de petitione hæreditatis.* Respõd. Non tenetur ante sententiam, quia est pœna constituta hæredi à legibus in punitionem illius promissionis iure prohibitæ. Pœna autem non debetur ante sententiam condemnatoriam. Vnde si à Iudice interrogetur:

An tale quid promiserit testatori, non tenetur fateri, nisi præcesserit infamia. Ratio est, quia agitur de crimine occulto, ob quod grauiter, si verum fateatur, mulctabitur: nempe confiscatione non solum illius hæreditatis, sed etiam omnium bonorum, & deportatione in insulam, eò quòd sponte non reuelauerit, vt patet L. *vnica. C. de iis qui se deferunt.* Si tamen sponte reuelasset antequam interrogaretur, concessa ei fuisset tertia pars bonorum in præmium, vt patet ex ead. L. cit. *Quarto* sequitur si hæres institutus nihil promisit testatori de hæreditate restituenda spurio, potest eam restituere ex sua liberalitate, & spurius potest eam accipere, qui accepit eam voluntate veri domini, nulla lege vetante. Si verò tacitè, vel expressè promisit testatori id petenti, peccauit quidem mortaliter promittendo, sicut & testator ita disponendo: si tamen illa bona tradat, potest ea spurius retinere. Ita Couarr. *num.* 11. Quod mortaliter peccarit, patet; quia leges sub grauissima pœna talem promissionem vetant. Quod tamen promissio valeat, patet, quia fit ab eo qui est dominus bonorum, & lex etsi prohibet promissionem factam testatori; non tamen prohibet, quin hæres, qui est verus dominus illorum, possit ea dare, & tradere spurio.

4. DICES. *secundo.* Hæc traditio fit ex voluntate parentis: ergo spurius est incapax illius per legem. Respondeo. Cum hæres sciat se neque sua promissione, neque ex dispositione testatoris obligari, non censetur ea dare ex vi illius dispositionis, sed ex sua liberalitate. Quod si putaret se obligari, & idcirco ea daret spurio, tunc spurius non efficeretur illorum dominus, quia donatio non esset voluntaria: procederet enim ex ignorantia.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Spurius qui natus est ex coitu damnato, & punibili per legem humanam, non potest etiam succedere matri, etiamsi nulla alia proles

superfit. Ita Couarr. §. 5. *num.* 20. & Molina *disp.* 167. vbi dicit omnium doctorum esse sententiam. Et colligitur ex authent. *licet*, C. *de naturalibus liberis*. Et ex Nouell. 47. *cap.* 6. Ratio, quia illegitimus, qui non potest succedere patri, non potest etiam succedere matri, nisi sit aliqua specialis exceptio in iure, vt colligitur ex L. *citat.* Atqui nulla de successione spurij in bonis maternis extat in iure exceptio, sicut de aliis illegitimis, vt patet ex L. *Si qua illustris*, C. *ad Senatusconsult. Orfician.*

6. Nota tamen *primo*, Etiam spuriis deberi alimenta, si aliunde se non possunt sustentare, vt est communis sententia. Et patet ex ca. *cum haberet.* De eo qui duxit. Ratio est, quia parens iure naturali tenetur alere prolem, si possit.

7. DICES. Iure ciuili vetitum est ne proles ex damnato concubitu alatur à patre, vt patet authent. *ex complexu* C. *de incertis nupt.* Respondeo. Ius Canonicum illud sustulit, tanquam minus consentaneum naturali pietati.

8. Nota *secunde*. Matrem teneri alere prolem primo triennio, vel suis sumptibus curare ali, si possit. Post hoc triennium tenetur pater, donec filius sua se industria possit iuuare, vt expressè habetur L. *nec filium* C. *de patria potestate.* Idem insinuat Greg. IX. c. *finali*, de conuersione fidelium: dum ait; *Pueri post triennium apud patrem ali debent.*

9. TERTIA CONCLVSIO. Filius naturalis potest institui hæres vniuersalis à suis parentibus, si ipsi legitimas proles non habeant, vt patet authent. *Licet.* C. *de naturalibus liberis*, Quod si filius naturalis non instituatur hæres, non succedet patri ab intestato, nisi in duabus vnciis, id est, in sexta parte bonorum, vt habetur in authent. *cit.* Quod si pater habeat liberos legitimos, tunc filius naturalis non succedit cum illis ab

intestato; potest tamen ei relinqui vncia, id est, duodecima pars bonorum.

10. QVINTA CONCLVSIO. Filius Naturalis succedit matri, si non habeat legitimos, etiam intestatæ, vt hæres ex asse: habenti autem legitimos succedit ex æquo cum illis, vt expressè habetur L. *si qua illustris*, C. *ad Senatusconsult. Orficianum.*

QV. VII. *Quibus modis aliquis possit hæredi substitui?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Hoc generatim fieri potest 6. modis. Nempe substitutione vulgari, Pupillari, Exemplari, Fideicommissaria, Reciproca, & Compendiosa. Quatuor priores sunt simplices. Duæ reliquæ sunt compositæ ex pluribus. Vide Couarr. *c.* 16. *de testam. per totum*, & Gomez. *t.* 1. *c.* 3. *vsque ad* 8.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Substitutio vulgaris est, *qua quilibet, iure non prohibitus, potest substitui à quouis testatore.* Per hanc substitutionem testator solum substituit sub conditione: nempe, si is, qui ex testamento, vel ab intestato successurus erat, non velit, aut non possit esse hæres, vt v. g. si moriatur ante testatorem; si propter crimen fiat incapax; si repudiet hæreditatem. Nam in his casibus succedet substitutus. Hæc autem conditio in omni substitutione vulgari, vel exprimitur, vel saltem tacitè subintelligitur: fit enim tribus modis. *Primo*, verbis generalibus, vt si testator dicat. Titium instituo hæredem: & Sempronium substituo. Et tunc non exprimitur vlla conditio, sed subintelligitur. *Secundo*, verbis specialibus, vt Titium instituo hæredem; & si is hæres non erit, substituo ei Sempronium. Hic exprimitur conditio, sed verbis specialibus, sub quibus continentur diuersæ conditiones singulares. *Tertio*, fit verbis singularibus, vt quando exprimitur conditio specialissimè.

3. TERTIA CONCLVSIO. Substitutio Pupillaris est, *qua quis proli impuberi in sua potestate constitutæ ali-*

*quem substituit.* Cum enim nemo ante pubertatem possit condere testamentum, iura concesserunt, vt pater impuberis possit loco illius quodammodo testari, in suo testamento directè substituendo ei hæredem, si ante pubertatem decesserit. Per quam substitutionem fit, vt non solum bona illius pupilli, quæ à patre obtinuerit; sed etiam alia ad substitutum proueniant, perinde ac si ipsemet testamentum fecisset, vt patet instit. *de pupillari substitutione.* §. *igitur.* Vbi sic dicitur: *in pupillari substitutione duo sunt quodammodo testamenta: alterum patris; alterum filij, tanquã si ipse filius sibi hæredem instituisset.*

4. NOTA *Primò.* Vt hæc substitutio sit valida, duo requiri. *Primum*, vt testator eum, cui substituit, habeat in sua potestate. Vnde mater non potest pupillariter substituere, quia liberi non sunt in potestate matris: Nec pater filio illegitimo, ob eandem causam. *Secundum*, vt pupillus, cui substitutio fit, non recidat per mortem testatoris in alterius potestatem. Vnde auus non potest Nepoti pupillariter substituere, si pater viuit, quia Nepos, post mortem Aui, recidit in potestatem patris.

5. Nota *secundo.* In hac substitutione semper exprimi, vel certè subintelligi conditionem, si in ætate pupillari, id est, ante pubertatem decesserit.

6. Nota *tertio.* Substitutionem pupillarem expressam fieri posse tripliciter, vt ante dictum est de vulgari. *Primò*, verbis generalibus, vt si testator loquens de filio suo impubere, non tamen exprimens specificè, quod sit impubes, dicat: Instituo filium meum hæredem, & ei Titium substituo. *Secundo*, verbis specialibus, vt si mẽtionem faciat pupillaris ætatis. *Tertio*, verbis specialissimis, vt si exprimat etiam conditionem, dicens: instituo filium meum impuberem hæredem: & si in pupillari ætate, post mortem meam, decesserit, substituo ei Titium. Quandocunque autem vno ex his tribus

modis facta est substitutio, tunc substitutus pupillaris excludit matrem pupilli, si pupillus in ætate pupillari mortuus fuerit.

7. Qvarta Conclvsio. Substitutio exemplaris est, *cum filio amenti, vel surdo simul & muto, vel prodigo, cui bonorum administratio interdicta est, fit substitutio.* Vt si testator habens talem filium dicat: Instituo filium meum, & ei substituo Titium. Quod si hic filius nondum fuerit pubes, eadem substitutio etiam erit pupillaris: Si autem contingat filium mori ante testatorem, erit etiam substitutio vulgaris. Denique si post pubertatem redeat ad mentem, erit fideicommissoria: tunc enim substitutus succedet ex tacito fideicommisso. Dicitur autem hæc substitutio exemplaris, quia ad exemplum pupillaris institutionis est inuenta.

8. Qvinta Conclvsio. Substitutio fideicommissoria est substitutio indirecta, seu obliqua, qua hæres grauatur, vt hæreditatem totam, vel partem eius aliquotam restituat alteri, qui fideicommissarius dicitur.

9. Nota *primo*, Cæteras substitutiones esse directas, quia per eas directè, & immediatè hæreditas à testatore defertur substituto: hæc autem est indirecta, seu obliqua, quia per eam defertur hæreditas ministerio alterius. Vnde sequitur hanc fieri posse codicillo, cæteras minimè.

10. Nota *secundo*, Hæredem sic institutum & grauatum restituere, posse detrahere quartam partem eius, in quo institutus est: tum ne vana sit hæredis institutio; tum etiam vt alliciatur ad acceptandum, & præstandum, quod testator cupit. L. 1. & seq. C. *ad Senatusconf. Trebel.* Et instit. *de fideicommissariis hæredit.* §. *sed quia stipulationes.*

11. Sexta Conclvsio. Substitutio reciproca est, qua instituti sibi vicissim substituuntur. Hæc complectitur plures substitutiones quoad personas, vt

si dicam: Instituo Petrum & Paulum meos hæredes, & eos inuicem substituo.

12. SEPTIMA CONCLVSIO. Substitutio compendiosa est, *quæ plures complectitur substitutiones quoad diuersa tempora*, vt si testator dicat: Instituo filium meum hæredem, & quandocunque ex vita decesserit substituo ei Titium. In hoc casu, si filius moriatur ante patrem, Titius substitutus succedet ex vulgari: Si verò filius fiat hæres, & moriatur in ætate pupillari, succedet Titius ex pupillari: Si verò filius moriatur post pupillarem ætatem, succedet Titius ex fideicommissoria, detracta legitima, & quarta Trebelliatica.

## Quæstio 8. *An testamentum iuratum possit reuocari?*

1. CONstat testamentum, per se spectatum, vsque ad mortem posse reuocari, & mutari, vt docent omnia iura, & patet ex illo Heb. 9. v. 17. *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet, dum vivit, qui testatus est*: Solum ergo quæritur, an reuocari possit, si iurauerit testator se non reuocaturum.

2. PRIMA OPINIO est posse reuocari, & iuramentum ad nihil obligare. Ita Barthol. & alij multi Iurisperiti apud Couar. *supra num.* 48. Probatur *primo*, quia iuramentum sortitur naturam actus illius, cui adhæret c. *Quemadmodum*, de iureiurando; sed testamentum est actus natura sua reuocabilis: ergo iuramentum illi additum non obligat. *Secundo*, quia iuramentum contra bonos mores non obligat, vt habetur in regula 6. Sed testamentum iuratum est contra bonos mores, quia præbet hæredibus occasionem desiderandi mortem testatoris. *Tertiò*, quia pactum, quo aliquis dicit: constituo te hæredem, & nisi præstitero, spon-

deotibi tantam pecuniam, est iniquum, est que non obseruandum, quia est contra naturalem libertatem testandi, lege *stipulatio hoc modo*, ff. *de verborum obligationibus*, sed idem fit per testamentum iuratum: ergo.

3. SECVNDA OPINIO est testamentum iuratum, si nihil iniquum contineat, ita esse validum & firmum, vt non possit reuocari, ne quidem nouo testamento subsequente. Ita VVilh. Durand tit. *de instrumentorum editione*. Probatur *primò*. Quia contractus, & pacta quæ ex se obligatoria non sunt, neque contra salutem animæ, si iuramento confirmentur, fiunt irreuocabilia; ne iniuria aliqua Deo irrogetur: sed testamentum non est contra salutem animæ, nec natura sua obligat, ante mortem testatoris: ergo si confirmetur iuramento, fit irreuocabile, c. *cum contingat*, *de iureiurando*. *Secundò*. quia non est intrinsecè malum se priuare libertate testandi: potest enim homo renunciare seculo, & omnibus quæ habuit. Hinc c. *si Religiosus*, de electione in 6. de Augustino dicitur; *Testamentum nullum fecit, quia pauper Christi, vnde faceret, non habuit*.

4. TERTIA OPINIO est testamentum iuratum esse reuocabile de facto; non de iure, id est, si post testamentum iuratum aliud conficiat, illud posterius valere in vtroque foro, testatorem tamen esse periurũ. Ita Ioan. And. reg. *Quod semel*. de reg. iuris in 6. Archidiac. & Felin. apud Couarr. loc. cit. Probatur *primò*. Quia iuramentum priuati hominis non potest mutare naturam contractus: sed testamentum natura sua reuocabile est: ergo non desinit esse reuocabile, etiamsi iuretur. *Secundo*, quia actus contra iuramentum factus, etiamsi agens periurus sit, validus est, modo prior actus fuerit mutabilis, vt patet in simplici voto iurato. Nam qui hoc modo vouet castitatem, & postea contrahit matrimonium, validè contrahit, etiamsi periurium

committat: ergo idem dicendum est de testamento iurato.

5. PRIMA CONCLVSIO. Testamentum malè dispositum, & continens aliquid contra leges iustas, etiamsi iuramento confirmatum sit, reuocandum est. Ratio, quia iuramentum in re illicita non obligat. Hinc dici solet, iuramentum non debere esse vinculum iniquitatis.

6. SECVNDA CONCLVSIO. Testamentum bene dispositum, & ex omni parte perfectum, ita vt nulla possit de nouo occurrere iusta causa mutandi, si iuratum est, & à testatore reuocetur, erit de facto reuocatum, & posterius in vtroque foro valebit: peccabit tamen grauiter reuocans, & erit periurus. Prior pars probatur argumentis primæ, & tertiæ opinionis. Posterior pars ex argumentis secundæ opinionis, quæ solum concludunt, testatorem peccare, & periurum esse, si reuocat testamentum iuratum.

4. TERTIA CONCLVSIO. Testamentum bene dispositum, sed tamen imperfectum, id est, in quo non est benè omnibus futuris euentibus præuisum, si sit iuratum, & nulla de nouo iusta causa subsit illud mutandi, & à testatore reuocetur, reuocatio valebit, & reuocans erit periurus: si autem iusta causa subsit, licitum erit absque vllo peccato illud reuocare. Prima pars patet ex secunda concluſ. Altera probatur, quia qui condit testamentum imperfectum, & illud iurat, vel ita iurat, vt statuat non mutare illud, etiamsi iusta causa se postea offerat: vel statuit non seruare illud, quando noua causa se offert, quæ secundum rectam rationem exigat aliquam mutationem: Si primum, iuramentum fuit iniquum, & non obseruandum. Si secundum, testator prudenter retinuit facultatem mutandi testamentum, oblata iusta causa; quod cum laude præstat, aduenient tali causa.

## CAPVT VIII.

*De translatione Dominij per contractus.*

HIc breuiter agam de contractu in genere. Nam postea, cum D. Thoma, disputandum est de emptione, & aliis contractibus in particulari.

### QVÆST. I. *Quid sit contractus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si strictè loquamur: Contractus *est vltro citroque obligatio, vt habetur l. 19. de verb. signif.* quæ definitio non sic est intelligenda, quasi contractus formaliter sit obligatio, sed quod sit causa obligationis in contractibus. Nam formaliter est locutio, vel scriptura, vel aliud externum signum, quo homines exprimunt mentem suam, & sese vicissim alter alteri obligant. Hinc sequitur donationem, & promissionem, non esse propriè contractus, quia non efficiunt obligationem, nisi in altera parte.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si latius loquamur, contractus *est conuentio duorum, obligationem saltem in altero tro producens*, & sic non distinguitur à pacto, & comprehendit promissionem, & donationem acceptatam, vt patet L. *Contractus* C. *de fide instrumentorum*. Hoc modo hic agimus de contractu.

### QVÆST. II. *Quotuplex sit contractus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Contractus alij perficiuntur re: alij scriptura: alij verbis: alij consensu. Re perficiuntur, qui non consistunt in sola conuentione, sed requirunt rei Traditionem, vt depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio. Scriptura perficiuntur, quiante scripturam rati non habentur, vt emphyteusis, & omnis contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario qui instrumentum conficiat. Verbis perficiuntur, qui requirunt certam verborum formulam, vt sunt omnes stipulationes. Cõsensu perficiuntur, qui non requirunt certã verborum formam, sed sufficit consensus quouis modo exterius

exterius vtrimque explicatus, vt emptio, venditio, locatio, conductio.

2. SECVNDA DIVISIO. In contractum *Nominatum*, & *Innominatum*. *Nominatus eſt*, qui habet ſpeciale & proprium nomen, quo ab aliis diſtinguitur; vt emptio, venditio, mutuum, locatio, commodatum, pignus, depoſitum, & ſimiles. *Innominatus eſt*, qui non habet nomen ſpeciale, ſed genericum tantùm. Huius ſunt 4. ſpecies, vt Do vt des: Do vt facias: Facio vt des: Facio vt facias.

3. TERTIA DIVISIO. In contractum *bonæ fidei*, & *ſtricti iuris*. *Contractus bonæ fidei* ſunt, in quibus Iudex poteſt multa ex æquo & bono arbitrari, vt ſunt emptio, locatio, ſocietas, commodatum, depoſitum, pignus, permutatio, & ſimiles. *Contractus ſtricti iuris* ſunt, in quibus Iudex ad verba aſtringitur, vt fit in ſtipulationibus, in contractu feudali, & emphyteutico.

4. QVARTA DIVISIO. In *Lucratiuum*, & *Oneroſum*. *Lucratiuus* eſt, in quo nihil rependitur, vt promiſſio, donatio, commodatum. *Oneroſus* eſt, in quo, loco eius quod datur, aliquid debet reddi, vel præſtari; vt mutuum, emptio, locatio, conductio, feudum, emphyteuſis.

5. QVINTA DIVISIO. In *pactum nudum*, & *veſtitum*. *Nudum* dicitur, quod in mera conuentione conſiſtit, & omni alio firmamento caret; vt donatio ante traditionem rei. *Veſtitum* dicitur, quod habet aliquid amplius, vnde iure ciuili robur obtineat. Veſtitur autem 6. modis. *Primo* reipſa, vt ſi altera ſaltem ex parte ſit impletum. *Secundo*, verbis, vt ſi accedat formula ſtipulationis. *Tertio*, literis, vt ſi literis fatearis tibi eſſe ſatisfactum, etiamſi ſatisfactum non ſit, quod vocatur acceptilatio. *Quarto* ſpecifico nomine contractus, vt omnes contractus nominati, ſi alioquin in ſuo genere perfecti ſint. *Quinto* cohærentia cum contractu veſtito, vt

si vendam tibi domum 100. aureis, cum pacto, vt illam adhuc inhabitem: hoc enim pactum accessorium, est per se nudum, & tamen quia cohæret cum venditione, quæ est pactum vestitum, censetur etiam vestitum. Nam accessorium sequitur naturam principalis. *Sexto*, iuramento de quo paulò pòst.

QVÆST. III. *An omnis cõtractus obliget in vtroque foro?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Omnis contractus etiam nudus parit obligationem naturalem, seu in foro conscientiæ, si habeat has conditiones. *Primo*, si sponte ac liberè sit factus. *Secundo*, si contrahentes sint habiles. *Tertio*, si materia contractus sit legitima. *Quarto*, si iure positiuo non sit irritus. Est communis sententia teste Couarr. in c. *quamuis pactum p.* 2. §. 4. *n.* 23. Ratio est, quia vt aliquis se obliget, sufficit animus obligandi externo signo expressus, nisi aliunde impediatur. At non potest aliunde impediri, si adsint conditiones assignatæ. Hinc è contrario sequitur non esse validum contractum. *Primo*, si vi, dolo, aut errore factus sit. *Secundo*, si contrahentes sint inhabiles. *Tertio*, si desit legitima materia, vt si fur vendat rem alienam. *Quarto*, si iure ciuili sit irritus. Potest enim ius humanum, vel omnino irritare pactum aliàs validum, ita vt non obliget, vel alteri contrarium tribuere ius obligationem elidendi; vt patet in contractu impuberis, in alienatione fundi dotalis, & in similibus, qui iure naturali, & gentium essent validi, nisi ius positiuum iis resisteret.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Contractus, qui dicitur Pactum nudum, non parit obligationem in foro ciuili. Est communis sententia, & patet L. *Iure gentium.* ff. *de pactis*, vbi dicitur, *Nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.*

3. Nota tamen si huiusmodi cõtractus ex altera parte completus fuerit, per rei traditionem; iam obligare in

foro ciuili, in fauorem eius, qui impleuit, l. 1. ff. *de rerum permutationibus*: tunc enim vestitur reipsa, vt dictum est *præced. quæst. diuisione quinta.*

Quæst. 4. *An contractus per se inualidi, confirmentur iuramento?*

1. EX dictis patet qui contractus, ex se validi, aut inualidi sint, tam in foro externo quam interno. Nunc quæritur: An illi, qui ex se inualidi sunt, fiant validi per iuramentum.

2. Nota. Non esse idem, iuramentum esse validum, & iuramentum confirmare contractum. Iuramentum enim validum dicitur, quandocumque est seruandum ob honorem diuini Numinis, etiamsi ei, in cuius fauorem fit, nullum ius per illud acquiratur. Confirmat contractum, quando non solum seruandum est; sed etiam alteri, in cuius fauorem fit, ius tribuit. & contractum in sua specie validum efficit.

3. PRIMA CONCLVSIO. Vt sciamus, quando iuramẽtum sit validum, quando non sit; Nota has duas regulas. Prima, quando id, quod iuramento alicui promittitur, sine vllo promittentis peccato seruari potest, tunc iuramentum est validum, & seruandum. Intellige, si ille, in cuius fauorẽ factum est, illud seruari velit, & alias legitimè non relaxetur. Secunda, quando id, quod promittitur, sine peccato promittentis seruari non potest, iuramentum est inualidum. Vtraque colligitur ex c. 2. *de pactis in 6.* & c. *cum contingit, de iureiurando*, & *ex Regul. 58. de Regulis iuris in 6.* Ratio prioris Regulæ est, quia honor & reuerentia diuinæ maiestatis postulat, vt non faciamus illam esse testem falsi, ac proinde vt præstemus, quod promisimus. Ratio posterioris est, quia nemo potest obligari ad peccatum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Vt autem sciamus, quando iuramentum confirmet contractũ, aut non cõfirmet. Nota *primo*, has duas regulas. *Primo*, Quando

contractus est iure naturali irritus, aut irritari potest (ita testamentum conditum ad mortem vsque reuocabile est, & irritari potest) non confirmatur iuramento; quamuis iuramentum sit seruandum, si id, quod promittitur, non est illicitum. *Secundo*, Quando contractus inducit obligationem naturalem, confirmatur iuramento, etiamsi aliàs sit iure ciuili irritus, vel in irritum reuocabilis: modo vis, vel fraus non intercesserit Ratio prioris est, quia non confirmatur, nisi quod aliquam vim habet: ergo si contractus non obligat iure naturali, non potest confirmari iuramento. Ratio posterioris est, quia quod habet aliquam vim, potest confirmari: ergo si contractus obligat iure naturali, potest confirmari iuramento.

5. NOTA *Secundo*. Quando quis iurat contractum irritum, præsertim si irritus sit, quia vi, vel dolo extortus est: tunc is qui iurauit, potest petere relaxationem iuramenti, quia iniuriam passus est.

6. TERTIA CONCLVSIO. Ad has regulas melius intelligendas notandum est, dupliciter posse iuramentum addi contractui. *Primo*, si iures te contrahere. *Secundò*, si iures te non reuocaturum contractum. Prius iuramentum est assertorium, de quo hic non agimus. Posterius est promissorium, de quo intelliguntur supra dictæ regulæ.

Quæst. 5. *Quinam possint contrahere?*

CONCLVSIO. Generatim loquendo omnes illi possunt contrahere, qui habent administrationem bonorum, quatenus illa administratio se extendit. Qui verò carent administratione, non possunt nisi ex consensu eorum, quibus subsunt. Solet esse difficultas de Pupillo, & Minore. Resp. Breuiter posse eos validè contrahere in suum commodum, sine authoritate Curatoris, vel Tutoris; non tamen in suum incommodum. Non enim possunt sine authoritate eorum, quibus sub-

sunt, aliis validè & efficaciter obligari; quamuis possint alios sibi obligare. Est communis sententia, & expressè habetur. *Institut. de author. tutorum*, in principio.

## CAPVT IX.

### *De translatione Dominij per præscriptionem.*

DIsputant Iuristæ de hac re in C. *& Institut.* de vsucapionibus, & præscript. Canonistæ 16. quæst. 3. & in Regulâ, *possessor.* de Regulis iuris in 6. Theologi in 4. distinct. 15. Summistæ v. *vsucapio*, & v. *præscriptio*.

Quæst. 1. *Quid sit Præscriptio, & Vsucapio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nomen Præscriptionis tripliciter accipitur apud Iureconsult. *Primo* generatim, vt sit idem, quod exceptio, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore. Est autem duplex exceptio: Altera dilatoria, vt si opponas Iudicem non esse competentem, testes infames, actorem excommunicatum; altera peremptoria, vt si opponas te mandato principis feciſſe, te iam ante soluisse, quod petitur. Idem est de præscriptione, quando sumitur pro exceptione: aut enim est dilatoria, aut peremptoria. Hoc modo accipitur in tit. *de exceptionibus & præscriptionibus*, l. 44. ff. Simili modo accepit Tertull. *in l.* quę inscripsit *de præscriptionibus aduersus hæreticos*. Nam in illo lib. agit de iis, quæ hæreticis, per doctrinam quasi litem nobis intentantibus opponi possunt à Catholicis, ne ab iis vincantur. *Secundo* accipitur specialius pro exceptione peremptoria, prouenięte ex eo, quod tempore legibus definito rem aliquam possedimus, vel iure aliquo vsi sumus; vel quod alius tali tempore ab vsu alicuius rei cessarit, vt patet ex tit. *Codicis*, de præscriptione longi temporis, & de præscriptione triginta, & quadraginta annorum. *Tertio* accipitur pro dominij acquisitione, vel iuris alieni elisione, ex tempore legibus definito, proueniente. Hoc modo dicimur præscribere domum, vineam, agrum, id est, acquirere dominium

domus, vineæ, agri. Sic tamen non accipitur in iure ciuili, sed in iure pontificio, & passim ab interpretibus vtriusque iuris, vt docet Couarr. ad reg. *possessor. §. vnico, n. 6.* Ratio, cur sic acceperit, est, quia qui dominium alicuius rei per continuatam eius possessionem comparauerat; si impetebatur à priori Domino, præscribebat, id est, excipiebat, & opponebat certi temporis possessionē, per quam fecerat rem suam, & ita actionem eius perimebat. Hinc ipsa vsucapio, & dominij acceptio, cœpta est vocari præscriptio; cum tamen præscriptio ex vsucapione oriatur, vt patet L. *Emptor* C. *de præscript.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Ex his patet, quid sit præscriptio. Nam si primo modo sumatur, nihil aliud est, quàm exceptio, seu oppositio aduersus actionem actoris. Si secundo modo, est exceptio peremptoria contra priorem dominum, ex tempore legibus præfinito vim habens. Si tertio modo, est dominij acquisitio, vel alieni iuris, siue realis, siue personalis, peremptio, per continuationem temporis, lege præfiniti.

3. Nota. Si acceptionem dominij paulò latius accipiamus, non opus est addere (vel alieni iuris peremptio) quia qui ius alterius perimit, acquirit dominium suæ libertatis: liberatur enim ab obligatione, qua alteri erat obstrictus.

4. TERTIA CONCLVSIO. Vsucapio *est acquisitio dominy, per continuationem temporis lege definiti*, vt habetur L. 3. *ff. de vsuc.* quæ definitio non est formalis, sed causalis. Nam vsucapio non est formaliter acquisitio dominij, sed potius causa acquisitionis: formaliter verò nihil est aliud, quàm quædam possessio rei alienæ. Vnde dicimus vsucapionem interrumpi; potest tamen etiam accipi pro ipsa acquisitione dominij.

5. QVARTA CONCLVSIO. Ex dictis colligi potest differentia præscriptionis ab vsucapione. Si enim sumatur *primo* vel *secundo* modo, res est clara. Quia

præscriptio his modis est oppositio contra actorem. Si *tertio* modo, sic est magis commune, quàm vsucapio: omnis enim vsucapio est præscriptio, non contra. Nam præscriptio, qua extinguitur actio personalis, vel realis, alterius, non est propriè vsucapio: generaliter tamen posset vocari vsucapio, quatenus ius, & libertas ab aliqua obligatione, potest dici vsucapi. Et sic æquè latè paterent præscriptio, & vsucapio.

6. NOTA tamen, Interpretes iuris passim distinguere præscriptionem ab vsucapione: quod vsucapio sit mobilium: præscriptio vero immobilium. Sed hæc differentia non est fundata in iure. Nam vsucapio est etiam immobilium, vt patet Instit. *de vsucapione in principio*, & Lege *vnica*. C. *de vsucapione transformanda*: similiter præscriptio in rebus etiam mobilibus locū habet. Nam quando eas vsucapimus, vtimur præscriptione, seu exceptione contra priorem dominum.

QVÆST. II. *Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem, & primum an requiratur possessio?*

1. COmmunis sententia est requiri quatuor conditiones: nempe possessionem, titulum probabiliter præsumptum, bonam fidem, & continuationem possessionis cum bona fide per tempus lege præscriptum. Hoc loco examinanda est prima conclusio. De cæteris dicam in sequentibus.

2. PRIMA CONCLVSIO. Ad præscribendum necessaria est possessio, quia vt habet regula iuris in 6. *sine possessione præscriptio non procedit*. Debet autem hæc possessio esse, qua quis nomine suo possidet: non autem alieno. Nam qui alieno nomine possidet, non est verè possessor, sed alter, qui per illum possidet.

3. QVÆRES. Cum triplex sit possessio: *Vna* ciuilis tantum: *Altera* naturalis tantum: *Tertia* naturalis & ciuilis simul, quænam potissimùm necessaria sit. Resp. *primo* hæc vltima est aptissima. *Secundo* naturalis tantum

non sufficit. *Tertio* ciuilis tantum, qua solo animo rei nostræ etiam absentes insistimus, sufficit, vt probat Couarr. ad regulam, *Possessor* p. 1. §. *vnico*, nu. 7. Hæc enim ideo etiam ciuilis dicitur, quod hunc ciuilem effectum pariat.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Ob defectum huius conditionis sequitur *Primo* loca sacra & Ius Decimarũ non posse præscribi à Laico. Ratio est, quia Laicus non est capax possessionis ciuilis talium rerum, cum ius ei resistat, vt patet L. *Qui vniuersas*, ff. *de acquirenda, vel amittenda possessione. Secundo*, Religiosum Professum non posse quicquam præscribere, seu vsucapere; quia nihil potest suo nomine possidere. *Tertio*. Fructuarium, feudatarium, emphyteutam non posse rei proprietatem præscribere, quia hanc non possidet nisi naturaliter. Dominus enim directus possidet illam ciuiliter. Deinde non possidet eam suo nomine, sed directi Domini: possunt tamen præscribere ius, vtilitates, quia hoc ciuiliter possident, vtpote suo nomine. *Quarto*, neminem posse præscribere, quamdiu apud ipsum non est possessio ciuilis, sed apud alium. Nam præscriptio incipit ab eo die, quo prior Dominus amittit possessionem ciuilem, vt est communis sententia, teste Couarr. *loc. cit.*

QVÆST. III. *An ad præscriptionem requiratur titulus?*

3. PRIMA CONCLVSIO. Requiritur titulus probabiliter præsumptus, id est, qui bona fide putetur validus, vt donatio testamenti, emptionis, permutationis: non est autem necesse vt ille titulus sit verus, id est, validus (Nam hic sufficit ad transferendum dominium sine præscriptione) sed satis est, vt probabiliter putetur verus, quamuis reuera inualidus sit, vt si v. g. venditor non habuit potestatem vendendi: tunc enim ius facit, vt res aliena, exacto tempore definito, fiat tua.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Licet ordinariè, non tamen semper requiritur titulus ad præscriptionem,

Couarr. *p.* 2. §. 8. quia sæpe fit vt tituli obliuiscamur: multa enim habemus in rebus nostris, de quibus non constat, an emptione, donatione, testamento, an aliter acceperimus; requiritur tamen, vt breuiore, vel ordinario tempore fiat præscriptio.

QVÆST. IV. *An ad præscriptionẽ requiratur bona fides.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Requiritur bona fides, vt patet ex Regula iuris in 6. quæ ait: *possessor malæ fidei non præscribit.* Idem habetur in c. *fin.* de præscriptionibus. Est autem hoc loco bona fides nihil aliud, quàm credulitas qua quis sibi prudenter persuadet, rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam. Dico, *prudenter*, quia si ex ignorantia crassa, vel ex inordinata cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides. Quæres. An censeatur bona fide rem possidere, qui dubitat, an res sit sua. Pro quo sit.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui dubitat, non censetur habere bonam fidem ad inchoandã possessionem, quamdiu manet dubitatio. Ita Couarr. suprà, Ioannes Medina c. *de restitutione*, quæst. 17. & alij passim. Ratio est, quia qui dubitat, an res sit sua, an aliena, iniquè faceret, eam sibi arrogando, cùm non sit melior ipsius conditio, quàm alterius.

3. TERTIA CONCLVSIO. Qui dubitat, censetur habere bonam fidem sufficientem ad continuandam possessionem, bona fide inchoatam. Ita Couarr. Medina, & alij contra Adrian. *in 4. quæst. de præscriptione*, & quosdam alios, qui putant bonam fidem per tale dubium interrumpi, ac proinde præscriptionem non procedere. Ratio conclusionis est, quia in pari dubio melior est conditio possidentis: ergo potest rem retinere & possessionem continuare: ergo potest etiam præscribere. Nam sola illa possessio est inutilis ad præscribendum, quæ non est sine peccato, vt patet ex dicto c. *finali*.

DICES. Bona fides est existimatio, qua quis prudenter existimat rem esse suam, vt dictum est in *prima* concluſ. sed qui dubitat, non existimat prudenter rem esse suam: ergo non habet bonam fidem. Respondeo non tantum est bona fides, cùm quis positiuè credit non esse suam, sed etiam cum nescit esse alienam, vt patet *c. fin.* de præscriptione, & ex c. *ſi virgo* 34. quæſt. 1. Vnde cum dubitans nesciat esse alienam, censetur habere bonam fidem, non quidem ad inchoandam, sed continuandam possessionem. Nam capita citata loquuntur de continuatione possessionis, non inchoatione. Ex dictis solui potest dubium quod tractat Couarr. *num.* 2. An scilicet detur mediũ inter bonam & malam fidem. Respondeo dari medium, ſi ſpeculatiuè loquamur, non autem, ſi practicè. Nam qui dubitat ſpeculatiuè, nec bonam, nec malam fidem habet: quia nec credit positiuè rem esse ſuam, nec alienam, ſed hæret in medio. At in ordine ad praxim, vel bonam, vel malam fidem habet: Bonam, ſi agatur de continuatione poſſeſſionis benè inchoatæ: Malam, ſi agatur de poſſeſſione primum inchoanda.

QVÆST. V. *Vnde proueniat bona fides, quæ ad præſcriptionem requiritur.*

1. DIxi: Bonam fidem in eo conſiſtere, vt quis prudenter credat rem esse ſuam quæ ſua non est aut nesciat esse alienam, quæ aliena est. Hoc debet prouenire ex aliquo errore, vel ignorantia, ſiue iuris, ſiue facti. Quæritur ergo: An error qui inducit bonam fidem ſufficientem ad præſcribendum, ſit error iuris, an facti. Est autem præcipua quæſtio de errore iuris, v. g. comparaſti rem aliquam contractu vſurario, quem putabas esse iuſtum, & licitum, vel accepiſti veſtē à Religioſo, neſciens illum non posse donare. Quæritur, An cum tali errore currat præſcriptio. Ioannes Medina C. *de reſtitutione quæſt.* 17. docet quamlibet ignorantiam

inculpatam; tam iuris, quàm facti, sufficere ad præscribendum in foro conscientiæ.

2. PRIMA CONCLVSIO. Ignorantia clara iuris non sufficit ad præscriptionem rei, etiamsi sit omnino inculpata; sufficit tamen, si inculpata est, ad præscribendos fructus, ex re illa perceptos. Prima pars est communis sententia, teste Couarr. Reg. *possessor. p.* 2. §. 7. *nu.* 6. & patet ex L. *nunquam.* ff. *de vsucapione*, vbi sic dicitur: *Nunquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* Item ex L. *iuris.* ff. *de iuris & facti ignorantia.* Vbi sic dicitur, *iuris ignorantiam in vsucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* Similia habentur L. *error.* ff. *eodem titulo.*

3. QVÆRES. An hoc verum sit in vtroque foro. Respondeo probabilis est sententia Medinæ tantùm in foro externo verum esse. Nam in foro conscientiæ videtur sufficere ignorantia iuris, ad præscribendum, modò sit inculpata. Ratio est, quia leges ideo videntur iuris ignorantiam reiicere à præscriptione, quod is, qui ignorat ius contractuum, præsumatur non bona fide inchoasse possessionem; quia tenebatur adhibere diligentiam, vt sciret leges contrahendi: ergo si in foro conscientiæ, vbi cessat præsumptio, nulla fuerit negligentia, aut culpa, videbitur posse vsucapere. Ant. patet ex regula iuris in 6. vbi dicitur. *Qui contra iura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere.* Secunda pars concluſ. est Nauarr. & aliorum, quos ipse citat. L. 1. *consil. tit.* 6. de officio Iudicis. Ratio est, quia error circa fructus, videtur esse error facti: putat enim possessor se eos percipere ex re sua.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Ignorantia iuris valdè dubij, & etiam verè dubij, sufficit ad præscriptionem rei. Ita Nauarr. *loc. cit.* Couarr. §. 7. *num.* 12. & alij. Ratio est, quia quãdo ius aliquod est verè dubium, id est, de quo vtrimque sint multorum sententiæ, prudenter

possumus in praxi vtramlibet sequi, perinde ac si ius planum esset: ergo potest vsucapere is, qui aliquid acquisiuit contractu ambiguo. De quo vtrimque sunt opiniones DD.

5. TERTIA CONCLVSIO. Ignorantia, vel error facti, sufficiens est ad præscribendum, vt expressè habetur, l. *iuris*, & l. *error*. ff. *de iuris & facti ignorãtia*. Vnde si rem aliquam emeris à fure nesciens esse furem, tenes illam bona fide, & potes præscribere. Idem est si emeris, vel dono acceperis à pupillo, nesciens esse pupillum, vt patet l. *pro emptore*. ff. *pro emptore*. Pari modo si emas à prælato rem Ecclesiæ, putans capitulum consensisse, est error facti, & potest præscribere, etiamsi Capitulum non consenserit; Si autem emeris à prælato, putans non requiri consensum capituli, est error iuris, nec potes præscribere, nisi fructus rei; non autem rem ipsam, iuxta ea, quæ dicta sunt.

Quæst. 6. *An aliquando cum mala fide procedat præscriptio.*

1. RAtio dubij est, tum quia leges ciuiles videntur id affirmare; tum etiam quia in quibusdam casibus videtur ita fieri.

2. PRIMA CONCLVSIO. Propriè loquendo nunquam procedit præscriptio cum mala fide, vt ex dictis patet: leges autem ciuiles, quæ statuunt præscriptionem 30. aut 40. annorum, etiam cum mala fide procedere, sunt abrogatę iure Canonico, vt patet c. *fin.* de prescriptionibus. Hinc sequitur *primo*, vt præscribam contra debitum pecuniarum, vel contra actionem ad tale debitum, quam habet Petrus in me, non sufficere, vt Petrus toto tempore non exigat debitum, aut non meminerit, sed requiritur, vt ego certo temporis spatio, bona fide existimem, me nihil debere Petro, v.g. vt putem esse condonatum, vel solutum, vel vt omninò memoria exciderit. Ratio est, quia alioqui non censę-

bor bona fide possidere ius non soluendi. Similiter etsi famulus intra biennium, ex quo desiit famulari, non petat stipendium à Domino; non tamen Dominus potest præscribere contra debitum illud, nisi bona fide putet solutum esse.

3. DICES. Aliqui docent cum mala fide posse præscribi contra actionem personalem, ita vt si certo tempore creditor non exigat debitum, posteà non possit illud petere in iudicio, eique denegatur actio. Ita Adrianus *quodlib. 6. articul. 3.* Vnde etiam Carolus V. Anno M. D. XL. Bruxellæ statuit, vt famuli mercedem pactam petant à Dominis intra biennium, à die qua seruire cessauerint; alioquin non possint eam petere in iudicio, nisi scripturam producant. Respondeo. Etsi hoc ita sit, non tamen ideo liberatur Dominus in conscientia, si mala fide retinet pecuniam famulo debitam. Immo, si constaret, illum mala fide retinere, condemnaretur etiam in foro externo. Secundo sequitur, vt quis præscribat ius eligendi, præsentandi, pascendi, aut venandi in alieno prædio, requiri vt bona fide vtatur tali iure, tempore per legem constituto. Si enim mala fide vtitur, sciens se non rectè facere, non currit præscriptio.

4. PRIMA OBIECTIO. Is, cuius bona per legem pœnalem addicta sunt fisco, & hæredes illius præscribunt contra fisci actionem, cùm tamen sciant bona sua deberi fisco: ergo aliquãdo cum mala fide currit præscriptio. Respondeo. Iurisperiti putant tales habere malam fidem. Theologi rectius docent esse bonam fidem, non quidem qua sibi persuadeant hæc bona absolutè, & pleno iure esse sua, sed qua iudicent licere sibi ea retinere; donec per fiscum auferantur, & se non teneri fisco ea offerre.

5. SECVNDA OBIECTIO. Possum præscribere cõtra eum, qui habet ius seruitutis Rusticæ, in meo præ-

dio, etiamsi sciam ipsum hoc ius verè habere: ergo possum præscribere cum mala fide. Respondeo. Non sequitur. Nam aliud est, acquirere aliquod ius agendi, in re alterius: aliud verò extinguere ius, quod alter habet in re mea, ratione prædij Rustici. Hoc enim nihil aliud est, quam præscribere libertatem mearum rerum, quod fieri potest, etiamsi sciam alterum ius habuisse. Itaque altero habente ius seruitutis in meo prædio, cùm non requiratur vllus actus in me, vt ego contra ius illud præscribam, sed sufficiat, vt ipse iure suo certo tempore non vtatur, Lege *Hac autem iura. ff. de seruitute Vrban. prædiorum*, non sum in mala fide, etiamsi sciam illum ius habere. Nam nihil facio illicitum, nec aliquid omitto quod debeam facere. Non enim teneor illum monere, vt iure suo vtatur, itaque sum in bona fide quia bona fide permitto illum iure suo non vti, & mihi sponte libertatem creari. Vide Medinam C. *de restitutione.* quæst. 17.

Quæst. 7. *Quantum temporis requiratur ad præscribendum res mobiles?*

1. ANte tempora Iustiniani sufficiebat biennium pro rebus immobilibus, & annus pro mobilibus. Hoc ipse postea reformauit, vt patet ex LL. infrà citandis. Hac autem reformationem amplectitur ius Canonicum, & ideo secundum illam procedendum est.

2. PRIMA CONCLVSIO. Ad vsucapionem rerum mobilium priuati hominis, vel etiam cuiusuis Ecclesiæ, cùm titulo, requiritur, & sufficit possessio per triennium, bona fide continuata. Est communis sententia. Prior pars de rebus priuatorum habetur L. *vnica*, C. *de vsucapione transformanda.* Et Institut. *de vsucap.* §. 1. Posterior de rebus Ecclesiæ habetur Authentica, *Quas actiones* C. *de SS. Ecclesijs*, quæ Authentica recepta est à iure Canonico 16. *quæst.* 3. *c. vlt. & penult.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Ad vsucapionem rerum mobilium sine titulo, requiruntur anni 30 siue sint hominis priuati, siue Ecclesiæ. Prior pars de rebus priuatorum patet ex L. 9. C. *de præscriptione*, 30. *vel.* 40. *annorum*, vbi contra priuatum res immobiles præscribuntur 30. annis sine titulo. Idem ergo censendum est de mobilibus, cùm nihil aliud de his statutum sit, absente titulo. Posterior de rebus Ecclesiæ probatur, quia cum Ecclesia in mobilibus non habeat priuilegium, sed solum in immobilibus, eodem iure censeri debet, quo priuatus. Vide Couarr. ad Reg. *Possessor p.* 2. §. 5. *num.* 2.

QVÆST. VIII. *Quantum temporis requiratur ad præscriptionem rerum immobilium?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ad præscribenda bona immobilia priuatorum, cum titulo, requiruntur 40. anni inter præsentes, 20. inter absentes, sine titulo requiruntur anni 30. Est communis DD. in c. *Sanctorum*, de præscriptione. Prior pars habetur Institut. *de vsucapione*, & L. *cum in longis*, C. *de præscriptione longi temporis.*

2. NOTA *primo.* Longum tempus in hac materia vocari spatium 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes: longissimum autem 30. vel 40. annorum, vt patet ex L. *citata.*

3. NOTA *secundo.* Præsentes dici qui in eodem territorio habitant; absentes, qui in diuersis, vt notat Panorm. in c. *de quarta*, *de præscriptione.* Posterior pars Conclusionis. nempe sine titulo requiri 30. annos patet ex c. *Sanctorum*, de præscriptionibus, & ex L. *si quis emptionis* C. *de præscriptionibus* 30. *vel* 40. annorum, Vbi notandum, quando agitur de præscriptione 30. vel 40. annorum, ordinariè non requiri titulum, sed sufficere bonam fidem cum possessione tanti temporis, vt docet Couarr. §. 5. *num.* 2. Et est communis.

Dixi *ordinariè*, quia interdum exigitur tituli probatio, nempe quando præsumptio iuris est contra præscribentem, vt fit v. g. quando Episcopus vnius diœcesis vult præscribere Decimas in alia diœcesi, vt habetur c. 1. *de præscriptione in 6.* Tunc enim ex possessione 40. annorum non præsumitur titulus, sed requiritur tituli probatio, vel certè possessio continuata ab immemorabili tempore.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Contra pupillum, quamdiu est in illa ætate, nulla datur præscriptio, siue mobilium, siue immobilium; vt patet Lege *sicut in rem*, C. *de præscript.* 30. *ann.* Si autem non sit pupillus sed minor, id est, nondum habens expletos 25. annos, requiruntur 30. anni. L. *vltima* C. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. Ita constitutum fuit in fauorem illius ætatis.

5. TERTIA CONCLVSIO. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur 100. anni: contra aliam Ecclesiam, vel Hospitale, vel Monasterium, vel pias causas, requiruntur anni 40. Est communis. Prior pars de Ecclesia Romana habetur Authentica, *Quas actiones*. C. *de sacrosanctis Ecclesiis*, & in multis canonibus tit. *de præscription.* Posterior pars de aliis Ecclesiis habetur c. *de quarta, de præscriptione.*

6. NOTA *primo.* Quibusdam Monasteriis & Collegiis Regularium concessum esse, vt res immobiles non possint contra ipsos præscribi, nisi annis 60. Concessit hoc Eugenius IV. ordini Sancti Benedicti, & Iulius II. congregationi Sancti Saluatoris. Idem concessum est illis ordinibus qui horum priuilegiis participant; vt Societati nostræ, & quibusdam aliis.

7. NOTA *secundo.* Nomine bonorum immobilium hic etiam intelligi iura & actiones ad immobilia. Item beneficia, census, reditus, Ius patronatus, vsusfructus, & seruitutes. Hæc enim omnia fixa manent, & instar

immo-

immobilium commodum & vtilitatem afferunt. Itaque de his iudicandum est iuxta ea, quæ dicta sunt. Sed tamen quia in his est aliqua diuersitas, breuiter de singulis agendum.

QVÆST. IX. *Quanto tempore præscribantur seruitutes, & quanto amittantur?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Seruitus merè personalis, quæ debetur personæ à persona, nullo tempore præscribi potest, id est, vsucapione acquiri L. *fin.* C. *de longi temporis præscript.* idque verum est, etiamsi bona fide putans esse seruum, emeris. Ratio est, quia æquitas non patitur, hominem liberum fieri seruum ex errore opinionis; seruus tamen præscribit libertatem cõtra Dominum, si per 20. annos pstauerit bona fide se esse liberum, etiamsi titulum libertatis non habeat L. 2. C. *de longi temporis præscriptione*, quæ pro libertate.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Seruitus mixta, quæ à re debetur personæ, vt est vsusfructus, præscribitur cum titulo 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes; sine titulo 30. annis. L. *fin.* C. *de longi temporis præscriptione*. Vnde si aliquis, qui non erat Dominus rei, vel non habebat potestatem, constituit tibi vsumfructũ in agro, & tu hoc ius bona fide possedisti per 10. annos, præsente eo, ad quem pertinebat, retinebis illud ad vitam, vel ad tempus constitutum, quia iam tuum effectũ est lege præscriptionis. Quod si Dominus ad quem pertinebat sit absens, requiruntur anni 20. si autem non habes titulum, quo ad te peruenit hoc ius (vt si dictum tibi fuit ad te pertinere, nescias autem qua ratione) & sic bona fide per triginta annos possideas, tuum erit ad vitam. Idem dicendum est de feudo, & emphyteusi.

9. TERTIA CONCLVSIO. Seruitus merè realis, siue sit continua, vel quasi continua, vt tigni immittendi, oneris ferendi, stillicidij, aquæ ductus; siue discontinua, & eundi per tuum prædium, agendi iumentum,

ducendi currum, cum titulo & bona fide præscribitur 10. annis, præsente eo contra quem agitur: 20. verò, eo absente. Est communis ex L. *fin.* C. *de præscriptione longi temporis.* Verbi gratia, si is, qui reuera non erat Dominus rei, tamen putabatur esse, concessit tibi ius immittendi tignum in murũ, vel stillicidium in aream, & tu bona fide hoc ius per 10. annos possideas, præsente eo cuius interest, reuera efficieris Dominus talis iuris, lege præscriptionis.

4 QVARTA CONCLVSIO. Seruitus merè realis, si sit cõtinua vel quasi continua absque titulo, cum scientia & patientia aduersarij, præscribitur decennio inter præsentes; vicennio inter absentes. Discontinua verò absque titulo non præscribitur, nisi tempore immemorabili, id est, cuius initij non extat memoria. Prior pars est communis ex L. 1. & 2. C. *de seruitutibus & aqua.* Posterior est etiam communis, ex L. *seruitutes* 4. ff. *de seruitutibus.*

5. QVINTA CONCLVSIO. Vsusfructus, & omnis seruitus, quæ non vsu amittitur, extinguitur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes; vt habetur L. *penult.* C. *de seruitutibus.*

6. NOTA *primo.* Aliud esse acquiri seruitutem lege præscriptionis; aliud verò extingui beneficio eiusdem. De priori actum est in *quatuor* primis Conclus. de posteriori in hac *quinta.*

7. NOTA *secundo.* Differentiam esse inter seruitutes rusticas & vrbanas. Nam rusticæ, sicut & vsusfructus, extinguuntur per solum non vsum, nec requirunt vt Dominus prædij aliquid faciat, quo incipiat vsucapere suam libertatem, vel vt nesciat te ius habere. Itaque ius itineris, agendi iumenti, ducendi plaustri, deriuandæ aquæ per prædium alterius, pascendi pecoris, aquandi, arenæ fodiendę, & similia amittis solo non vsu per decennium, si presens sis; si absens sis, per 20.

annos. Vrbanæ autem seruitutes non amittuntur solo non vsu, sed requiritur, vt possessor loci debentis seruitutem aliquid faciat bona fide; quo incipiat vsucapere suam libertatem; verbi gratia, habens ius immittendi tigni in murum alterius, si eximas tignum, & possessor nihil faciat, quo impediat, ne rursus immittas, non perdis vnquam ius tuum: sed si ille foramen obstruat, & tu per 10. annos non vtaris tuo iure, perdis ius tuum. Similiter, si habet ius, ne alius propius ædificet, vel altius murum extollat, non amittis ius, nisi ille contra faciat, & tu post illud factum, 10. annis præsens sileas. Habentur hæc omnia L. *hæc autem iura*, ff. *de seruitute vrbanorum prædiorum.*

Quæst. 10. *Quanto tempore præscribatur ius patronatus, id est, ius præsentandi ad beneficium?*

1. NOTA Ecclesiam, in qua est beneficium, vel fuisse olim liberam à tali iure, vel non fuisse liberam, vel non constare an fuerit libera, nec ne.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si constet olim liberam fuisse Ecclesiam, ius patronatus non potest præscribi à laico. Est communis. Ratio est, quia præsumptio iuris illi resistit. Cum enim ius præsentandi sit spirituale, non censetur competere homini laico præsertim non habenti titulum, & in Ecclesia, quę semper fuerit libera.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Quando dubium est, An Ecclesia parochialis fuerit olim libera, ius patronatus potest præscribi à Parochianis 40. annis cum titulo, tempore immemorabili sine titulo. Prior pars patet, quia cum titulo colorato, vel præsumpto possunt præscribi à laico bona immobilia, & iura contra Ecclesiam: ergo etiam ius patronatus, quod est minoris momenti. Nec præsumptio iuris est contra ipsos cum credibile sit ipsos esse fundatores illius Ecclesię, quando de alio non constat. Posterior pars probatur,

quia ex possessione huius iuris, per tempus immemorabile, præsumitur iustus titulus in Parochianis.

4. Tertia Conclvsio. Similiter, quando dubium est, An Ecclesia Collegiata fuerit olim libera, ius præsentandi Rectorem, seu prælatum in tali Ecclesia, potest eodem modo præscribi à laico, & multo magis ius præsentandi ad simplicia beneficia. Ratio est, quia talis Ecclesia præsumitur à laico fundata, ac proinde putatur sibi hoc ius præsentandi prælatum cum consensu Episcopi reseruasse, cuius sufficiens signum est, quod à tãto tempore hoc ius possideat. Quamuis enim ex eo, quod quis sit fundator talis Ecclesiæ, non competat ei ius præsentandi Prælatum, eò quòd eius electio iure communi pertineat ad Capitulum, tamen si in fundatione hoc ius sibi reseruet cum consensu Episcopi, verè hoc ius obtinebit, & ita præsumitur fecisse.

5. Qvarta Conclvsio. In Ecclesia non libera, ius Patronatus à laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato 10. annis inter præsentes; 20. inter absentes. Sine titulo annis 30. Est communis teste Couarr. Et probatur, quia est eadem hic ratio, quæ bonorum immobilium, & iurium contra priuatum. Nam in hoc casu non præscribitur contra Ecclesiam, sed contra priuatum hominem, qui ante habuit ius Patronatus.

6. Qvinta Conclvsio. Beneficium Ecclesiasticum cum titulo præscribi potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, sicut alia iura, quæ bonis immobilibus annumerantur. Sine titulo non potest præscribi, quia nihil præscribitur, nisi cuius possessio prius fuerit acquisita. At possessio beneficij non acquiritur sine Canonica institutione, ac proinde nec sine titulo, ergo sine titulo non potest præscribi beneficium.

7. Sexta Conclvsio. Qui pacificè aliquod

beneficium absque simoniaco ingressu per triennium possedit, præscribit contra actionem cuiuslibet impetitoris, vt patet ex *reg. 33. Cancellariæ*. Hic dubium est, an hæc possessio bona fide per triennium continuata præscribat proprietatem beneficij, ita vt possessor postea non teneatur illud resignare. Couarr. putat non præscribere, ac proinde beneficium in foro conscientiæ esse dimittendum, simul atque constiterit collationem non fuisse validam. Alij probabilius contrarium tenent, quia cum Pontifex post triennium nemini alij concedat actionem ad illud beneficium, videtur possessorem reddere securum in conscientia, vt deinceps possit retinere.

Quæst. II. *Quanto tempore præscribantur debita, hypothecæ, legata, fidei commissa?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Debita rerum mobilium & immobilium præscribuntur, cum bona fide annis triginta contra creditores, & excluditur omnis actio ad ea petenda. Est communis ex L. *sicut in rem. C. de præscript.* 30. & 40. *ann.* Vide Couarr. §. II. *n.* 4.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si res hypothecata possideatur à debitore, vel hæredibus eius, non extinguitur actio hypothecaria, quam creditor habet, nisi 40. annis. Si verò possideatur ab alio, extinguitur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes. L. *cum notissima. C. si aduersus creditorem.*

3. TERTIA CONCLVSIO. Quando bona alicuius, ob non solutum vectigal, vel ob similem causam ipso facto sunt commissa, id est, fisco addicta, præscribuntur à reo, & hæredibus eius contra actionem fisci quinquennio; ita vt, si quinque annis à die commissi non petantur, expiret ius fisci. L. 2. C. *de vectigalibus & commissis.*

4. QVARTA CONCLVSIO. Quando ob aliud crimen sunt commissa, v. g. ob crimen perduellionis, aut

incestas nuptias, reus, quamdiu puniri potest, non potest ea præscribere. Alij tamen, siue hæredes sint, siue non sint, ad quos ea bona deueniunt, præscribunt illa quinquennio contra fiscum, præterquam in casu hæresis. Prima pars patet, quia quamdiu reus puniri potest, habet ius vendicandi sibi fiscum. Secunda probatur ex *l. 2. supradicta*, quæ generaliter loquitur Excipio casum hæresis, quia bona Hæretici, & Apostatę nunquam possunt præscribi contra actionem fisci, nec ab ipso, nec ab hæredibus eius, neque ab aliis, ad quos ea deuenerint, nisi ipsi ignorauerint illum Hæreticum esse, & 40. annis cum hac ignorantia ea possederint, vt colligitur ex c. 2. *de præscriptionibus in 6.* De quo *vide Couarr. in Epit. 4. decreti. p. 2. c 6. §. 8.*

5. QVINTA CONCLVSIO. Legata & fideicommissa non possunt præscribi contra legatarium, & fideicommissarium, nisi spatio 30. ann. & colligitur ex L. vlt. C. *Communia de legatis.* Vide Couarr. ad reg. *Possessor. 3. p. §. 3. n. 6.*

Quæst. 12. *Quanto tempore possit præscribi contra Principem?*

1. QVinque bonorum genera possunt pertinere ad Principem. *Primò*, quæ per sententiam eius fisco sunt tradita. *Secundo*, quæ quis debet illi in recognitionem subiectionis suæ, & supremæ potestatis ipsius; vt sunt Census, tributa, obedientia. *Tertio*, quæ sunt Principi reseruata, vt posse indicere vectigal, instituere tabelliones, legitimare, & similia. *Quarto*, quæ coronæ annexa sunt, vt prata, saltus, viuaria, prædia rustica & vrbana, oppida, castra. *Quinto*, priuata, quæ Princeps possidet, vt priuatus.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quæ fisco Principis illata sunt, non possunt præscribi, nisi 40. annorum spatio. L. *omnes*, C. *de præscript. 30. vel 40. annorum.*

3. Obiici potest §. *res fisci.* Instit. *de vsucap.* Vbi sic

dicitur, *Res fisci vsucapi non potest*. Resp. Hoc intelligendum est tempore ordinario, quo res priuati hominis potest vsucapi, vt tribus, decem, vinginti annis: non autem extraordinario, *vt ibidem notat Glossa*.

4. QVÆRES. Quid si fisco nondum sit tradita, sed adhuc manet apud reum, vel hæredes eius? Resp. Tum potest præscribi quinquennio, vt dictum est *præcedenti quæst. Conclus. 3.*

5. SECVNDA CONCLVSIO. Quæ debētur Principi in recognitionem supremæ potestatis, vt sunt census & tributa, horum exemptionem & immunitatem nemo potest præscribere, vt docet Panorm. in c. *cum nobis*, & in c. *ad audientiam, de præscript.* & alij passim.

6. QVÆRES *primo*. An idem sit de immunitate ab indictionibus & collectis, quæ non in recognitionem supremæ potestatis, sed pro expensis alicuius belli, vel pro simili aliqua publica vtilitate penduntur. Resp. negatiuè Hæc enim immunitas potest præscribi cōtra ciuitates an. 40. vt ostendit Couarr. ad reg. *possess. p. 2. §. 2. n. 10*. Idem dicendum aduersus Principem, vt colligitur ex L. *omnes* C *de præscript. 30. vel 40. an.* nisi aliud particulari lege statutum sit.

7. QVÆRES *secundo*. An à subditis præscribi possit immunitas ab obedientia Principis, vel ipsius correctione, vel vt ad eum non possit appellari. Resp Negatiuè, quia potestas præcipiendi, iudicandi, & castigandi est omnino intrinseca auctoritati Principis respectu subditorum: potest tamen subditus præscribere exemptionem & libertatem, per quam desinat esse subditus, & non agnoscat illum superiorem in tēporalibus: quod fecerunt multi Principes, qui aliquando fuerunt subditi Imperio Romano, ad hoc autem sufficiunt 40. anni cum titulo, & sine titulo tempus immemorabile.

8. QVÆRES *tertio*. An subditus eodem modo possit præscribere exemptionem & libertatem à po-

teſtate Pontificis in ſpiritualibus. Reſp. Negatiuè, quia nec ipſe Pontifex poteſt aliquem à iuriſdictione ſua eximere: hæc enim iure diuino annexa eſt Pontificatui in omnes Chriſtianos, iuxta illud Chriſti, *Paſce oues meas.*

5. TERTIA CONCLVSIO. Quæ Principi reſeruata ſunt, vt poſſe indicere vectigalia, inſtituere tabelliones, legitimare, & ſimilia, poſſunt per præſcriptionem acquiri ab inferiori ſpatio 40. annorum cum titulo. Sine titulo per tempus immemorabile. Eſt communis apud Couarr. Ratio eſt, quia Princeps poteſt hæc communicare alicui ſubdito: ergo ſi ſubditus à tempore immemorabili hæc vſurparit; præſumitur vſurpaſſe conceſſione Principis.

10. QVÆRES. Quare 40. anni non ſufficiant ſine titulo? Reſp. Quia ſi ſubditus non oſtentat titulum v.g. conceſſionem alicuius, præſumptio eſt contra eum, quod mala fide vſurpauerit, vt patet in ſimili cap. 1. de præſcriptione in 6. vbi Epiſcopus ſine titulo non poteſt præſcribere Decimas alterius diœceſis. Simili modo cum hæc iura Principum ſint propria, præſcriptio malæ fidei eſt contra ſubditum. Tollitur autem hæc præſumptio, vel oſtenſione tituli colorati, vel poſſeſſione temporis immemorabilis.

11. QVARTA CONCLVSIO. Bona Principum, quę coronæ ſunt annexa, vt prata, oppida, caſtra, non poſſunt præſcribi contra Principem, niſi 100. annis. Eſt communis, & probatur ex L. *vt inter diuinum C. de SS. Eccleſiis*, vbi in præſcribendo legato, vel donato, vel empto, contra ciuitates requiruntur 100. anni: ergo multo magis contra Regnum vel Prouinciam: bona autem Principum ſunt Regni, vel Prouinciæ.

12. DICES. Ergo dicendum idem de fiſco Principis. Reſp. Fiſcus non gaudet priuilegio præſcriptionis centenariæ, ſed tantum 40. annis, ſicut neque ciuitates,

contra quas etiam 40. annis præscribitur exceptis iis, quæ habentur L. *cit.* vt sunt hæreditas, legatum, fideicommissum, donatum, emptum. Nam vt hæc contra ciuitatem aliquam præscribas, requiruntur 100. anni: in cæteris sufficiunt 40.

13. QVINTA CONCLVSIO. In iis bonis, quæ Princeps possidet vt priuatus, quiuis præscribit contra Principem, sicut contra priuatum. Ita Couarr. ex Baldo & aliis. Ratio est, quia etiam res patrimoniales clericorum præscribuntur contra eos; sicut contra alios: neque vllum ius extat quo Principibus in hac parte priuilegium aliquod præ cæteris tribuatur.

QVÆST. XIII. *Quanto tempore præscribat, qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel ab eo, qui mala fide tradidit.*

1 PRIMA CONCLVSIO. Is qui accepit eam vt hæres immediatus, nullo tempore potest eam præscribere, etiamsi bona fide acceperit, & possederit. Est communior apud Couarr. §. 9 & expressè colligitur ex L. *cum hæres*, ff *de diuersis temporalibus præscript.* Ratio est, quia hæres succedit in omne ius defuncti, vt habetur *lege cit.* Sed defunctus propter malam fidem non poterat præscribere: ergo nec immediatus hæres.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Is, qui bona fide accepit eam non vt hæres immediatus, sed alio titulo, vt legati, donati, empti à possessore malæ fidei, potest eam præscribere tempore ordinario L. *an vitium*, ff. *de diuersis temporalibus præscriptionibus.* Excipiuntur tamen duo casus. *Primus* est, si sit res immobilis, & is, contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri, vt colligitur ex authent, *malæ fidei*, C. *de longi temporis præscriptione. Secundus* est, si illa res sit furtiua, vel vi possessa: tunc enim requiruntur 40. anni. Ratio est, quia res furtiuæ, & vi occupatæ, etiamsi postea ab aliquo bona fide emptæ fuerint, non possunt præscribi spatio longi temporis, id est, 10. vel 20. annorum, vt expressè ha-

betur §. *furtiuæ*. Inſt. *de vſucap.* Quare fallitur Sotus *l. 4. de iuſt. q. 5. art. 4.* vbi docet latronis filium, ſi bona fide paternam hæreditatem adiuit, & toto tempore præſcriptionis bona fide poſſedit, eſſe tutũ in conſcientia, etiamſi poſtea intelligat fuiſſe alienam. Idem dicunt de emptore, qui bona fide emit à latrone. Sed eſt apertè contra ius: hæres enim nunquam præſcribit, vt dictum eſt; emptor verò non præſcribit tempore ordinario, ſed tantum poſt quadraginta annos, vt colligitur ex L. *omnes*, C. *de præſcript. 30. & 40. ann.*

QVÆST. XIV. *Quænam res præſcribi poſſint.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nullo modo præſcribi poſſunt. *Primo*, exemptio ab obedientia ſuperioris *Secundo*, res vſibus publicis deputatæ, vt forum, via publica, pons. *Tertio*, ius Decimarum à laicis præſcribi nequit poſt Concil. magnum Lateran. *Quarto*, limites Prouinciarum, Epiſcopatuum, & Parœciarum, ſi de iis conſtet. Nam ſi non conſtet, præſcribi poſſunt. *Quinto*, res indiuiſa communis pluribus, nullo tempore ab aliquo eorum præſcribi poteſt, quiá nullus eorum poſſidet proprio nomine, ſed aliorum.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Sunt alia quæ in iure dicuntur non poſſe præſcribi, quia ordinario tempore non præſcribuntur, vt v. g. res furtiuæ, bona fiſco tradita, fundus dotalis, legatum, fideicommiſſum, bona aduentitia filiifamilias.

QVÆST. XV. *Quando præſcriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Præſcriptio dicitur non procedere, quando ob aliquam cauſam non incipit, vel non poteſt incipere. Hoc fit potiſſimum ob *quatuor* cauſas. *Primo*, ſi deſit poſſeſſio ciuilis. *Secundo*, ſi deſit titulus, non poteſt incipere præſcriptio triennalis, decennalis, aut vicennalis; poteſt tamen triennalis, *vt q. 8. dictum eſt.* *Tertio*, ſi deſit bona fides. *Quarto*,

si res non possit alienari lege resistente. *Vide Couarr.* §. 12.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Præscriptio dicitur dormire, quando iam inchoata aliquanto tempore cessat; ita tamen, vt illo exacto, rursum vim habeat, & continuetur cum tempore priore. Sic dicitur dormire. *Primo*, tempore belli, quando iura non dicitur, vel homines diffugiunt in aliud territorium. Similiter tempore pestis. *Secundo*, quando Ecclesia caret Rectore, cessat contra ecclesiam. *Tertio*, quando is, contra quem præscribitur, non potest agere, vt est filiusfamilias, pupillus, vxor viuente marito.

3. TERTIA CONCLVSIO. Interrumpi dicitur, quando inchoata ita cessat vt si rursus reuiuiscat, non continuetur cum præcedenti tempore, sed de nouo debeat inchoari. Hæc interruptio fit dupliciter. *Primo*, naturaliter, vt quando incipit aliquid deesse, quod est necessarium ad naturam præscriptionis, vt possessio, vel bona fides. *Secundò*, ciuiliter, vt quando per aliquem actum iuridicum interpellatur, vt per litis contestationem, vel citationem, vt docet *Couarr.* §. 12. *ex Panorm. & aliis.*

4. QVÆRES. An quælibet præscriptio possit hoc modo interrumpi? Respondeo *primo*. Triennalis non interrumpitur litis contestatione, si tamen is, qui volebat ita præscribere, condemnetur, debet rem restituere: si non condemnetur, & maneat in bona fide, expleto triennio potest eam retinere. Respondeo *secundo*. Decennalis, vicennalis, & triennalis interrumpitur litis contestatione, facta coram Iudice competente: si tamen actor succubuerit in lite, vel si litem sponte deseruerit, vel si animo tantum interrumpendi præscriptionem litem mouerit, non interrumpitur. Respondeo *tertio*. Præscriptio contra actionem fisci interrumpitur sola citatione. *Vide Couarr. loco citato.*

Quæst. 16. *An qui legitimè præscripsit rem aliquam, si postea cognoscat fuisse alienam, teneatur restituere?*

1. MVlti putant talem teneri restituere, nisi intercesserit negligentia Domini in re sua inquirenda. Ita Adrian. *in 4. q. 2. de præscript.* Ioannes Medina C. *de restitutione q.* 18. Scotus in *4. d. 15. q. 2.* Gabr. *ibidem q. 14. a. 1.* Ratio est, quia lex præscriptionis potissimum instituta est in pœnam negligentiæ Domini: ergo vbi negligentia non interuenerit, ibi non habet locum.

2. PRIMA CONCLVSIO. Non solum quando Domini prioris intercessit negligentia, sed etiam quando constat nullam intercessisse, res legitimè præscriptæ transeunt in dominium præscribentis, ita vt non teneatur eas restituere, nisi prior Dominus per Iudicem restituatur in integrum. Ita Couarr. ad reg. *possessor. p. 5. §. 2. nu. 3.* Sotus *l. 4. de iust. q. 5. a. 4. & alij passim.* Probatur *primo*, quia L. 3. ff. *de vsucap.* definitur vsucapio, quod sit acquisitio dominij per continuationem temporis lege definiti: ergo transacto illo tempore acquisitum est dominium: ergo nulla est obligatio restitutionis. *Secundò*, quia leges præscriptionis nusquam dicunt eam institui in pœnam negligentiæ dominorum, sed ob bonum publicum, vt patet L. 1. ff. *de vsucap.* & L. *vltim.* ff. *pro socio. Tertio*, quia canones indistinctè & absque restrictione negligentiæ approbant præscriptiones bonæ fidei.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Præscriptio non solum transfert dominium vtile, sed etiam directum, non solum in bonis mobilibus, sed etiam in immobilibus. *Ita Couarr. §. 1. & passim Theologi contra Iurisperitos.* Ratio est, quia leges & canones indistinctè loquuntur de dominio, nec restringunt ad dominium vtile, vt patet *c. 3. 4. 6. de præscriptione*, & ex c. *Clerici 26. qu. 3.* vbi dominiũ acquisitum per præscriptionem vocatur pro-

prietas. Idem colligi potest ex Ll. cit. & ex toto titulo C. *de præscript. 30. annorum.*

4. DICES *primò*. Nemo sine culpa debet priuari re sua: ergo debet interessisse negligentia. Respondeo. Antecedens verum est, nisi ratio boni communis aliud postulet, vt fit in proposito.

5. DICES *secundo*. Fundamentum præscriptionis est bona fides: ergo postquam constiterit rem fuisse alterius, subuertitur præscriptio, quia subuertitur eius fundamentum. Respondeo. Non subuertitur bona fides ex eo, quod peracta præscriptione constet rem fuisse alienam, quia tunc verè potest iudicare rem esse suam, quamuis antea fuerit alterius.

## QVÆSTIO LVIII. D. Thomæ.

### *De Iustitia.*

IVstitia sumi potest dupliciter. *Primo*, pro complexione omnium virtutum, vt Matth. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Secundo*, pro virtute particulari, qua voluntas inclinatur ad reddendum vnicuique ius suum ad æqualitatem. Hoc modo hic sumitur.

### Quæstio I. *Quid sit iustitia?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Tres sunt præcipuę eius definitiones. *Prima* Aristotelis 5. *Ethicorum c.* 1. Iustitia est habitus, quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur. *Secunda*, August. *l.* 19. *Ciuit. cap.* 21. Iustitia est virtus, quæ sua cuique distribuit. *Tertia* Vlpiani L. *Iustitia. ff. de iust. & iure.* Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Hanc explicat D. Thom. art. 1. hoc sensu: Iustitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate, ius suum cuique tribuit.

2. QVÆRES. An hæc definitio sit sufficiens? Buridanus 5. *Eth. quæst.* 2. negat *primò*, quia non continet omnem actum Iustitię: sunt enim tres ipsius actus: scilicet, honestè viuere, alterum non lædere, suũ vnicuiq;

tribuere, vt habet *Vlp. loco citato*. At definitio continet vltimum tantum actum. *Secundò*, quia qui patitur pœnam, à Iudice sibi impositam, seruat iustitiam & tamen nihil tribuit: ergo non est de essentia iustitiæ tribuere alteri ius suum. *Tertio*, quia Iustitia legalis nulli tribuit ius. Nam qui eam violat, non tenetur ad restitutionem. *Quarto*, quia non solum Iustitiæ, sed etiam charitati cõuenit dare vnicuique, quod suum est 1. *Corinth. 13. vers. 4*. Ad *primum* Resp. Vlpianus non dicit esse tres actus Iustitiæ, sed tria præcepta iuris, id est, legis. Deinde, per illum vnum actum in definitione Iustitiæ positum, reliqua duo explicantur. Nam eo ipso quod tribuis vnicuique ius suum, censeris neminem lædere, & honestatem circa proximum seruare. Vbi notandum quod honestè viuere possit sumi dupliciter. *Primo*, generatim pro eo, quod est studiosè agere, & sic est commune omni virtuti. *Secundo*, speciatim pro eo, quod est seruare honestatem proximo debitam, quod fit non violando iura, & soluendo debita, & sic pertinet ad Iustitiam, estque idem, quod tribuere vnicuique ius suum. Eodem modo alterum non lædere sumitur dupliciter. *Primo*, negatiuè, & sic non est actus, sed negatio. *Secundo*, positiue, pro firmo proposito non lædendi alterum; & sic continetur sub illo actu ius suum vnicuique tribuere. Ad *secundum*. Qui patitur pœnam sibi impositam non solum tribuit ius suum alteri, nempe Reipubl. vel parti læsæ; sed etiam ipsi tribuitur ius suum, quia tribuitur illi pœna, quæ iustè ipsi debetur. Ad *tertium*, de Iustitia legali dicam infrà. Ad *quartum*. Charitas spectari potest dupliciter. *Primò*, quoad actus elicitos, & sic tribuit alteri dilectionem & amorem, non ex obligatione Iustitiæ, sed honestatis. *Secundo*, quoad actus imperatos, & sic tribuit alteri, quidquid omnes aliæ virtutes alteri tribuunt.

3. Secvnda Conclvsio. Ex definitione Iustitiæ

constat *primo*. Iustitiam esse virtutem, vt etiam docet D. Thom. artic. 3. Ratio est, quia reddere cuique ius suum, & constituere debitam proportionem, & æqualitatem in actibus, quibus homines inter se communicant, est per se honestum, & rectę rationi consentaneum: ergo est actus virtutis. *Secundo*, constat hanc virtutem esse in voluntate, quia inclinat illam, vt velit vnicuique tribuere ius suum.

4. DICES. Omnis actus virtutis est laudabilis, sed actus Iustitię non est laudabilis, quia sępè habentur infames qui illum exercent, vt patet in ministris Iustitię vindicatiuę. Respondeo. Actus virtutis secundum se est semper laudabilis; aliquando tamen vituperatur propter vtilitatem, aut improbitatem eius, qui eum exercet. Hoc sensu dixit Apost. 2. Corinth. 6. vers. 3. *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum*, id est, ne nostra culpa efficiamus, vt ministerium ex se laude dignum vituperetur.

QVÆST. II. *An Iustitia sit ad alterum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Iustitia propriè dicta debet esse ad alterum suppositum. *Ita D. Thom. art.* 2. Ratio est, quia disponit hominem; vt tribuat vnicuique ius suum, & nemini faciat iniuriam, nullus autem facit sibi iniuriã, sed alteri. Hinc sequitur *primo*, hominis ad seipsum non esse propriè Iustitiam: *secundo*, nec inter patrem & filium, aut inter dominum & seruũ, qua tales. Ratio est, quia nemo potest alteri facere iniuriam, nisi habenti proprium ius, cuius violatio constituit iniuriam. At filius non habet proprium ius distinctum à patre, nec seruus à Domino: ergo inter illos non est propriè Iustitia.

DICES. Hinc sequitur inter Christum & Deum non potuisse esse Iustitiam. Tum quia Christus non est suppositum distinctum à Deo: tum quia secundum humanitatem est seruus Dei, ac proinde non habet ius

proprium & distinctum à Deo. Respondeo, de hac re disputandum est in 3. p. de Incarnat.

3. Secvnda Conclvsio. Iustitia impropriè & metaphoricè dicta potest esse vnius partis ad alteram, in vno eodemque homine. Ita *D. Thom. ibidem.* Ratio est, quia vnum membrum potest alteri præstare obsequium debitum, vt manus capiti. Hoc sensu dixit *August. 2. Genes. ad lit. c. 1.* Iustitiam pertinere ad omnes animæ partes, & *libr. de moribus Ecclesiæ c. 15.* Iustitiam exigere, vt ratio imperet appetitui, & appetitus obediat rationi.

QVÆST. III. *An Iustitia versetur tantum circa actiones?*

1. Diuus Thomas artic. 9. ponit hoc discrimen inter Iustitiam, & alias virtutes morales, quod illa versetur tantum circa actiones; reliquæ circa passiones. Hoc oppugnat *Burid. 5. Ethic. quæst. 5.* Quia Iustitia sæpe impeditur à passionibus, vt ab ira, timore, odio: ergo debet eas moderari, ergo circa eas versatur.

2. Prima Conclvsio. Iustitia primario versatur circa solas actiones ritè ad alterum disponendas, & circa res, vt sunt actionum materiæ: non autem circa passiones; sicut Fortitudo & Temperantia. Patet, quia proprium officium Iustitiæ non est curare, vt homo non nimium irascatur, vel ne metuat, vel ne voluptates plus æquo amet; sed vt tribuat vnicuique, quod ipsi debetur; & quamuis ab hoc impediri possit per iram, timorem, & similes passiones; tamen eius non est hæc impedimenta per seipsam tollere, sed præsidio aliarum virtutum. Omnes enim virtutes se mutuò iuuant, & vna tollit impedimentum alterius, v. g. mansuetudo temperando iram, iuuat Obedientiam, Iustitiam, Humilitatem, quæ per iram impediri possent. Idem dicendum est de Fortitudine, & aliis.

3. Secvnda Conclvsio. Potest tamen Iustitia secundariò moderari passiones, quatenus illa moderatio

est

est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, quod est reddere cuique ius suum. Probatur, quia possum velle moderari iram, timorem, aut cupiditatem, ne alicui faciam iniuriam, & ex vi huius intentionis sequetur moderatio illarum passionum. Ratio communis est, quia omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quosuis actus externos aliarum virtutum ad illum idoneos imperare, vt suppono ex I. 2. *qu.* 17. *art.* 5. atqui moderatio passionum est medium idoneum, & sæpè necessarium, ad finem intrinsecum Iustitiæ, & est externus actus virtutis, cùm non sit in voluntate: ergo Iustitia potest illum imperare. Itaque illa moderatio formaliter tunc erit actus Iustitiæ: non autem temperantiæ, mansuetudinis aut fortitudinis: quia immediatè sequitur ex affectu Iustitiæ.

QVÆST. IV. *An Iustitia attingat medium rei?*

1. Diuus Thomas art. 10. ponit aliud discrimen inter Iustitiam & reliquas virtutes morales, quod illa attingat medium rei: reliquæ verò medium rationis. Hoc etiam impugnat Burid. quia in omni virtute debet aliquod medium reipsa existere: ergo omnis virtus attingit medium rei. Item in omni virtute medium debet esse consentaneum rationi: ergo omnis virtus attingit etiam medium rationis: ergo in hac re non est discrimen inter iustitiam, & alias morales.

2. Nota Aliud est virtutem esse medium quoddam inter duo extrema vitia: aliud verò virtutem efficere, vt homo teneat medium in suis actionibus. De hoc secundo hic agimus.

3. Prima Conclvsio. In eo conueniunt virtutes morales: nempe, Iustitia, Temperantia, Fortitudo, Mansuetudo, quod constituant medium in affectu, in actionibus, in materia, & circumstantiis; & quidem in affectu formaliter, in actionibus effectiuè, in materia & circumstantiis obiectiuè.

4. SECVNDA CONCLVSIO. In eo discrepant quod Iustitia constituat medium rei, aliæ medium rationis. Id est, Iustitia spectat potissimum æqualitatem rei ad rem, vt scilicet tantum det alteri, quantum illi debetur: Aliæ verò potissimum spectant qualitatem operantis, vt scilicet secundum dictamen rectę rationis consideretur, quomodo huic vel illi personæ operanti conueniat. Hinc sequitur medium Iustitiæ semper esse idem, quia in iustitia semper debet seruari æqualitas rei ad rem. At medium temperantiæ & fortitudinis est variabile, pro varietate operantium. Nam quod vni in sumendo cibo, & adeundo periculo est commensuratum, & æquale; hoc alteri potest esse nimium, vel parum. Argumentum Burid. non oppugnat sensum, sed tantum verba D. Thomæ.

QVÆST. V. *Quomodo Iustitia distinguatur ab alijs virtutibus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Iustitia differt à fide, & prudentia, tum ex parte subiecti, tum obiecti. *Primum* patet, quia Iustitia est in voluntate, tanquam subiecto; fides & prudentia in intellectu. *Secundum* patet, quia obiectum Iustitiæ est ius seu debitum proximo; quod non est obiectum fidei, aut prudentiæ.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Ab aliis virtutibus, quæ sunt in voluntate, differt ex parte obiecti tantum; ac *primo*, differt à Theologicis, quarum obiectum est Deus. *Secundo*, à Religione, quæ spectat debitum Deo, vt primo principio, cui æquale reddi non potest. *Tertio*, à pietate, quæ spectat debitum parentibus, & patriæ ratione ortus, cui etiam satisfieri non potest ex æquo. *Quarto*, ab obseruantia, quæ spectat debitum maioribus ratione gubernationis, cui etiam non potest reddi æquale præmium ab homine. *Quinto*, ab alijs Iustitiæ partibus, quarum debitum est minus debito Iusti-

tiæ. *Sexto*, à temperantia & fortitudine, quæ non versantur circa actiones iustas, vt iustitia, sed circa passiones, vt dictum est.

Quæst. 5. *An Iustitia sit præstantior alijs virtutibus?*

1. DIuus Thomas art. 12. docet vtramque Iustitiam tam legalem, quam particularem præstare inter omnes virtutes morales, sed de legali posteà agemus: nunc tantum quæritur de particulari, quam possumus conferre *Primo*, cùm Temperantia. *Secundò*, cùm Fortitudine. *Tertio*, cùm Religione. *Quarto*, cum Misericordia. Nam de alijs non est magna difficultas.

2. PRIMA CONCLVSIO. Iustitia præstat Temperantiæ. *Est contra Burid.* Ratio est, quia Iustitia tribuit vnicuique, quod suum est: ergo seruat pacem & tranquillitatem in Repub. ergo est vtilis bono communi, ergo præstat Temperãtiæ, quæ spectat bonum priuatũ.

3. PRIMA OBIECTIO Buridani. Illa virtus est præstantior, quæ magis imitatur naturam, & charitatem: talis est Temperantia respectu Iustitiæ: ergo. Minor patet, quia natura & charitas magis inclinant hominem ad bonum proprium, quam alienum. Idem facit Temperantia: non autem Iustitia. Respondeo, si loquamur tantum de bono priuato, charitas & natura magis inclinant hominem ad bonum proprium, quam alienum: si autem conferamus proprium bonum priuatum, cum bono communi, magis inclinant ad bonum commune, quam ad proprium. Hoc sensu dixit Apost. 1. Corinth. 13. v. 5. *Charitas non quærit, quæ sua sunt.* Et D. August. *Epistol.* 120. *cap.* 25. *Charitas in commune magis, quam in priuatum consulens, dicitur non quærere, quæ sua sunt.*

4. SECVNDA OBIECTIO. Temperantia prodest corpori & animæ: ergo est vtilior quam Iustitia: ergo & præstantior. Resp. Iustitia prodest toti Reip. tum quoad pacẽ externã: tum etiam quoad salutem internã.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Iustitia præstat etiam Fortitudini. *Est contra eundem Burid.* Ratio est, quia obiectum, siue bonum Iustitiæ est præstantius bono fortitudinis. *Primo*, quia est vtilius Reip. *Secundo*, quia sicut in præceptis illud est excellentius, quo seruato cætera implentur, vt patet in præcepto dilectionis. De qua Apost Rom. 3. v. 8 *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ita etiam in bonis illud censendum est perfectius, quo habito cætera habentur. Huiusmodi autem est bonum Iustitiæ; quia, si nullus alteri noceret, non esset necessaria Fortitudo. Vnde interrogatus Agesil. teste Plutarcho, quænam harum virtutum præstaret, respondit. *Nihil vtique fortitudine indigeremus, si omnes iusti essemus. Tertio*, quia peccatum contra Iustitiam præcisè loquendo maius malum est, quam peccatum contra fortitudinem.

6. PRIMA OBIECTIO Buridani. Fortitudo in sacris litteris per excellentiam vocatur virtus, iuxta illud Sap. 8. v. 7. *Sapientia docet sobrietatem, prudentia Iustitiam & virtutem.* Respondeo. Nomen virtutis ibi non sumitur pro habitu, qui reddit hominem bonum, sed pro vi ac robore animi, quo quis est firmus & constans in rebus agendis, quod quia maximè apparet in fortitudine, ideo illi tribuitur.

7. SECVNDA OBIECTIO. Illos vocamus nobiles ac heroas, qui procreati sunt à maioribus, qui pro Rep. fortiter certarunt, & sanguinem fuderunt: non autem, qui à mercatoribus etiam iustissimis descendunt: ergo signum est, fortitudinem esse nobiliorem Iustitia. Respondeo. Fortitudo tribuit nobilitatem non secundum se, sed vt est ministra Iustitiæ legalis: non enim nobilitantur homines ex eo præcisè, quia fortes sunt, sed quia bonum patriæ procurant.

8. TERTIA OBIECTIO. Martyrium est actus fortitudinis; sed hic actus est præstantior, quocunque

actu Iustitiæ: ergo. Respondeo. Martyrium habet præstantiam illam non à fortitudine, à qua elicitur, sed à charitate, vel Iustitia legali, à qua imperatur.

9. TERTIA CONCLVSIO. Iustitia est minus præstans quam Religio & Misericordia. Prima pars est D. Thom. *infra qu.* 81. *art.* 6. Ratio, quia religio versatur circa cultum Deo debitum, sed quod Deo debetur est præstantius, quam quod proximo debetur. Hinc etiam colligitur pietatem & obseruantiam præstare Iustitiæ, quia ad illam illarum debitum est præstantius debito Iustitiæ. Secunda pars probatur, quia misericordia vel non differt à charitate, vel proximè accedit. Charitas autem est præstantior Iustitia.

Quæst. 7. *An præter Iustitiam particularem sit aliqua generalis, vel legalis?*

1. AFfirmat D. Thomas *art.* 5. 6. 7. & Aristoteles 5. *Ethic. c.* 1. & 2.

2. PRIMA CONCLVSIO. Præter Iustitiam particularem, quæ tribuit vnicuique priuato, quod suum est, ponenda est aliqua generalis, seu legalis, quæ tribuat Reipub. seu toti cõmunitati, quod suũ est. Probatur *primò*, quia velle & procurare bonum Reip. habet specialem rationem honesti & laudabilis, quę nõ inuenitur in reliquarũ virtutũ functionibus: ergo ad specialem virtutem pertinet. *Secundò*, quia quisq; ciuiũ, quatenus est pars Reip. & fruitur illius commodis, speciali debito obstrictus est ad procurandũ bonũ illius Reip. sed vbi est specialis ratio debiti, ibi est etiã specialis ratio virtutis Iustitiæ. *Tertiò*, quia si quis negligat bonum cõmune in necessitate, vel præponat ei priuatũ cõmodũ, peccat cõtra hãc Iustitiã; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex officio teneatur conseruare bonum Reipub. ergo signum est hanc Iustitiam esse specialem virtutem, distinctam à Iustitia particulari. Dices. Hæ rationes probant hanc Iustitiam non esse generalem,

sed specialem; quod est contra Conclusionem.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc virtus sortitur varia nomina. *Primò.* Vocatur Iustitia, quia est ad alterum: nempe Remp. seu communitatem. *Secundo.* Vocatur Iustitia legalis, quia extendit se ad omnia, quæ legibus statuta sunt propter bonum commune. *Tertio.* Vocatur Iustitia generalis ratione materiæ, quia scilicèt versatur in omni materia virtutum moralium: omnis enim talis materia legibus constituta est. *Quarto.* Vocatur virtus specialis, quia licet ratione materiæ sit generalis, tamen in ratione virtutis est specialis; & habet specialem essentiam, distinctam ab alijs virtutibus, vt probatum est.

4. DICES. Aristoteles contrarium docet: nempe non esse virtutem aliquam specialem, sed potius omnium virtutum complexionem. *Idem docet Buræd. 5. Eth. quæstion. 4. Girald. ibidem quæstione 5. Eustratius cap. 1. 2. Andreas Vega. lib. 5. in Concil. Trident. cap. 4.* Docent enim complexionem omnium virtutum duobus modis spectari posse. *Primo.* In subdito, quatenus legi obtemperat. *Secundò.* In superiore, quatenus inclinat illum, vt curet leges seruari; in vtroque vocari Iustitiam legalem. Respondeo, fateor hanc esse illorum sententiam; sed probabilior est sententia Diui Thomę quam secuti sumus.

Quæst. 8. *An Iustitia legalis habeat veram & propriam rationem Iustitiæ?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Probabile est esse verè & propriè dictam Iustitiam. *Ita Michael. Salon. ad art. 5. D. Thom.* probatur *primo*, quia *D. Thom. art. 5.* dicit, Iustitiam, secundum propriam rationem, ordinare hominem, tum ad alterum particularem: tum ad alterum in communi, siue ad communitatem: ergo vtramque Iustitiã tam particularem, quã legalem putat esse propriè dictam Iustitiam. *Secundo.* Quia Iustitia legalis im-

mediatè respicit bonum Reip. ergo perfectior est Iustitia particulari, quæ immediatè respicit bonum alterius priuatim: ergo si hæc est Iustitia propriè dicta, multo magis illa. *Tertio*, quia ius circa quod versatur Iustitia legalis, est ius simpliciter & propriè dictum: ergo & ipsa Iustitia est simpliciter & propriè dicta Iustitia. Antecedens patet, quia tria requiruntur & sufficiunt ad ius propriè dictum. *Primo*, vt sit ad alterũ. *Secundo*, vt sit debitum. *Tertio*, vt sit æquale. Hæc autem tria sunt in iure iustitiæ legalis. *Primo*, quia magis obligamur Reip. quam homini priuato. *Secundo*, quia in hoc iure seruatur æqualitas, quando ciuis reddit communitati, quantum illi ex lege debet.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Probabilius est non esse verè & propriè dictam Iustitiam *Ita Gregor. de Valentia quæst. 2 pag. 2.* Ratio illius est, quia Iustitia propriè dicta debet esse inter eos, qui ita distincti sunt, vt vnus non sit aliquid alterius, & ideo inter Dominum & seruum, aut inter patrem & filium, non est propriè dicta Iustitia. Atqui ciuis & Respublica, non ita distinguuntur, quia ciuis est pars Reip. ergo inter illos non est propriè Iustitia. Probatur *secundo*, quia ratio Iustitiæ in eo consistit, vt alteri reddatur debitum secundum æqualitatem, vt habet D. Th. *infrà, quæst. 80. art. vnico.* Atqui homo priuatus non potest Reip. reddere debitum ad æqualitatem, vt constat ex *D. Thom. ibidem*: ergo inter illos non est propriè dicta Iustitia.

3. DICES. Homo priuatus potest Reip. præstare, quantum illi debet ex lege: ergo ad æqualitatem. Resp. Non sequitur, quia aliud est præstare debitum, quod exigitur: aliud verò præstare debitum ad æqualitatem. Possumus quidem & debemus præstare debitum Reip. sed non possumus, nec tenemur præstare ad æqualitatem. Idem est de homine respectu Dei.

4. TERTIA CONCLVSIO. Licet Iustitia legalis

non sit propriè dicta Iustitia, est tamen multò perfectior, quàm Iustitia particularis, quæ est propriè dicta Iustitia. *Primo.* Quia immediatè respicit bonum commune, quod est excellentius bono priuato. *Secundo.* Quia debitum Iustitiæ legalis est altioris ordinis, quàm debitum Iustitiæ particularis.

5. Dices. Quomodo potest hæc Iustitia esse perfectior, si non est propriè dicta Iustitia? Respondeo. Hoc fieri posse, patet in simili exemplo. Nam Religio pietas, & obseruantia sunt Iustitiæ impropriè dictæ, vt patet *ex D. Th. infrà quæst.* 80. & tamen præstantiores sunt quàm Iustitia propriè dicta, quia versantur circa debitum altioris ordinis. Ex dictis patet solutio secundi & tertij argumenti contrariæ opinionis. Ad *primum* Respond. D. Thomam loqui de Iustitia secundum abstractam, & communem quandam rationem Iustitiæ; nempe, vt Iustitia est ad alterum: sic enim propriè dici potest de legali, & particulari Iustitia, & præterea de omnibus virtutibus, quæ sunt ad alterum.

QVÆST. IX. *An iustitia legalis sit idem, quod pietas erga patriam?*

1. Constat Iustitiã legalem spectare bonum Reip. seu totius communitatis. Sunt autem variæ virtutes, quæ hoc bonum spectant, vt pietas, obseruantia, obedientia. Est ergo quæstio, An iustitia legalis sit aliqua ex his virtutibus. Quidam putant esse obedientiam. Nam ideo dicitur Iustitia legalis, quia obseruat leges Reipub. quod est proprium obedientiæ. Alij putant esse pietatem, cuius officium est ex pio quodam affectu procurare bonum patriæ.

2. Prima Conclvsio. Hæ tres virtutes, Pietas, Obseruantia, & Iustitia legalis, in tribus conueniunt. *Primo.* Quod immediatè respiciant, & procurent bonum commune Reipubl. *secundo.* Quod non possint Reipublicæ præstare debitũ ad æqualitatem, ac

proinde non sunt Iustitiæ propriè dictæ. *Tertio.* Quod non obligent ad restitutionem. Ratio huius petenda est *ex quæst. 62. vbi agitur de obligatione restitutionis.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Differunt verò in ratione debiti. Nam tribus modis potest aliquid esse debitum Reipub. à priuato homine. *Primo.* Titulo originis, seu natiuitatis. Nam ex eo, quod quis natus est in aliqua ciuitate, debet illi aliquod obsequium. *Secundo.* Titulo prudentiæ & gubernationis. *Tertio.* Titulo connexionis & dependentiæ, quam habet pars ad totum. *Primo* debito satisfacit pietas. *Secundo* Obseruantia. *Tertio* Iustitia legalis.

4. TERTIA CONCLVSIO. Obedientia videtur distingui ab his tribus virtutibus. Quia debitum illius oritur præcisè ex potestate & iurisdictione superioris, volentis obligare subditum: non autem ex titulis supra enumeratis.

5. DICES. Quid sentiendum est de charitate erga patriam, vel Rempub. Respond. Si amemus patriam præcisè propter Deum, iam erit actus virtutis Theologicæ: Si autem propter aliud motiuum, erit actus illius virtutis, cuius motiuum est.

## QVÆSTIO LIX.

### *De Iniustitia.*

SVPRA dictum est Iustitiam sumi duobus modis. *Primo.* Pro omni virtute, quatenus est quædam legis obedientia. *Secundo.* Pro virtute particulari, quæ constituit æqualitatem in commutationibus, & distributionibus: Totidem modis sumitur etiam iniustitia. *Primo.* Pro omni legis violatione, & sic omne peccatum est quædam iniustitia. *Secundo.* Pro vitio particulari, quod opponitur Iustitiæ particulari. Hoc modo hic sumitur.

QVÆST. I. *Quid sit Iniustitia?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si iniustitia sumatur pro actu, qui est oppositus actui Iustitiæ, nihil aliud est, quam alieni iuris violatio, neque differt ab iniuria. Sicut enim actu iustitiæ tribuitur cuique Ius suum: ita actu iniustitiæ hoc ius violatur; in qua violatione consistit iniuriæ ratio.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si iniustitia sumatur pro habitu, qui est habitui Iustitiæ oppositus, nihil aliud est, quam praua voluntatis dispositio, ex iniustis actibus acquisita, ad similes actus inclinans.

3. QVÆRES. An hæc habitualis iniustitia consistat tantum in praua dispositione reali: an etiam in morali & imputatiua. Respond. Potest in vtraque consistere. Ratio est, quia potest aliquis alteri facere iniuriam duobus modis: nempe commissione, & omissione. Si faciat commissione, relinquit in voluntate aliquam dispositionem realem: Si nuda omissione, relinquit solum maculam moralem sine reali dispositione; sed rarò fit, vt omissio contingat sine positiua voluntatis complacentia & assensu.

QVÆST. II. *An aliquis dicatur iniustus eo ipso, quod faciat aliquid iniustum?*

1 DIuus Thomas art. 2. vtitur hac distinctione, qui iniustum faciat ex ignorantia seu passione, non est iniustus, sed is solum, qui facit ex intentione & electione.

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui sciens aliquid esse iniustum, sponte illud facit, eo ipso est iniustus. Probatur, quia qui liberè vult id, quod nouit esse iniustum, censetur etiam velle ipsam iniustitiam annexam: ergo meritò dicitur iniustus.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui ignorantia inculpata nescit esse iniustum, vel si scit non consentit in opus, sed vi externa impulsus facit, non est dicendus

iniustus. Probatur, quia malitia annexa operi nullo modo est volita.

4. TERTIA CONCLVSIO. Si ignorantia sit culpabilis, vel vis extrinseca, aut passio, qua quis inciratur, talis sit, vt ei possit resisti, verè erit iniustus, si faciat opus iniustum; licet minus, quàm si sciens & volens. Probatur, quia talis vis & ignorantia non faciunt simpliciter inuoluntarium. *Vt suppono ex* 1.2.*q.*6.7. *&* 8.

5 DICES. Aristoteles 5. *Eth. cap.* 8. tractans hanc quæstionem docet non esse dicendum iniustum, qui ex ignorantia vel passione facit aliquid iniustum, nulla adhibita distinctione. Respondeo. Sensus est non esse dicendum iniustum, quia directè non operatur ex habitu & affectu iniustitiæ, quo sensu loquitur etiam *D. Tho. art.* 2.

Quæst. 3. *An aliquis possit pati iniustum volens?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Formaliter, & per se loquendo, nullus facit iniustum, vel iniuriam, nisi volens; neque patitur iniustum, vel iniuriam, nisi nolens. Ita *D. Thom. artic.* 3. & Aristot. 5. *Eth. cap.* 9. *&* 11. Prior pars patet, quia nemo peccat, nisi volens, siue directè, siue interpretatiuè: ergo nec iniuriam facit, nisi volens. Hinc fit, vt amentes, & bruta non faciant iniuriam, etsi lædant. Altera pars probatur, quia nemo potest pati iniuriam, nisi Ius eius violetur: non potest autem violari Ius alterius, nisi ipso nolente, vel expressè, si sciat: vel implicitè, si nesciat; & ita sit affectus, vt si sciret expressè, nollet. Ratio est, quia si velit, vel certè positiuè permittat se lædi, iam cedit suo iure & illud abdicat; vel certè in arbitrio lædentis ponit, ac proinde etsi ipse lædatur, ius tamen ipsius, quatenus ipsius est, non violatur. Hoc sensu intelligitur illa regula *quæ est* 27. *inter regulas iuris in* 6. *Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus.*

2. DICES. Hinc sequitur *Primo.* Eum, qui se inter-

ficit, non facere iniuriam. *Secundò*. Neque qui interficit alterum volentem. *Tertiò*. Neque coniugem, qui consentiente coniuge committit adulterium. *Quarto*. Neque vsurarium, qui petenti dat vsuram. Ratio est, quia in his casibus nemo inuitus, seu nolens est, ergo nemo iniuriam patitur: ergo nemo iniuriam facit. Respondeo. *Primo*. Qui se interficit, etsi iniuriam sibi ipsi non faciat; facit tamen iniuriam Reip. cuius ipse est pars; & etiam DEO, qui est Dominus vitæ ipsius. *Secundo*. Idem est de eo, qui alium volentem interficit; etsi enim ipsi iniuriam non faciat, eo quod abdicauerit Ius suum, quâ suum; ac proinde infector non teneatur ad vllam restitutionem hæredibus; tamen facit iniuriam Reipubl. & peccat contra Iustitiam legalem. Vnde Dauid puniuit Amalechitem tanquam homicidam, qui fatebatur se occidisse Saulem volentem. *Tertiò*. Idem dicendum, quando coniunx, consentiente coniuge, adulterium committit: non enim propriè facit iniuriam coniugi consentienti, sed peccat contra legem matrimonij. *Quarto*, qui soluit vsuras, non cedit iure suo, quia non cupit, vt vsurarius illas exigat: nec intendit se vllo iure priuare: quod autem soluat vsuras, hoc ideo facit, quia aliter pecuniam obtinere non potest. Ex dictis sequitur. *Primo*. In vno eodemque facto posse violari Ius vnius, & non alterius, ac proinde posse fieri iniuriam respectu vnius, & non alterius: vt patet in prioribus casibus. *Secundo*. Sequitur non censeri quempiam cedere iure suo, si aliquo modo inuoluntariè, & renitente affectu consentiat, inductus ab eo, qui læsurus est, vt patet in 4. casu. *Tertio*. Sequitur quomodo intelligenda sit supra dicta regula iuris. Nam *primò* intelligi debet de eo, qui liberè consentit, quod non fit in 4. casu. Deinde, etsi aliquis liberè consentiat, potest tamen alteri fieri iniuria, qui non consentit, vt patet in duobus primis casibus.

3. NOTA. Quosdam aliter hanc regulam explicare: distinguunt enim duplicia bona: Alia, quorum Domini sumus, vt est fama, honor, & alia bona fortunæ: in quibus iure nostro cedere possumus, alia, quorum non sumus Domini; sed tantum custodes, vt est vita, corpus, membra, sanitas, coniunx, proles, & similia, in quibus iure nostro cedere non possumus. Dicunt ergo supradictam regulam valere in prioribus bonis, non in posterioribus.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Fieri potest, vt aliquis ex sua parte iniuriam inferat, & tamen alter iniuriam propriè non patiatur: & è contrario fieri potest, vt quis iniuriam, vel potius iniustum patiatur, & alter propriè iniuriam non inferat. Ita D. Thomas *art. 3. ad 3.* Prioris exemplum est, si detrahas famæ alterius, vt illi noceas, & ille cedat iure suo, optans haberi infamis propter Christum. Posterioris est, si per ignorantiam vendas alteri rem vitiosam, quam ille putet esse probam.

5. DICES. Ergo Christus, & Martyres propriè non sunt passi iniuriam, quia libenter passi sunt, & pati desiderauerũt. Respõdeo. Non sequitur, quia vt aliquis dicatur non pati iniuriam, non satis est, quod ob aliquam causam libenter patiatur; sed præterea requiritur, vt cupiat aliquod malum sibi à tali irrogari, cedendo, quantum in se est, iure suo, alioquin retinet actionem iniuriarum in illum, & ille tenetur ad restitutionem, vel satisfactionem: Christus autem & Martyres non cupiebant sibi ab impiis illa mala irrogari, nec illis ad hoc vllum Ius, vel authoritatem tribuebant, sed solùm permissiuè se habebãt, non repugnando, & se non subtrahendo eorum potestati, vt sic illorum malitia ad maius bonum vterentur. Vnde retinent actionem iniuriarum in illos coram tribunali diuino, vt patet ex illo Sapient. c. 5. vers. 1. *Stabunt iusti in magna constantia*

## QVÆSTIO LX.

### De Iudicio.

NOMEN Iudicij sumitur potissimum duobus modis. *Primò.* Generatim pro sententia animi vera vel falsa, de quacumque re ea sit: & sic distinguitur contra nudam apprehensionem, in qua non est veritas vel falsitas. *Secundo.* Strictè pro determinatione iuris facta per Iudicem, id est pro sententia Iudicis exterius prolata, qua in controuersijs contractuum, delictorum, aliisue iuris quæstionibus definit, quid cuique sit debitum. Hoc enim propriè vocatur iudicium, quasi iurisdictio. Hinc extenditur ad significandum totum actum, & causæ discussionem, quæ in tribunalibus fieri solet, per quam Iudex disponitur, vt iustam sententiam ferre possit. Hic agimus de iudicio secundo modo sumpto.

Quæstio 1. *An iudicium sit actus iustitiæ?*

1. AFfirmat *D. Thom. art.* 1. sed quæstio est, An sit actus Iustitiæ elicitus, an imperatus? Aliqui putant esse elicitum. *Primo.* Quia reddere vnicuique Ius suum est actus Iustitiæ elicitus, sed iudicium est actus, quo redditur vnicuique Ius suum; ergo est actus à Iustitia elicitus. *Secundo.* Quia iudicium propriè & formaliter versatur circa obiectum Iustitiæ: nempe circa Ius, cum nihil aliud sit iudicare, quam Ius dicere; ergo est proprius actus Iustitiæ: ergo ab ea elicitus. *Tertio.* Quia *D. Thomas artic.* 1 *ad* 3. dicit iudicium magis pertinere ad iustitiam, quàm alias virtutes, quia sicut Iustitia benè disponit ad ferendum rectum iudicium in materia Iustitiæ; ita castitas bene disponit ad iudicandum in materia castitatis; & sic de aliis virtutibus: ergo ex hac parte est eadem ratio: ergo nisi iudicium sit actus elicitus à Iustitia, non magis pertinebit ad Iustitiam, quam ad alias virtutes.

2. PRIMA CONCLVSIO. Internum iudicium, quo Iudex decernit quid iustum sit, & vnicuique debitum, est actus non voluntatis, sed intellectus. *Ita D. Thomas art. 1. ad 1.* Ratio est, quia voluntas non potest iudicare, aut decernere; sed tantum velle, & appetere.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Internum iudicium non elicitur à virtute Iustitiæ, sed prudentiæ. *Ita D. Thom. ibid.* Ratio est, quia actus & habitus illum eliciens debet esse eiusdem potentiæ: habitus enim perficit potentiam, ad actum facilius eliciendum, sed iudicium est actus intellectus, ergo habitus illum eliciens etiam debet esse in intellectu; ergo non est habitus Iustitiæ, qui est in voluntate.

4. TERTIA CONCLVSIO. Iudicium internum tametsi non eliciatur à Iustitia, sed prudentia, potest tamen dici actus Iustitiæ. *Primo.* Tanquam causæ imperantis. *Secundo.* Disponentis. *Primum* patet, quia sicut Charitas, Religio, Obedientia possunt imperare actus aliarum virtutum, ita etiam Iustitia. *Secundum* patet, quia virtus Iustitiæ disponit, & inclinat Iudicem, vt velit rectè iudicare.

5. DICES. Ad hoc sufficit prudentia. Nam si iudicium est actus elicitus à prudentia, cur hæc virtus non sufficiat ad illum rectè eliciendum? Respond. Prudentia in suis functionibus (quæ sunt benè consultare, benè iudicare, & præcipere executionem) pendet ordinariè à virtutibus moralibus. Ratio est, quia prudentia est in intellectu, & virtutes morales in voluntate: intellectus autem multum pendet ab affectu voluntatis. Quisque enim iudicat sicut affectus est. Cum ergo virtutes morales benè disponant, & afficiant voluntatem circa res honestas, consequenter fit, vt intellectus per virtutem prudentiæ possit sinceriùs iudicare de illarum honestate.

6. QVARTA CONCLVSIO. Iudicium externum

seu sententia Iudicis exterius prolata multò magis potest dici actus Iustitiæ, non solùm tanquam causæ imperantis & disponentis, vt dictum est de interno iudicio; sed etiam tanquam causæ obligantis. Iustitia enim obligat Iudicem ad sententiam proferendam, sicut obligat debitorem ad solutionem debiti: quia ex officio debet hoc partibus; Ideo enim stipendia accipit.

7. Ad primum argumentum Respondeo. Iustitia, sicut aliæ virtutes in voluntate existentes habet quosdam actus internos & elicitos: quosdam externos & imperatos. Eliciti sunt intentio, finis, & electio mediorum, verbi gratia, velle cuique tribuere ius suum, & velle media, quæ ad hunc finem apta sunt. Imperati sunt, qui ad executionem spectant, vt reipsa tribuere vnicuique ius suum. Hæc distinctio applicanda est ad actū iudicij. Nam velle iustam sententiā pronuntiare, est internus & elicitus actus Iustitiæ: reipsa autē pronūtiare, est externus & imperatus. Hic quæri potest, an externi actus Iustitiæ possint aliquo modo dici eliciti à Iustitia. Aliqui affirmant, quia immediatè pendent à Iustitia, sine interuentu alterius virtutis: alij simpliciter negant; quia actus eliciti à Iustitia debent esse in voluntate, in qua est Iustitia. Respond. Cum distinctione. Nam actus illi possunt dupliciter considerari. *Primo*, in genere naturæ & entitatis realis, quam habent. *Secundo*, in genere moris & bonitatis moralis. Primo modo eliciuntur à virtute Iustitiæ, sed à potentijs externis, quibus voluntas imperat per virtutem iustitiæ. Ratio est, quia realis entitas illorum non procedit immediatè à voluntate, aut à Iustitia: sed ab aliqua externa potentia executiua. Secundo modo possunt dici eliciti à Iustitia. Ratio est, quia totam suam bonitatem moralem, & effectiuè, & immediatè, habent à Iustitia: actus enim externi non habent aliam actualem bonitatem, præter eam, quam habent per extrinsecam denominatio-

denominationem ab actu interno Iustitiæ: huius autem bonitatis causa efficiens immediata est voluntas, & virtus Iustitiæ. Ad *secundum* Respond. Iudicium internum versatur circa obiectum Iustitiæ per modum definitionis, & directionis: non autem per modum appetitionis, seu volitionis. Nam Iudex illo iudicio definit ac decernit, quid iustum sit, & vnicuique debitum: & hoc modo dirigit voluntatem, vt persequatur id, quod iustum & debitum est. Hinc tamen non sequitur internum iudicium esse actum Iustitiæ elicitum: quia licet versetur circa obiectum Iustitiæ, non tamen id facit appetendo, sed dirigendo: quod in omni alia virtute locum habet. Nam nulla virtus potest suum obiectum appetere, nisi intellectus apprehendat, aut iudicet illud esse honestum & appetendum. Ad *tertium* Respond. Iudicium externum magis pertinet ad Iustitiam, quàm ad alias virtutes, quia Iustitia non solum immediatè imperat illum actum: sed etiam obligat Iudicem ad illum exercendum.

Quæstio 2. *An Iudicium sit actus Iustitiæ legalis, an particularis?*

CONCLVSIO. Externum iudicium est actus iustitiæ legalis, & particularis, diuerso respectu, ac *primò*, quatenus exercetur à Iudice, vt suo officio satisfaciat, est actus Iustitiæ particularis. Ratio est, quia Iudex accipit stipendium eo fine, vt sententiam proferat: ergo ex Iustitia commutatiua tenetur eam proferre: ergo eam proferendo facit actum iustitiæ commutatiuæ: *Secundò*, quatenus idem iudicium profertur à Iudice cũ publica authoritate ad commune bonum Reip. pertinet ad iustitiam legalem, cuius officium est procurare bonum communitatis.

Quæst. 3. *An liceat Christianis iudicare?*

1. NEgant Vvaldenses, & Anabapt. propter hæc scripturę testimonia, Matth. 7. v. 1. *Nolite iudicare, vt*

*non iudicemini.* Matth. 5. v. 40. *Si quis voluerit tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium,* 1. Corinth. 6. v. 7. *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis?*

2. PRIMA CONCLVSIO. Christianis licet iudicare modo iustè iudicent. Ita *D. Thom. a.* 2 Probatur *primo,* quia nihil prodessent leges in Rep. Christiana, si nulla essent iudicia. Sed leges licitæ sunt: ergo & iudicia. *Secundò,* quia viri sancti vtriusque testamenti iudicia exercuerunt, vt patet in Samsone, Gedeone, Iephte, Samuele, D Petro, Constantino, & aliis. *Tertiò* ex *Arist. qui lib. 5. Eth. c. 4.* dicit animam Reip. esse iudicē. At anima est corpori necessaria. Item *lib. 4. polit. cap. 3.* Iudicem in ciuitate esse, quod intellectus est in homine. *Quartò,* quia sine Iudicibus innocentes defendi non possent, neque pax in Rep. conseruari.

3 SECVNDA CONCLVSIO. Vt autem iudicium sit iustum, tria requiruntur. *Primò,* Vt procedat ex affectu & intentione Iustitiæ. *Secundo,* vt ex authoritate Iudicis, alioquin dicetur præsumptum. *Tertio,* vt proferatur secundum rectitudinem prudentiæ, alioquin erit temeratium. *Vide D. Thom. art.* 2.

4. Ad *primum* Argu. Respondeo. Ibi non prohiberi omne iudicium, sed priuatum eorum, qui vel temerè aliorum facta iudicant, vel in leues eorum defectus rigidi censores esse volunt, non curantes proprias culpas, quod indicant verba sequentia. *Quid vides festucam in oculo fratris?* Ad *secundum* Respond. Cum *D. Aug. epist.* 5. Verba illa Domini intelligenda esse secundum animi præparationem, sicut & illa: *si quis te percusserit in maxillam* Nam idem Christus percussus in maxillam non præbuit alteram, sed dixit: *Cur me cædis?* quo exemplo docuit, quonam pacto huiusmodi præcepta intelligenda sint. Ad *tertium* Respond. ex Theodoreto:

Delictum ibi non accipi pro peccato, sed pro imperfectione, seu pro opere minus perfecto. *Secundo*, si delictum significet peccatum, vt exponunt *Ambrosius & Chrysostomus ibidem*, & *Augustinus in Enchir. cap.* 78. dico iudicium vocari delictum, non quod in se peccatum sit, sed quia communiter non caret peccato, vel ratione finis, vt quando litigatur ex auaritia: vel ratione medij, vt quando cum odio & rancore: vel ratione iniustitiæ, vt quando miscentur doli: vel ratione scandali, vt accidebat Corinthiis, qui cum offendiculo litigabant. *Tertio*, non reprehendi iudicia ex parte Iudicis, sed ex parte litigantium. Itaque licet peccatum esset litigare; non tamen iudicare, quia per iudicium imponitur finis litibus, quod bonum est. *Vide Baron. anno* 1. *Petri.*

Quæst. 4. *An iudicium temerarium sit peccatum mortale?*

1. NOTA *primo*, Iudicium temerarium dici, quod de alicuius peccato, aut alio infami malo ex leuibus iudiciis concipitur. Quod enim ex iustis & sufficientibus causis concipitur, non est temerarium, sed rationi consonum, vt si iudices aliquem hæreticum, quod missæ sacrificium rideat: si iniustum, quod vsuras exigat: si impurum, quod in tenebris sæpe loca impura frequentet.

2. NOTA *secundo*. Differentiam inter dubitationem, suspicionem, & Iudicium temerarium. Dubitatio propriè est, cùm animus hæret in medio suspensus, & in neutram partem inclinat. Suspicio est, quando in alteram partem inclinat, nondum tamen absolutè assentitur. Iudicium temerarium est assensus alterius partis, & iudicium determinatum.

3. PRIMA CONCLVSIO. Iudicium temerarium Iudicis prodiens in actum externum per sententiam, semper est peccatum mortale cõtra Iustitiam. *Ia* 2*æ D. Th. a.* 3. *& alij passim.* Ratio est quia Iudex hoc modo iudicãdo

grauem iniuriam & læsionem irrogat reo, idque contra obligationem sui officij, quo astringitur non iudicare, nisi ex iustis & idoneis probationibus; vel certè ex rei confessione. Vnde tenetur ei ad restitutionem famæ, & damnorum secutorum.

4. Secunda Conclvsio. Iudicium temerarium in animo tuo residens non est peccatum, priusquam aliquo modo aduertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus iudicare. Postquam autem cœperis id aduertere, erit saltem veniale, si in eo perseueres. Nunquam tamen erit mortale ante plenam aduertentiam. Prima pars probatur, quia antequam aduertis causas, ex quibus iudicas, non esse sufficientes, vel saltem, antequam de illis dubitas, non est illud iudicium vllo modo voluntarium, saltem qua parte temerarium, sed censetur primus motus libertatem præueniens voluntatis, etsi longo tempore duraret. Idem dicendum de aliis motibus omnibus intellectus, voluntatis, imaginationis, & sensuum externorum: nisi enim aduertatur turpitudo, vel saltem de ea dubitetur, non potest in illis esse vlla culpa, ne venialis quidem, quia turpitudo illis annexa non censetur vllo modo voluntaria, cùm sit omninò ignorata. Secunda pars probatur, quia si quis postquam aduertit aliquo modo hoc iudicium esse temerarium, vel de eo dubitare cœpit, adhuc pergat; nec conetur excutere, iam turpitudo eius incipit esse voluntaria, qui enim voluntariè admittit in se aliquem motum vel actum, cui suspicatur inesse moralem turpitudinem, censetur etiam admittere ipsam turpitudinem, ac proinde peccat: hoc tamen peccatum est veniale, nisi accedat perfecta aduertentia, & perfectus consensus: est autem perfecta aduertentia, quando mens sui compos non abrepta aliis cogitationibus reflectit se supra suum actum, & considerat illum in materia notabili diuinæ legi esse contrarium, vel saltem de eo dubitat.

5. TERTIA CONCLVSIO. Iudicium temerarium, quod cum plena aduertentia de graui malo proximi concipitur, ordinariè est peccatum mortale contra Iustitiam. *Ita D. Thom. articul. 3. & alij passim.* Probatur *primo*, scriptura Matth. 7. v. 1. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* 1. Corinth. 4. v. 5. *Nolite ante tempus iudicare,* Iac. 4. v. 13. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* Ro. 14. v. 4. *Tu quis es qui iudicas alterum seruum?* Probatur *secundo*, ratione, quia grauis iniuria irrogatur proximo, dum sine causa habetur improbus: hoc enim perinde est, ac si falsum crimen ei impingatur. Longè enim acerbior est, grauiorque falsa infamia, quàm vera. *Tertio*, quia ex huiusmodi iudicijs magna sequi solent incommoda: præsertim, quando in actum externum prodeunt. *Quarto*, quia vsurpatur quodammodo iudicium Dei, cuius solius est de occultis iudicare. Dixi *ordinariè*, quia interdum fieri potest, vt iudicium temerarium non sit peccatum mortale, quando scilicet signa non sunt omnino sufficientia ad certum iudicium, tamen magnam habent probabilitatem, ita vt efficiant rem valdè verisimilem & credibilem. Dixi etiam *de graui malo*, quia si quis temerè iudicet de re leuis momenti, vel quam ille parui æstimet, non erit peccatum mortale. Idem dicendum de defectibus, qui sunt inculpabiles, aut si iudices alterum esse filium Iudæi, vel spurium, quia hoc caret omni vituperio apud sapientes, cùm non sit in hominis potestate.

Quæst. 5. *An dubitatio & suspicio temeraria sit peccatum mortale.*

1. SVnt tres sentẽtiæ. *Prima* est, omnem suspicionem temerariam de graui malo proximi, si deliberata sit, esse peccatum mortale. Ita *Caietanus art. 3. Mich. Salon. & pet. Arragon ibid. Secunda* est, Nullum esse peccatum mortale. *Ita Caietanus articul. 3. Nauarr. in Rubric. de iudicijs num. 48. & Pet. Nauarr. lib. 2. cap. 4.*

*num.* 454. *Tertia* est, suspicionem temerariam plerumque esse peccatum veniale; posse tamen fieri mortale ex grauitate materiæ; vt si suspiceris ex leui signo virum Religiosum esse hæreticum. *Ita Sotus lib. 3. quæst. 4. art. 3. & multi recentiores.*

2. NOTA *primo.* Dupliciter aliquem posse malè suspicari de proximo. *Primo*, ex errore quodam intellectus, quo apprehendit illa signa tanquam sufficientia ad suspicandum, paratus suam suspicionem deponere, vbi rem melius considerarit. *Secundo*, non tam ex errore intellectus, quàm ex prauo affectu & maleuolentia erga illum, de quo suspicatur, qua fit, vt etiamsi aduertat signa illa non esse sufficientia, velit nihilominus pergere in sua suspicione.

3. NOTA *secundo.* Suspicionem posse dici dupliciter voluntariam, seu deliberatam. *Primo*, secundum se, vt cum quis aduertit se malè suspicari de proximo, & etiam aliquo modo dubitat, an causa sit sufficiens ad sic suspicandum, tamen neglecto eius examine non excludit suspicionem; paratus excludere, si aduerteret causam non esse sufficientem. *Secundo*, dici potest voluntaria, qua parte est temeraria, vt cum quis aduertit causam suspicandi non esse sufficientem; & tamen ex malitia sic vult suspicari.

4. PRIMA CONCLVSIO. Si quis priori modo suspicetur malum de proximo, non erit peccatum mortale, sed tantum veniale, vt apertè colligitur *ex Aug. tract. 90. in Ioan.* Ratio est, quia tali modo suspicando non censetur facere notabilem iniuriam proximo: non enim ex malitia, sed ex imbecillitate iudicij, & errore humano sic suspicatur, paratus corrigere, vbi melius aduerterit, ac proinde talis suspicio non est perfectè voluntaria, qua parte temeraria est.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Si quis posteriori modo suspicetur de proximo graue malum, nempe ex prauo

affectu, & aduertens signa non esse sufficientia, peccat mortaliter. Ratio, quia talis suspicio non procedit ex errore & fragilitate, sed malitia, qua quis vult ita suspicari, vt proximum contemnat, aut pro vili habeat, aut ne cogatur illum sibi in corde suo præponere. Hæc autem est magna iniuria. *Primo*, propter prauum affectum erga proximum. *Secundo*, propter pertinaciam. Nam qui ita suspicatur, etiamsi aduertat se nõ habere iustam causam, tamen vult in sua praua opinione persistere.

6. TERTIA CONCLVSIO. Hæc suspicio temeraria potest dici ex genere suo peccatum mortale. Ratio est, quia si sit plenè voluntaria, & de graui malo proximi, semper est peccatum mortale: & solum fit veniale, quando non est de graui malo, vel procedit ex aliquo errore humano, ita vt non sit plenè voluntaria.

7. QVÆRES. An non possit etiam ex suo genere aliquo sensu veniale dici. Respondeo, ita, quia secundum se & conditionem naturæ suæ habet, vt nascatur ex errore intellectus, & non sit planè voluntaria. Cuius signum est, quod ablato errore euanescat, quasi error fuerit ipsius causa. Hinc fit, vt per se non censeatur grauis iniuria, sed solum vt procedit ex malevolentia, vnde etiam nunquam est peccatum mortale, nisi ex hac procedat.

8. DICES. Actus ex suo genere venialis non potest fieri mortalis per hoc, quod fiat omnino voluntariè, & cum plena aduertentia. Atqui suspicio ex veniali potest fieri mortalis, per hoc, quod fiat voluntariè, & cum plena aduertentia, vt dictũ est: ergo non est venialis ex suo genere. Respõdeo. Dupliciter potest dici aliquis actus venialis ex suo genere. Primo ratione materiæ, quæ toto genere suo in moralibus censetur leuis, quo pacto mendacium officiosum, & verbum otiosum dicitur ex suo genere veniale. Secundo ratione alicuius naturalis conditionis, vt si connotet errorem aliquem

inuoluntarium, ex quo procedat; quando ergo dicitur actum ex suo genere venialem non posse fieri mortalem, verum est in priori sensu: falsum in posteriori. Suspicio autem, de qua agitur, ex genere suo venialis est posteriori sensu, non priori.

9. Quarta Conclvsio. De dubitatione sentiendum est eodem ferè modo, quo de suspicione. Nam si quis velit pertinaciter dubitare de probitate proximi, etiamsi aduertat non esse iustam causam, erit peccatum mortale: Si autem solum ex errore humano dubitet, erit tantum veniale. Prima pars patet, quia talis dubitatio procedit ex maleuolentia & contemptu alterius: ergo est grauis iniuria in materia graui. Secũda patet, quia dubitare minus est, quàm suspicari, sed suspicari tali modo non est, nisi veniale: ergo & dubitare tali modo est tantum veniale.

10. Dices. *primo*. Non tenemur positiuè opinari proximum esse probum: ergo possumus dubitare suspendendo assensum, & in neutram partem inclinando, ergo talis dubitatio non est malum. Antecedens patet, quia possumus mentem aliò conuertere, & nolle circa rem talem occupari. Respondeo. Qui dubitat, non ex eo præcisè facit iniuriam, quòd assensum suspendat, & in neutram partem inclinet; sed ex eo, quod absque iusta causa iudicet probitatem proximi esse ambiguam & dubiam, & eum non posse prudenter iudicari probum, aut pro tali reputari.

11. Dices *secundo*. Si temerarium iudicium, suspicio, & dubitatio de proximo est contra iustitiam: ergo obligat ad restitutionem. At cui, vel quomodo fiet ista restitutio, cum nihil sit ablatum? Respondeo. Si loquamur de restitutione propriè, id est, de compensatione alicuius damni exterius ablati, sic non obligat ad restitutionem, nisi processerit in opus externum per sententiam, detractionem, vel contumeliam, quia nullum

damnum externum illatum est. Et hoc vult. *D. Thom. art. 3. ad 3.* Si verò loquamur de restitutione generatim, sic obligat ad restitutionem, quia eiusmodi prauæ opiniones de proximo sunt damna quædam famæ illata in mente iudicantis, vbi vel bonam famam possidebat, vel saltem infamiæ malo non laborabat. Itaque ex iustitia tenemur eiusmodi opiniones, tanquam iniusta quædam damna famæ, depellere. Nec obstat, quod iustitia dicatur versari circa actus externos. Hoc enim, vt plurimum verum est: non tamen vniuersè.

12. Ex dictis sequitur. *Primo.* Temerarium iudicium non esse mortale in his casibus. *Primo.* Si non fuit graue malum, de quo proximum temerè iudicasti. *Secundo.* Si fuit graue malum, sed non perfectè aduertisti te malè iudicare. *Tertio.* Si aduertisti te quidem malè iudicare; tamen non aduertisti signa esse insufficientia, nec occurrit tibi dubium de ea re. *Quarto.* Si signa erant sufficientia ad probabilem opinionem. Sequitur *secundo*, suspicionem temerariam non esse mortalem: nisi fuerit pertinax, & de graui malo. Vt autem sciatur, an fuerit suspicio, an iudicium firmum, notanda est hæc regula. Quando quis ita iudicat, vt rogatus, an habeat pro certo, Respondeat sibi certum aut ferè certum videri: tunc est iudicium firmum: Si verò respondeat se non esse moraliter certum, sed posse in ea re facilè falli, tunc solum est suspicio. *Vide Caiet. ar. 3.*

Quæst. 6. *An dubia in partem meliorem sint interpretanda?*

1. NOTA *primo.* Aliquando oriri dubium de rebus: aliquando de personis. De rebus, vt cum dubito, an contractus aliquis si licitus, necne. De personis, vt cum dubito, sitne hic probus; an improbus: an hoc, vel illud crimen commiserit, necne. Rursum, si sit dubium de personis, possumus nos habere quadruplicitèr. *Primo.* Interpretando in partem peiorem. *Secundo.*

In partem meliorem. *Tertio.* Habendo rem in ancipiti, seu dubitando. *Quarto.* Suspendendo omne iudicium, seu nolendo mentem applicare ad rem iudicandam.

2. Nota *secundo.* Dupliciter nos posse aliquid in peiorem partem interpretari. *Primo.* Speculatiuè, vt quando opinamur partem deteriorem esse veriorem: non tamen ideò nos aliter erga ipsum hominem gerere debere, cum res sit incerta. *Secundo.* Practicè, vt quando censemus illum interno affectu & æstimatione pro improbo habendum.

§. Prima Conclvsio. Dubia de rebus non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis æstimanda momentis. Ratio, quia in iudicio rerum id solum agitur, vt attingatur veritas, nec timetur ne cuiquam iniuria inferatur. In iudicio autem personarum ita quæritur veritas, vt maximè cauendum sit, ne proximo iniuria irrogetur, deque famæ possessione in re dubia depellatur.

4. Secvnda Conclvsio. Dubia de personis, ad bonam vel malam æstimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda. Ita *D. Thom. art. 4. & alij passim ex Aug. de serm. Dom. in monte l. 2. cap. 18.* vbi sic ait. *Hoc loco præcipi nobis existimo nihil aliud, nisi, vt ea facta, quæ, dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Idem docet D. Bernardus *serm. 40. in Cant. sub finem.* Et confirmatur ex illo communi axiomate: *In dubio non esse præsumendum delictum*; quod colligitur ex L. *Merito*, ff. *pro socio.* Sed difficultas est, quomodo in meliorem partem sint interpretanda, an negatiuè tantum, id est, vt in dubio non putemus proximum improbum, vel authorem criminis, vel peccasse mortaliter: an verò etiam positiuè, id est, actu positiuo credendo illũ esse probum, non peccasse, habuisse bonam intentionem, aut ex ignorantia fecisse.

5. TERTIA CONCLVSIO. In dubio non tenemur actu positiuo speculatiuè iudicare, proximum reipsa esse innocentem, non peccasse mortaliter, habuisse bonam intentionem, & similia. Ita *Caiet. art. 4. & multi alij recentiores.* Ratio est, quia nemo tenetur ad assensum aut ad modum assentiendi, in quo exponit se periculo notabili errandi: talis enim assensus nec est actus virtutis, nec ad actum virtutis necessarius: imo est aliquid errori obnoxiũ, quod prudenter vitãdum est, & prouenit ex imperfectione nostri intellectus. Vnde nõ fuisset in statu innocẽtiæ, neque fuit in Christo, aut B.V.

6. QVARTA CONCLVSIO. Nec in dubio semper tenemur actu positiuo practicè iudicare proximum esse probum, id est, hic & nunc habendum, & tractandum vt probum, sed possumus etiam hoc iudicium suspendere. Ratio est, quia sæpe fit, vt non necesse sit agere, aut conuersari cum hoc, aut illo proximo, de quo est dubium: ergo in tali casu non necesse est, nos practicè iudicare, eum habendum, & tractandum esse, tanquam probum, sed satis est, in medio relinquere, & Deo committere.

7. DICES *primo*. Hoc quidem fieri potest quando occurrit dubium de proximo, qui nobis omninò incognitus est: cùm enim de illo habeamus in neutram partem positiuam opinionem, facile est nihil de eo statuere, & totum Deo cõmittere. At non videtur fieri posse, quando occurrit dubium de aliquo, de quo iam ante habemus bonam opinionem. Hæc enim videtur minui, si in neutram partem aliquid statuamus. Resp. Si eo tempore non est nobis agendum cum tali proximo, facile possumus aliò mentem auertere, & iudicium suspendere sine vlla ipsius iniuria. Si autem cum illo agendum nobis, est, debemus dubium actu positiuo in meliorem partem interpretari, iudicando, illum loco probi viri habendum, quamdiu de contrario non constat.

8. DICES *secundo*. Hoc est exponere se periculo

errandi. Respondeo. Non ita est: non enim speculatiuè iudicamus illum reuera esse probum; quia hoc Deo committimus, tanquam incertum; sed practicè iudicamus illum interno affectu, & externo modo agẽdi à nobis ita tractandum esse, ac si reuera probus esset, in quo iudicio nulla est falsitas.

9. Qvarta Conclvsio. Tenemur tamen lege iustitiæ dubia in meliorem partem interpretari negatiuè & practicè, ita vt propter dubium non habeamus proximum pro improbo, vel auctore criminis. Ratio est, quia iustitia postulat, vt nemo condemnetur criminis, quamdiu res dubia est: quisque enim ius habet, vt sibi non irrogetur certa infamia, pro incerto crimine. Confirmatur, quia censeri pro improbo est notabile malum proximi; & veluti pœna quædam criminis: ergo non potest inferri sine iusta causa, de qua constet.

10. Sexta Conclvsio. Non tenemur tamen lege iustitiæ ea negatiuè & speculatiuè interpretari in meliorem partem, ita vt non opinemur, seu suspicemur ipsum in re esse improbum, quando dubium est positiuum; Ratio est, quia quando dubium est positiuũ tunc vtrimque suppetunt argumenta ad probabiliter opinandũ vtramque partem, cum formidine de opposito; (hoc enim vocatur dubium positiuum) ergo si tunc assentiaris parti deteriori opinando esse improbum, non facis illi iniuriam; quia cum argumenta ad talem opinionem ancipitem animo ingenerandam sufficiant, non habes ius vt sic de ipso non suspiceris. Nota tamen videri aliquo modo contra charitatem sic suspicari. Ratio est, quia ex charitate tenemur vitare omnem malam opinionem de proximo; si possumus. At hic possumus. *Primo*, quia nunquam cogimur ad aliquem assensum, nisi quando res est euidens. *Secundo*, quia non magis cogimur assentiri huic parti, quam alteri, cum vtraque sit dubia.

11. DICES *primo*. Si non est contra iustitiam sic suspicari: ergo nec est contra charitatem; hæc enim est materia iustitiæ: ergo si in ea peccatur, contra iustitiam peccatur. Respondeo sæpe fit, vt in materia iustitiæ peccetur contra proximum, non violata lege iustitiæ, vt cum ille nullum ius strictum habet, vt aliquid fiat, aut non fiat, & res alioquin ipsi est incommoda, vt v. g. si infames eum, cuius delictum est alibi notorium iuridicè; vel si occidas inuasorem inculpata defensione, quãdo aliter te poteras subtrahere. Idem fit in proposito. Dixi, *quando dubium est positiuum*; quia si sit negatiuum, vbi scilicet in neutram partem suppetunt argumenta, tunc est contra iustitiam malè opinari: quisque enim ius habet, vt non habeatur de se mala opinio, nisi indicia aliud suadeant.

12. DICES *secundo*. Si non est contra iustitiam malè opinari speculatiuè, quando dubium est positiuum: ergo neque cõtra iustitiam est malè opinari practicè, quia iudicium practicum sequitur ex speculatiuo. Respondeo. Non necessariò sequitur ex speculatiuo; præsertim, quando speculatiuum est incertum. Nam fieri potest vt speculatiuè opiner aliquem esse improbum, vel furem; & practicè iudicem esse probum, id est, habendum loco probi viri.

13. SEPTIMA CONCLVSIO. Quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio: tunc dubia sunt in deteriorem partem accipienda: non quidem iudicando proximum esse furem, vel improbum, vel habendum pro tali; sed iudicando ita exterius cauendum esse, & sibi illique consulendum, ac si dubia esset eius probitas. Ita D. Thom. *art.* 4. *ad* 3. *& alij*. Hoc modo cum accipimus ignotum in ædes, ita cauemus rebus nostris, ac si dubia esset eius probitas, nullo modo habentes eũ pro improbo: sic superiores ob indicia quædam dubia interdum obiurgant suos subditos pœniten-

tias imponunt, aliaque remedia illis corrigendis adhibent; tanquam, si ipsos malos existiment; quamuis eos pro malis non habeant, & eorum facta, vel intentionem apud animum suum excusent. Nam superiores debent etiam hanc regulam de dubijs in meliorem partem interpretandis seruare quoad internam æstimationem, & affectionem: quamuis in ordine ad emendationem, vel cautelam mali, exterius ita se gerere possint erga subditos: ac si mali aliquid perpetrassent. Et merito. Nam non solum ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie abstinendum. Hoc tamen cauere debent, ne vel modum excedant, vel illos alijs suspectos reddant, vel de illorum virtute diffidere videantur.

Quæst. 7. *An semper secundum leges scriptas iudicandum sit?*

1. Prima Conclvsio. Si leges scriptæ contineant ius naturale, semper secundum eas iudicandum est. Ratio, quia nunquam est licitum à iure naturali recedere, cum contrarium huius iuris sit semper iniquum.

2 Secvnda Conclvsio. Si leges scriptæ contineant ius positiuum; ordinariè secundum eas iudicandum est, præsertim Iudici inferiori. Ita *D. Thom. a. 5. & alij*. Ratio est, quia Iudex inferior non potest recedere à iure & voluntate superioris, nisi habeat licentiam. Loquor autem de Iudice inferiori: quia supremus Princeps potest aliquando dispensare in lege positiua, vel rigorem & pœnam legis relaxare, aut mitigare, quando ita putat expedire Reipub hoc autem non potest inferior, nisi ex tacita, vel expressa superioris concessione.

3. Tertia Conclvsio. Licet Iudex inferior ordinariè non possit recedere à lege scripta, potest tamen in quibusdam casibus: iudicando contra

verba legis. *Primo.* Quando constat mentem legislatoris esse aliam, nec voluisse hunc casum verbis legis esse comprehensum: tunc enim vtendum est ἐπικείᾳ, magis enim tenetur sequi mentem legislatoris, quæ est legis anima, quam corticem verborum: nec in hoc casu tenetur legislatorem, vel superiorem consulere, vt quidam volunt, quia non opus est inquirere de mente, quando de ea constat. Confirmatur ex L. *Nulla iuris ratio.* ff. *de legibus* & l. *Non dubium* C. *de legibus.* *Secundo*, quando non quidem constat, sed tamen probabilius est aliam esse legislatoris mentem, & res non patitur moram, vt superior consulatur: tunc enim esset contra rectam rationem verba sequi. Nam semper intentio legislatoris præferenda est verbis legis. Quod si superior facilè consuli possit, consulendus est; quia lex infringi non debet, ne quidem quoad verba, nisi constet aliam esse mentem legislatoris; si tamen de ea constare potest. Quod si non potest, sequendum id, quod probabilius videtur. *Tertio*, si vtrimque æquale sit dubium, & Superior consuli nequeat, tenetur inferior Iudex secundum verba legis iudicare, Ratio est, quia lex est veluti in possessione suæ authoritatis; ergo in æquali dubio non potest eam Iudex priuare sua authoritate, præsertim cum ex officio sit illius custos.

Quæst. 8. *Quinam peccent vsurpatione iudicij?*

1. Dixi superius ex D. Th. *tria* requiri vt iudicium sit iustum. *Primum*, iustitiã in spe actu iudicandi, ne iudicium sit peruersum & iniquum. *Secundum*, authoritatem in iudicante, ne sit præsumptum, aut vsurpatũ. *Tertium*, certitudinem in cogitatione causæ, ne sit temerarium. De secundo membro hic.

2. PRIMA CONCLVSIO. Omnes illi peccant vsurpatione iudicij, qui iudicant eum, qui vel absolutè non est ipsis subditus, vel nõ in ijs causis, in quibus eum

iudicant; ac proinde sententia illorum est irrita. Ratio, quia in his iudicijs deest potestas in eum, qui iudicatur. At potestas est ante omnia necessaria.

3 Secunda Conclusio. Potest aliquis quinque modis alteri esse subiectus, ita vt possit ab eo iudicari. *Primò*, ratione potestatis ordinariæ. Sic fideles Pontifici, & Episcopis suis, & ciues suo Regi sunt subiecti. *secundò*, ratione potestatis delegatæ, Sic legato Apostolico subsunt prouinciæ, ad quas ipsius delegatio pertinet: & ciues Proregi vel Gubernatori, sic Daniel iudicauit senes potestate à Deo sibi delegata c. 13. & iuxta probabiliorem sententiam Moyses Ægyptum, (Exodi 2.) vt testatur Aug. *l. qq. in Exod. q. 2.* & colligitur *ex act. 7. v. 24. Tertiò*, ex consensu partium, vt quando partes ex compromisso se alicui subijciunt, siue vt Iudici (vt si aliàs authoritatem iudicandi habebat, etsi non in illos) siue vt arbitro. *Quartò*, ratione delicti in alieno loco perpetrati. Nam ratione delicti sortitur quis forum, vt patet c. *Postulasti*; & c. *finali* de foro competenti. Simili modo sortitur quis forum ratione contractus, domicilij, & rei, de qua contra possessorem causa mouetur, vt eodem cap. dicitur. *Quinto*, ratione iniuriæ subdito alterius Principis illatæ. Si enim superior eius, qui iniuriam fecit, interpellatus nolit illam vindicare: poterit id facere Princeps eius, qui iniuriam accepit.

4. Tertia Conclusio. Quicunque ergo iudicat aliquem, qui aliquo horum modorum non est ei subiectus, peccat vsurpatione iudicij. Quia sibi vsurpat authoritatem iudiciariam in eum, in quem non habet. Sic peccant Iudices seculares iudicantes Clericos, quia hi sunt exempti ab eorum iurisdictione, tam in ciuilibus, quam clericalibus, vt patet *tota distinct. 96. & 11. q. 1. per totam, & de immunitate Ecclesiarum. Extra. & in Concilio Trident. sess. 13. cap. de reformatione*, vbi renouan-

renouantur omnes canones, qui de hac re agunt. Adde, nec posse Clericos huic exemptioni renuntiare, vt à Iudice seculari validè possint iudicari, etiam in ciuilibus: vt patet c. *Inolita* 11. q. 1. & c. *Placuit*, ibid. & c. *si diligenti*, de foro cõpetenti, vbi etiam datur hæc ratio, quia non est beneficium hoc personale cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico publicè indultum, cui priuatorum pactio derogare non potest: possunt tamen in ciuilibus se subijcere Iudici sæculari, vt arbitro, qui tamen nolentem stare sententia non potest per se cogere. Item potest Clericus vt actor, laicum pertrahere ad Iudicem sæcularem: non autem vt reus pertrahi. In casu tamen reconuentionis potest à Iudice seculari iudicari: vt si dum laicum pertrahit ad Iudicem, laicus viciſſim illum in causa ciuili reconueniat, vt expressè docet Glossa communiter recepta in cap. 2. *de mutuis petitionibus*.

5. QVARTA CONCLVSIO. Hoc peccatum vsurpationis iudicij ex genere suo est mortale. Ratio, quia fit iniuria tum partibus, in quas ille potestatem non habet, tum etiam Superiori cuius auctoritatem sibi assumit. Censetur autem hæc iniuria grauis, quia publica auctoritas violatur.

QVÆST. IX. *An Iudex excommunicatus peccet vsurpatione iudicij.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si excommunicatio est occulta, non peccat vsurpatione, & omnia eius acta publica sunt valida. Ita *Richard. in 4. d. 38. q. 1. Palud. ibid. q. 4. Sotus in 4. d. 22. q. 2. a. 1. & 4. Couarr. in c. Alma. 1. p. § 7. n. 9.* Glossa in c. *ad probandum* §. *Innundatus* de sententia & re iudicata. Probatur *primo*, quia soli publicè excõmunicati suspendũtur ab officio, vt colligunt *cit. auct.* ex cap. *Ad probãdum*, ergo occultè excommunicati non sunt suspensi: ergo possunt iudicandi officium exercere. *Secundo*, quia quãdo ignoratur

excommunicatio Iudicis, sequerentur grauissima incommoda si eius acta non valerent: innumeræ enim sententiæ, præsentationes, electiones & collationes beneficiorum deberent rescindi cum magno damno & perturbatione innocentium. *Tertio*, quia quando excommunicatio Iudicis est occulta, ipse non est publicè vitandus, sed solum occultè, vt colligitur ex c. *cum non ab homine*. De sentent. excom. m. Imò fieret ei iniuria, si quis in publico detrectaret eius cõmunionem, propter infamiam, quæ inde sequeretur: ergo cum partes non possint propter occultam excommunicationem ipsius iudicium recusare (nisi fortè velint suscipere onus probandi ipsum esse excõmunicatum, ad quod tenetur) oportet, vt ipsius quoque sententia valida sit. Absurdum enim est, vt partes teneantur se sistere tribunali Iudicis, à quo non nisi irritam sententiam referre possint. *Quinto*, idem probari potest ex l. 3. *Barbarius*. ff. *de offic. prætorum* & 3. q. 7. c. *infames*.

2. QVÆRES. An hæc solum intelligenda sint de sententijs & actis fori externi; an etiam interni & sacramentalis. Respondeo, de vtrisque; quia DD. generatim loquuntur, & rationes eumdem locum vtrobique habent.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si excommunicatio Iudicis sit publica seu notoria, ante quidem concilium Constantiense peccabat vsurpatione iudicij, iudicando, & sententia erat irrita: post tamen illud concilium non sic peccat, nec acta eius sunt irrita, nisi sit nominatim denunciatus, vel notorius percussor clerici. Prima pars est communis: & colligitur ex c. *ad probandum*, de sent. & re iudicata, & ex c. *audiuimus*. 24. *quæst*. 2. Ratio est, quia Iudex publicè excommunicatus suspenditur ab vsu officij, & habet potestatem ligatam, seu impeditam: ergo si iudicat, peccat vsurpatione iudicij, assumens sibi potestatem iudicandi, quam non habet:

Etsi enim habeat potestatem in habitu: hæc tamen ita est impedita vt in actum exire non valeat; ac proinde actus iudicij non censetur ex hac procedere, sed ex alia quam temerè sibi vsurpat. Secunda pars est Nauarr. *c.27.n.7.* Soti *in 4.d.22 q.2.a.1.* Henriquez *de excomm. c.7. & multorum aliorum.* Ratio est, quia Conc. Constantiense statuit tantum vitandos esse nominatim excommunicatos, & notorios Clericorum percussores, & concessit vt fideles cum alijs possint communicare in omnibus rebus, tam diuinis, quam humanis; tam publicis quam priuatis, vt refert D. Anton. *3.p.tit.25.cap.2.* ergo & tacitè vult eorum actus esse validos: nisi enim hoc vellet, quorsum concederet vt ab ijs possemus petere ius, & alios actus iuridicè exigere.

4. Nota tamen, neminem teneri admittere Iudicem excommunicatum: potest enim contra illum excipere, quod sit excommunicatus, vt patet c. *Exceptionem*, de exceptionibus. Ratio est, quia etsi Concil. Constant. concedat vt possis cum Iudice excommunicato habere communionem, & ius ab illo petere: non tamen cogit. Itaque sicut olim poterat recusari, ita & nunc; si tamen partes in illum consentiant, & sententia debito modo lata fuerit; non potest propter excommunicationem rescindi: est enim lata legitima potestate, cui partes se commiserunt.

5. QVÆRES. An huiusmodi Iudex excommunicatus peccet iudicando. Respond. *primo*, Non peccat vsurpatione iudicij, vt ostensum ex Concil. Constant. *secundo*, peccat tamen, quatenus sponte communicat cum alijs, quod illi non licet, cum sit excommunicatus. *Tertio*, non peccat, si rogatus cum aliis communicet. Hæc omnia patent ex materia, de excommunicatione.

6. DICES. Multi PP. affirmant hæreticos nullam habere potestatem, nec posse iudicare, quia sunt extra Ecclesiam, & excõmunicati. Ita Cyprianus *epist.76. ad*

*Magnum de Nouatiano.* Ambros. *l. 1. de pœnitentia cap. 2.* Nicol. I *in epist. ad Michaelem Imper. & alij, vt videre est 24. quæst. 1.* Respond. *primò*, illi PP. loquuntur de catholicis excommunicatis. *Secundò*, loquuntur de iure antiquo, quod fuit ante Conc. Constantiense.

7. TERTIA CONCLVSIO. Iudex nominatim denunciatus, & manifestus clerici percussor peccat vsurpatione iudicij contra iustitiam, & omnia eius acta sunt irrita. Est communis: & apertè colligitur ex *Ad probandum*, supra. Ratio est, quia Conc. Constant. hunc excipit; ergo sicut ante Concilium erat suspensus, ita etiam postea, si tamen eiusmodi Iudex conferret se in aliam vrbem vel prouinciam, vbi eius censura esset ignota, & ibi fieret Iudex; tunc acta eius essent valida. Ratio est, quia tunc censetur occultè excommunicatus in tali loco: ergo idem de eo dicendum est, quod in concluſ. dictum. Hic tamen grauius peccat, quam alij occulti, vel publici non denunciati, si iudicium exerceat: quia reuera est suspensus, & quantum est ex parte sua, vsurpat sibi potestatem, quam non habet.

8. DICES. Si est suspensus, quo modo eius acta non erunt irrita? Respond. quia Ecclesia, ob communem vtilitatem, vel tacitè hanc suspensionem ad singulos actus in hoc casu relaxat, tametsi velit ipsum secundum se manere suspensum, vel certè nouam ei potestatem ad singulos actus extraordinariè tribuit, supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum actus eius sit irritus.

Quæst. 10. *An iudex, qui propter crimen ipso iure est priuatus titulo, peccet vsurpatione iudicij?*

1. HÆc quæstio pendet ex alia: An scilicet leges humanæ, quæ propter crimen statuunt priuationem beneficij, vel officij, eam vim habeant vt statim commisso crimine beneficium vel officium vacet, & reus teneatur id dimittere ante sententiam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Huiusmodi leges humanæ non habent eam vim, vt commisso crimine statim vacet beneficium, vel officium, & reus teneatur illud dimittere ante sententiam, etiamsi in lege dicatur, ipso facto sit priuatus: nisi apertè constet illam fuisse legislatoris mentem; vt si addat teneri in conscientia, dimittere; vel non posse absolui nisi dimittat: vel beneficium eo ipso vacare, ita vt possit alteri liberè conferri; vt in casu, qui habetur c. *Dudum* 2. de electione, cum quis accipit secundum beneficium incompatibile. Colligitur *ex D. Thom. quæst. 26. art. 3. Caiet. ibid. Soto l. 1. de iustitia, Adriano quod l. 6. art. 1. Couarr. de Matrim. p. 2. c. 6. § 8. num. 9. & alijs recentioribus.*

3. QVÆRES, An vacet, quando dicitur in lege, sit priuatus ipso facto absque alia declaratione. Couarr. & Sotus supra, Henriquez de excomm. cap. 56. & & multi alij, tenent non vacare, sed requiri sententiam declaratoriam criminis: illam autem clausulam (*absque alia declaratione*) intelligendam esse de declaratione, qua declaratur pœnam esse incursam, non autem qua declaratur crimen commissum. Quæ expositio etsi videatur nonnihil violenta: tamen vsu ipso confirmatur. Ita enim sunt vsu receptæ eiusmodi LL. vt ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare. Imo vsus habet, vt nisi executio fiat per sententiam, ita vt per eam non solum declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur beneficio, vel officio, non censeatur omnino priuatus, vt patet ex Couarr. *loc. cit.*

4. SECVNDA CONCLVSIO. Huiusmodi tamen leges, quibus aliquis ipso iure priuatur beneficio, vel officio, siue propter crimen, siue propter adeptionem alterius incompatibilis, hoc efficiunt, vt statim amittat titulum ipsum, ita vt non sit amplius dominus beneficij: tenet tamen possessionem, quia priuari non potest, nisi causa cognita, vt docet Glossa c. *Licet*

*Episcopus*, de præb. in 6. Et quamuis illud c. solum, de casu adeptionis beneficij incompatibilis loquatur: tamen Glossa, & auctores ab ea citati volunt esse eandem rationem in cæteris, vbi quis ipso iure priuatur. Id enim ad publicam vtilitatem est valde expediens.

5. QVÆRES. Quid hic vocemus titulum? Respond. Ius illud firmum, quod quis accepit per collationem beneficij, quo amisso adhuc retinet possessionem beneficij, & totius iurisdictionis, quam ante habebat. Et quidem si iure permittente illam retineat, ita vt ius non obliget ipsum ad eam deserendam, vocatur possessio iuris: si vero ius resistat illi possessioni, obstringens reum ad eam deserendam, dicitur possessio facti.

6. TERTIA CONCLVSIO. Iudex qui hoc modo priuatus est titulo, non peccat vsurpatione iudicij iudicando, neque sententia illius est irrita, sed valida. Sequitur ex dictis, quia adhuc retinet suam Iurisdictionem, neque ab ea suspensus est. Etsi enim ius illud prius, quo illam iurisdictionem obtinet, amiserit: habet tamen adhuc ius possidendi, & vtendi illa, donec per sententiam auferatur. Confirmatur, quia cum crimen sit occultum. vel certè non constet eum per legem esse priuatum; Si acta essent irrita, sequeretur graue incommodum in Repub. vt dictum est *quæst. præced. Concl.* 1.

Quæst. 11. *An Iudex, qui habet solum titulum putatiuum, peccet vsurpatione iudicij?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si habet titulum coloratum, & communi errore putetur legitimus superior, eius sententiæ, & alij actus iurisdictionis sunt validi. Ita Paludan. *in* 4. *d.* 17. *q.* 6. *a.* 2. Nauarr. in c. *Placuit de pœn. disp.* 6. *n.* 180. Caiet. v. *Absolutionis impedimenta*, Medina c. *de Confess. q.* 22. Arrag. *q.* 60. *a.* 6. Et Canonistæ passim in c. *Nihil*, de electione, & Iure.

conſ. in l. *Barbarius* ff. *de officio prætoris*. Probatur *primo*, ex hac ipſa lege, vbi expreſsè ponitur hic caſus. Cum enim iſte Barbarius eſſet alibi conditione ſeruus: Romæ, vbi latebat eius conditio, & liber habebatur, promotus eſt ad præturam, cuius tamen, ob occultum illud impedimentum, erat incapax. Nihilominus approbantur eius acta, quæ geſſit, quamdiu latuit: idque ob vtilitatem eorum, qui apud ipſum cauſas egerant. Et ratio additur, quia populus Romanus, cuius authoritate hæc dignitas illi allata fuerat, potuiſſet etiam ſeruo hanc poteſtatem decernere. *Secundo*, probatur ex. 3. q. 7. c. 1. vbi dicitur, *Si ſeruus, dum putaretur liber ex delegatione, ſententiam daret, quamuis poſtea in ſeruitutem depulſus ſit, ſententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet. Tertio*, probatur ratione, quia niſi huiuſmodi acta eſſent valida, ſequeretur magna perturbatio in Eccleſia, & Repub. omnes enim ſententiæ, collationes beneficiorum, & officiorum, præſentationes, electiones, & alia huiuſmodi deberent reſcindi tanquam inualida.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Vt autem huiuſmodi iudicis acta valeant, duæ conditiones requiruntur, vt notat Panormit. in c. *Nihil*, de electione, Caietanus ſupra, & alij Doctores. *Vna* ex parte ipſius Iudicis, nempe vt habeat titulum: *altera* ex parte populi, vt ſcilicet communi errore populi putetur legitimus ſuperior. Vtrumque colligitur ex iuribus citatis; quando autem concurrunt hæc duo, ius ipſum confert iuriſdictionem extraordinariè ad ſingulos actus, propter bonũ commune. Debet autem hunc titulum habere à vero ſuperiore, vel ſaltem ab eo, qui aliàs poterat illũ dare, vt inſinuatur in l. *Barbarius*. Nam ibi approbantur acta Barbarij, quia populus Rom. à quo habebat officium, potuiſſet ei hanc poteſtatem decernere. Confirmatur, quia ſi non acceperat ab eo, qui poterat dare, iam titulus ille non habet colorem quo verus videri poſſit;

imo non est titulus, cum hic non nisi à superiore dari possit. Hinc fit, vt si beneficium habeas ab eo, qui non poterat dare, vel si solum sis electus, aut præsentatus; non autem acceperis institutionem, vel confirmationem (quæ sunt collatio potestatis) nihil agas, vt qui sis intrusus, vt Panorm. Nauarr. & alij docent: sufficit tamen in collatore titulus coloratus communi errori cõiunctus, vt eius collatio sit valida: sicut enim alia eius acta valida sunt, ita etiam collatio iurisdictionis.

3. TERTIA CONCLVSIO. Hinc sequitur *primo*, valida esse acta Prælati, qui accepit prælaturam in excommunicatione, irregularitate, vel alio impedimento occulto, ratione cuius collatio sit irrita, vel interuentu Simoniæ realis completæ, aut confidentiæ, si communi errore facti habeatur pro vero Prælato. Itaque valida erit excommunicationis sententia ab eo lata, & absolutionis, & collatio beneficiorum, & delegatio iurisdictionis. *Secundo*. Idem dicendum est non solum de eo, cui collata est potestas ordinaria, sed etiam delegata; præsertim si collata sit ad vniuersitatem aliquarum causarum, vt bene ostendit Palud. vt sunt Commissarij, Vicarij foranei, Pœnitentiarij; quia horum iurisdictio non minus spectat vtilitatem communem, quam Ordinariorum; imo plures ad ipsos causæ deferuntur. An autem idem sit in Delegato ad causam particularem, dubium est. Quidam negant, quia non agitur de bono communi. Palud. & alij affirmant ex cap. 1. 3. *quæst.* 7. vbi apertè agitur de Delegato, & quidem vt videtur ad causam particularem. Ratio est, quia quamuis singulitales Delegati nõ deputentur, nisi ad causas certas, nec de quorumlibet quæstionibus cognoscere possint, tamen maximi interest publicæ vtilitatis, vt horum acta valeant, quia sæpe, & varijs in casibus deputentur. *Tertio*, idem habet locum, etiamsi Superior conferens officiũ, vel iurisdictionem,

sciat impedimentum alterius, aut collationem esse inualidam; modo ipse conferat, quantum in se est, saltem actu externo, & communi errore populi putetur esse validum. Nam si ipsius ignorantia non impedit iurisdictionem; multo minus impediet scientia, quæ non tollit inuoluntarium. Nec opus est vt ipse possit impedimentum auferre, vt cum Episcopus confert illegitimo, vel homicidæ occulto beneficium parochiale; requiritur tamen vt supremus Princeps possit illud tollere, & personam efficere capacem. Vnde si sit impedimentum iuris diuini, vel naturalis, nihil fiet; vt si sit fœmina, vel non sit Sacerdos, cui potestas absoluendi commissa est: tum enim communis error nihil iuuabit, quia potestas humana non potest supplere hunc defectum, nec vllo modo potestatem hanc talibus concedere. *Quarto*, idem procedit, etsi litigatores, vel quorũ causa agitur, sciãt, quia hæc iurisdictio cõcessa est generatim propter errorem communem. Vnde priuata scientia illa non impedit. Hinc absolutio data à Parocho, quem scis occultè Simoniacum, valet, vt passim DD. fatentur, nisi fortè tu alterius copiam haberes, vel extrema necessitatem illum induceres, ita vt confitendo illi peccares mortaliter: tunc etiam, etsi absolutio non sit irrita defectu iurisdictionis, est tamen irrita propter indispositionem pœnitentis.

4. QVÆRES. An idem dicendum sit, quando alicui iurisdictio occultè est ablata, & ille nihil hominus gerit se pro Superiore, & communi errore talis habetur. Respond. ita. Potest autem hoc *quatuor* modis contingere. *Primo*, si ipso iure beneficium vacet. *Secundo*, si per sententiam ei sit abrogatum, vel si potestas Delegati reuocata. *Tertio*, si delegans mortuus sit. *Quarto*, si iurisdictionem delegantis contingat suspendi. Quod ad primum modum attinet, ita expressè sentit Palud. supra. Panorm. in c. *Nihil*. de electione, Nauarr. in c.

*placuit*, de Pœnitentia *num.* 180. Arragon. *q.* 60. *a.* 6. & *passim Canonistæ*. Ratio est, quia hic duo illa concurrunt (de quibus in 2. conclus.) Titulus publici officij, & error facti. Nec refert, quod titulus & possessio iuris sint ei adempta, quia id omnino occultum est, & non ita sunt adempta, quin adhuc aliquæ reliquiæ maneant: retinet enim possessionem facti, vt Nauarr. ait. De secundo modo etsi multi aliter sentiant, est tamen probabile, valere. Ita tenet Palud. supra, vbi affirmat de eo, cuius commissio est occultè reuocata. Et Henriq. *l.* 3. *de Pœnit. c.* 6. vbi dicit, valere absolutionem eius, qui habet titulum coloratum, & non scitur de reuocatione. *Et l.* 2. *c.* 4. vbi ait, valere confessiones factas virtute bullæ vel facultatis, quæ nescitur esse reuocata. Ratio est, quia supra dicta hic, etiam concurrunt: Titulus, & error communis. De *tertio* modo verius est, etiam valere, quia licet morte delegantis expiret potestas Delegati, re adhuc integra, vt patet l. *more* ff. *de iurisd. omnium Iudicum*. Et c. *licet*. c. *Gratum*. *De officio delegati*: tamen quandiu hoc communiter ignoratur, & ille se adhuc gerit pro delegato, est eadem ratio, quæ in supra dictis. Nam enim hic est magis priuatus, quam in 1. & 2. casu, si ergo ibi acta valent ob communem errorem, & hic valebunt. De quarto modo non est difficultas: si enim suspensio primaria, quæ est in ipso delegante, non inualidat actum ipsius, dum communiter ignoratur, multo minus inualidabit acta delegati, qui solum secundario suspensus est.

5. Qvarta Conclvsio. Quæ hactenus dicta sunt, habent locum non solum in foro contentioso, sed etiam in sacramentali. Ita *Palud. Nauarr. & alij*, quia eadem ratio boni communis id postulat, & Ecclesia non minus hic vult, & potest supplere defectum iurisdictionis, quam in foro externo; præsertim concurrente titulo colorato & communi errore. Habet etiam

locum in ijs, quæ geruntur ex officio publico, quamuis non sint actus iurisdictionis, vt in instrumento tabellionis; in electione & præsentatione ad beneficia, & officia; in actu parochi assistentis contractui matrimoniali: hic enim actus non est iurisdictionis, sed exhibitionis præsentiæ sui, tanquam testis iure requisiti.

6. QVÆRES *primo*. Circa totam hanc materiam, an non solum error, sed etiam probabilis DD. opinio efficiat, vt Ecclesia det iurisdictionem, etiamsi fortè opinio illa falsa sit. Affirmant Henriquez *l.2 de pœnit. cap. 143. & alij recentiores*. Vnde si probabile sit, talem posse absoluere à reseruatis, assistere matrimonio, excommunicare, eligere confessorem, priuilegium non esse reuocatum, & similia, & ille ex hac opinione operetur, validè operabitur, Ecclesia supplente defectum, si fortè subsit; cùm enim licitum sit operari ex opinione probabili, si omnia illa essent irrita, sequerentur grauissima incommoda.

7. QVÆRES *secundo*. An valeant acta, quando populus dubitat, an superior sit officio priuatus. Affirmant *Panormit. supra*, *Rosella* v. *confessor* 3. *in fine*, & Sylu. v. *Confessor* 1. *quæst.* 19. Ratio est, quia cum antea fuerit habitus superior, non debent subditi propter dubium superueniens eum reiicere, quamdiu in officio perseuerat. Nam in dubio melior est conditio possidentis, neque quisquam suo iure spoliandus est. Ex dictis patet, etsi illi, qui solum habent titulum coloratum possint generatim dici peccare vsurpatione iudicij, quia quantum in ipsis est, vsurpant potestatem, quam non habent: non tamen sententia illorum est irrita, quia Ecclesia extraordinariè suppeditat illis iurisdictionem, propter commune bonum.

QVÆST. 12. *An tyrannus peccet vsurpatione iudicij.*

1. ALius est Tyrannus vsurpatione potestatis, qui scilicet absq; vllo iure Rẽp. inuasit, & oppres-

fam tenet: alius vsu regiminis, qui scilicet tyrannicè gubernat, cùm alioqui sit verus Princeps, & legitimam habeat potestatem. Nec hic agimus de priori, qui vsurpatione potestatis tyrannus est, & iam in pace imperat, Repub. illi non amplius resistente ex defectu virium. Nam de posteriori, qui verus Princeps est, constat non peccare vsurpatione iudicij, modo secundum leges iudicet, etiamsi aliàs tyrannicè gubernet. Dom. Sotus *l. 3. quæst. 4. art. 6.* docet Tyrannum, qui Rempub. inuasit, non posse ferre vllam legem, nec ius dicere, quod obliget in conscientia; ac proinde sententias eius esse irritas. Contrarium tenet *Francis. Victor. in relect. de potestate ciuili num. 23.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Huiusmodi Tyrannus peccat vsurpatione iudicij ius dicendo. Ratio est, quia iudicando vsurpat sibi potestatem Principis, & gerit se vt verus Princeps, cùm tamen reuera non sit: ergo vsurpat alienam potestatem: ergo peccat vsurpatione iudicij.

3. DICES *Primo.* Ille quidem peccabit inuadendo principatum, & illam authoritatem sibi vsurpãdo; non tamen peccat postea, si debito modo ea vtatur; quia Reipub. mens hæc censetur esse. Imo si omitteret ius dicere, peccaret. Respondeo negando secundam partem assumpti, quia non solum peccauit Rempub. inuadendo, sed etiam postea assiduè peccat, eam oppressam & sibi subiectam seruando, donec tandem vel sponte à regno suscipiatur, vel longo temporum interuallo nascatur præscriptio. Ratio est, quia assiduè iniuriam infert, & opprimit, sicut qui per iniuriam compingit aliquem in carcerem, non tantum peccat in principio, sed etiam postea assiduè, quamdiu voluntariè hanc calamitatem cõtinuat. Nota tamen hoc non esse nouum peccatum in tyranno, sed continuationem quandam peccati antiqui, neque addere nouam aliquam malitiam

mortalem supra vsurpationem tituli principatus, quia per hoc non fit noua iniuria, sed prior continuatur. Imo magis peccaret, si quando res postulat ius non diceret retento principatu, quia magis noceret ciuibus, & maiorem iniuriam irrogaret: sicut qui rem alienam detinet, & eâ vtitur, peccat vtendo: si tamen iste vsus est rei vtilis, vel necessarius, non addit nouam malitiam supra rei detentionem, & non vtendo magis peccaret.

4. Dices *secundo*. Si peccat iudicando: ergo ciues non possunt ab eo ius petere: non enim licet petere ab aliquo, quod ipse sine peccato præstare non potest. Respond. nego consequentiam, quia non petunt absolutè, sed sub tacita quadam conditione, nempe si velit se gerere loco principis. Qua conditione posita petitur id, ad quod ipse tenetur. Quamuis enim peccet iudicando; magis tamen peccaret iudicium negligendo. Itaque non petitur, nisi ex suppositione, & tanquam minus malum, quod eo modo petere est licitum.

5. Secvnda Conclvsio. Quamuis eiusmodi Tyrannus peccet vsurpatione iudicij, vt dictum est, tamen sententiæ eius sunt validæ, & ciues tenentur iis obtemperare, donec irritentur. Ratio est, quia ipsius sententiæ, & iusta mandata, tametsi non habeant vim à tyrannica potestate, habent tamen aliundè. *Primo*, à iure naturali, quod supposito tali rerum statu dictat, esse obtemperandum propter bonum commune; alioquin omnia essent plena furtis & latrociniis. *Secundo*, à Repub. quæ tacitè approbat eius mandata & acta, legibus & communi vtilitati consentanea, & vult sententias iustas, quibus lites ciuium dirimuntur, & sontes plectuntur, esse validas, & subditos obligare: nisi enim validæ essent, & obligarent, nemo nisi in speciem obtemperaret, & quisque occultè faceret con-

trarium, cum magno Reipub. incommodo. Potest autem Respublica hanc vim sententiis & actis tyranni dare, quia est singulorum superior, etiamsi tyrannide sit oppressa. Aliqui confirmant hanc conclusionem exemplo Iudæorum, qui per tyrannidem oppressi erant à Romanis; & tamen Christus *Matth.* 22. *v.* 21. insinuat eos debere dare tributum Cæsari. Sed puto neminem in conscientia teneri tyranno tributum soluere, nisi fortè causa scandali, vel maioris mali vitandi. Neque enim ratio naturalis id dictat: neque Respub. censetur id velle; quia expedit tyrannum non abundare pecunia, vt facilius eius iugum possit excuti. Sententia Christi est generalis, solum significans, Principi reddendum, quod ei debetur: non enim conueniebat, vt alterutram partem distinctè definiret.

6. Tertia Conclvsio. Inferiores tamen Iudices à tyranno constituti, si eius tyrannidem non sustentent, aut iuuent, non peccant ius dicendo, modo alioqui omnia iure agant. Ratio est, quia nullam iniuriam faciunt Reipub. & ipsa Respub. posito hoc rerum statu tacitè in eos consentit, cum illorum administratio vtilis sit communi bono. Rarò tamen fit, vt Iudices inferiores non cogantur multa iniqua mandata & sententias dare, & exequi.

7. Qværes. An tyrannus peccet peccato homicidij, quando malefactores secundum ordinem iuris interficit. Ratio dubij est, quia non habet publicam authoritatem, nisi quam iniquè vsurpat. Respondeo. Respub. tribuit illi tacitè authoritatem, dum consentit, & cupit, vt malefactores puniat, ac proinde non committit homicidium.

8. Dices. Etsi Respub. concedat illi tacitè hanc authoritatem, ipse tamen non intendit eâ vti; sed illa tantum, quam sibi assumpsit, & quam reuera non habet: ergo est homicida. Respondeo ipse intendit vti omni

authoritate, quam habet, ac proinde vtitur etiam authoritate à Repub. concessa.

## QVÆSTIO LXI.

*De diuisione Iustitiæ in commutatiuam, & distributiuam.*

DIuus Thomas docet *primo*, iustitiam particularem rectè diuidi in has species. *Secundo*, ostendit in quibus differant, quod paucis explicandum est.

2. PRIMA CONCLVSIO. Hæ duæ species differunt primum à Iustitia legali. Nam legalis respicit bonum commune, & singulos ciues benè disponit ad bonum Reipub. totius, vt supra dictum. Hæ autem species Iustitiæ particularis, respiciunt bonum priuatum, licet non eodem modo, vt iam dicam.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæ species differunt inter se quatuor modis. *Primo*, quia iustitia commutatiua disponit priuatum hominem ad priuatum, vel eos, qui se instar priuatorum habent. Distributiua disponit communitatem; vel eum, qui communitatem repræsentat, ad priuatum. *Secundo*, illa versatur circa cõmutationes: hæc circa distributiones. *Tertio*, illa spectat conditionem rei alterius, vt ei reddat æquale: hæc conditionem personæ, vt sitne diues, an pauper? nobilis, an ignobilis? doctus, an indoctus? idoneus ad officiũ, an ineptus? vt secundum proportionem illarum conditionum fiat distributio. *Quarto*, finis intrinsecus illius est constituere æqualitatem inter datum & acceptum: huius finis est constituere æqualitatem inter proportionem, & proportionem, vt eadem sit proportio inter res quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones personarum, quibus fit distributio. Hinc patet, quando militi datur stipendium, vel operariis publicis merces à Repub. pro cuiusque merito, non dari per iustitiam distributiuam, sed per commutatiuam; quia non spectatur conditio personarum, sed operarum, quas præstiterunt, & nihil

aliud intenditur, quam vt in singulis constituatur æqualitas rei ad rem, scilicet mercedis ad laborem. Vnde Respub. in tali casu non comparatur ad illos vt totum ad partem, sed vt pars ad partem, & ciuis ad ciuem: subit enim rationem vnius personæ conducentis operas singulorum.

3. Dices. Cum fit distributio bonorum communium secundum conditiones personarum, videtur etiam fieri per iustitiam commutatiuam, ac proinde æqualitas proportionum inter multos non videtur esse propria Iustitiæ distributiuæ. Antecedens patet, quia si distributor aliquem fraudauerit, minus dando, quam postulabat eius conditio, tenetur ad eius restitutionem per Iustitiam commutatiuam, vt docet *D. Thom. quæst. sequenti art. 1. ad. 3.* ergo Iustitia commutatiua fuit violata: ergo talis distributio pertinet ad iustitiam commutatiuam. Respondeo. Æqualitas proportionum non resultat per accidens, sed primario intenditur à Iustitia distributiua tanquam finis intrinsecus, sicut æqualitas rei ad rem primariò intenditur à Iustitia commutatiua. Fit tamen aliquando, vt Iustitia distributiua in sua functione includat commutatiuam, nempe quando fit distributio rerum, quæ stricto iure debentur, iuxta personarum conditionem, vt si quis relinquat centum aureos distribuendos studiosis alicuius collegij pro cuiusque inopia, vel eruditione, tunc enim distributor lege Iustitiæ commutatiuæ obligatur erga singulos, quamuis erga omnes teneatur seruare formam Iustitiæ distributiuæ, vt sit ea proportio eleemosynæ ad eleemosynam, quæ est inopiæ ad inopiam. Vnde si alicui pauperiori minus dederit, tenebitur ex iustitia commutatiua restituere ad iustam proportionem; non secus ac si dotator ei reliquisset in particulari 10 aureos, & distributor solum dedisset quinque. Hoc ipso enim, quod donator vult talem proportionem stricte seruari,

singulis

singulis implicitè assignat certam summam iuxta proportionem inopiæ, quæ singulis debetur lege Iustitiæ commutatiuæ. Ex dictis colliguntur duæ regulæ, *Prior*, quando diuiditur aliquid stricto iure debitum, concurrunt in eodem actu Iustitia commutatiua & distributiua. Commutatiua, quatenus respicitur, vt detur vnicuique æquale iuri, quod habet. Distributiua quatenus respicitur, vt vnicuique detur secundum proportionem suæ dignitatis: quare minus dando quam oportet, violatur vtraque Iustitia: Commutatiua, quatenus non datur æquale iuri, quod alter habet: distributiua, quatenus non datur secundum proportionem dignitatis. *Posterior* regula, quando fit distributio rerum, quæ stricto iure non debentur secundum conditionem personarum: tunc Iustitia distributiua non includit commutatiuam, vt fit in distributione beneficiorum, & officiorum, quæ debent quidem conferri dignioribus; non tamen ita, vt ipsi ius strictum ad illa habeant. Vnde non fit ipsis iniuria, quæ ad restitutionem obliget, etiamsi aliis conferantur. Peccat tamen distributor contra Iustitiam distributiuam, de quo plura *infra quæst. 63. de acceptione personarum.*

## QVÆSTIO LXII.

### *De restitutione.*

Dicam *primo*, de restitutione in genere. *Secundo*, de restitutione ratione iniustæ acceptionis. *Tertio*, de restitutione rei acceptæ. *Quarto*, de restitutione ratione contractus. *Quinto*, de ordine seruando in restitutione. *Sexto*, de excusantibus à restitutione. Ad hæc sex capita possunt omnia reuocari, quæ à D. Thoma & aliis disputantur.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit restitutio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Restitutio ex vsu Theologorum nihil aliud est, quam rei acceptæ reddi-

tio, vel damni illati compensatio. Hinc patet esse actum Iustitiæ commutatiuæ, vt etiam docet *D. Thom. art. 1.* quia huius Iustitiæ officium est, constituere æqualitatem inter datum & acceptum: inter damnum & compensationem.

2. DICES. Si quis peccet contra Iustitiam distributiuam, tenetur etiam restituere: ergò restitutio non est actus solius commutatiuæ. Respondeo, in actu distributionis sæpè continetur debitum Iustitiæ commutatiuæ, vt supra dictum est. Vnde non est mirum, si per Iustitiam commutatiuam instaurari debeat.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Restitutio differt à solutione, quod non omnis solutio sit propriè restitutio, nec contra. Dicimur enim soluere, quod ex voto, iuramento, charitate, aut misericordia debitum est; non tamen propriè dicimur restituere. Et è cõtrario, qui reddit depositum, restituit: non tamen soluit.

6. TERTIA CONCLVSIO. Differt etiam à satisfactione. *Primo*, quia satisfactio latius patet: omnis enim restitutio est satisfactio, non contra. *Secundo*, satisfactio respicit personam, dum præstat id, quod alteri satis est; etiamsi non sit æquiualens debito: Restitutio autem respicit rem, dum præstat æquiualens, vel rem ipsam exhibet. *Tertio*, satisfactio propriè fit pro iniuria illata, & honore violato, quamuis nihil damni illatum sit. Restitutio autem propriè locum habet, vbi damnum illatum est, vel res alterius ablata. *Quarto*, satisfactio fit etiam pro damno irreparabili: restitutio solum pro reparabili.

QVÆST. II. *An restitutio sit necessaria ad salutem?*

1. GVido Carmelita refert Græcos docuisse restitutionem iniquè ablatorum non esse necessariam ad salutem, sed sufficere eleemosynam ex illis datam. Nam Luc. 11. Cum Christus dixisset Pharisæo, *quod intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.* Subdit, *ve-*

*rumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hinc videtur colligi eleemosynam sufficere ad expianda peccata Iustitiæ, ac proinde restitutionem non esse necessariam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Restitutio externa est necessaria ad salutem, si facultas suppetit: si autem non suppetit, non est necessaria. Ita *August. Epist. 34. ad Maced.* Prima pars probatur, quia non restituere, cùm possis, est voluntariè nocere, & facere iniuriam proximo, quia impedis eum ab vsu & possessione rei suæ, vel debitæ. Atqui necessarium est ad salutem, vt nemini voluntariè noceamus, aut iniuriam faciamus, vt ex multis scripturis constat; ergo necessaria est restitutio. Ad locum Lucæ Respondeo, si argumentum ex illo sumptum quicquam valeret, etiam probaret pœnitentiam non esse necessariam furibus, & latronibus. Itaque Christus non vult significare eleemosynam sufficere, sed esse optimam dispositionem ad munditiem animi. q.d. Date eleemosynam pro vestra facultate, & facilè mundabimini, quia disponetur animus ad veram pœnitentiam, & restitutionem. Altera pars conclusionis probatur, quia non obligatur ad impossibile.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Etiamsi externa restitutio non sit necessaria, quando facultas non suppetit, propositum tamen restituendi est necessarium. Ratio est, quia ad remissionem peccati necessaria est contritio, vel saltem attritio cum Sacramento: hæc autem continet propositum restituendi: tum quia continet dolorem de peccato iniustę ablationis, in quo dolore continetur implicitè propositum restituēdi: tum etiam quia continet propositum emendationis, & seruandi diuina præcepta, inter quæ est præceptum restituendi.

4. QVÆRES. Quale præceptum sit restitutionis: affirmatiuum, an negatiuum? Multi dicunt esse negatiuū, quia idem est dicere restitue, & ne detine alienum.

Sed verius est esse affirmatiuum. *Primò*, quia præcipitur actus positiuus. In negatiuo solum præcipitur abstinentia ab aliquo actu positiuo. Nec obstat, quod interdum videatur fieri restitutio sola cessatione detinendi, vt si deferas domum, vel agrum, quem vi occupasti, quia hæc cessatio eò dirigitur, vt alter rem suam consequatur, & fiat æqualitas, & sic habet terminum positiuum. Vnde est instar actionis positiuæ, qua impletur præceptum affirmatiuum. *Secundo*, quia non obligat pro omni tempore, sed solum, quando est opportunitas restituendi: Negatiuum autem obligat pro omni tempore. Illud autem præceptum, ne detine alienum, in re potius est affirmatiuum, quam negatiuum, quia non potest seruari, nisi per actum positiuum, neque obligat pro omni tempore. Nota tamen præceptum restituendi nasci ex illo negatiuo; Non furtum facies. Vnde hoc ipso, quo præscribitur, Non furaberis, præscribitur etiam, vt non detineas, si potes reddere, & consequenter vt restituas, quia actus restitutionis est necessarius ad non retinendum alienum.

Quæst. 3. *Vnde nascatur obligatio restitutionis?*

1. PRIMA CONCLVSIO Si propriè loquamur, oritur ex duplici capite: nempe vel ex iniusta acceptione, vel ex re accepta siue iustè, siue iniustè. *Ita D. Thom. & Cajet. art. 6. & 7. Conarr. ad regul. Peccatum p. 2. in Principio.* Per iniustam acceptionem intelligo non solum furtum: sed etiam quoduis damnum per homicidium, adulterium, stuprum, furtum, infamiam, siue alio modo iniquè illatum: quicumque enim alteri damnum infert, aufert aliquid ab eo, & sic dicitur teneri restituere ratione iniustæ acceptionis. Per rem acceptam intelligo non solum eam, quæ à Domino ablata est, vt equus, vestis, pecunia, sed etiam eam, quæ ex Iustitia alteri debetur, & apud me manet, vt legatum alteri, vel venditum, quod apud me est,

Quod etiam ex priori capite nascatur obligatio restitutionis, probatur: quia qui damnum intulit, violauit æqualitatem, quam poscit Iustitia commutatiua: ergo, vt illam resarciat, tenetur lege Iustitiæ ad restitutionem, etiamsi nihil emolumenti acceperit. Quod etiam ex secundo capite patet, quia qui habet rem alterius, etiamsi nullam iniuriam intulerit, habet tamen plus quam suum, & verus Dominus tantundem habet minus, quam suum: ergo vt fiat æqualitas Iustitiæ, per quam tribuitur cuique suum, debet Domino restitui.

Dices. Qui obligatur ex stipulatione, non tenetur ex altero horum capitum: ergo hæc duo non sufficiunt. Resp. per sequentia, sit ergo.

2. Secvnda Conclvsio. Si nomen restitutionis generatim sumatur pro omni redditione, qua res ex Iustitia debita redditur, vel in seipsa, vel in æquiualente, sic assignanda sunt tria capita obligationis restituendi. *Primum*, ex iniusta acceptione, seu damno illato. *Secundum*, ex re accepta iustè, vel iniustè. *Tertium*, ex contractu. Nam mutuum, & pretium rei emptæ, & similia, non debentur propriè ratione rei acceptæ (nam fieri potest vt hæc non extet) sed ex contractu. Nota inter hæc tria capita esse magnum discrimen: quando enim aliquid debetur ex iniusta acceptione, vel ex cõtractu, manet obligatio restitutionis, etiamsi res debita pereat, sine nostra culpa, quando vero debetur tantum ratione rei acceptæ, non manet obligatio rei absque culpa nostra pereunte, vt patet in deposito. Ex his plurima possunt deduci, vt patebit ex sequentibus.

*De restitutione ratione iniustæ acceptionis.*

Obligatio restitutionis oritur. *Primo*, ex iniusta acceptione, seu damno illato, vt dictum est. Potest autem dãnum inferri. *Primo*, in bonis animi, siue naturalibus, siue supernaturalibus. *Secundo*, in bonis corporis & membrorum. *Tertio*, in bonis famæ & honoris.

quartò, in bonis fortunæ. De singulis dicam ordine.

Quæst. 4. *An teneatur restituere, qui priuat alium alicuo sensu, vel vsu rationis per iniuriam, v.g. si quis veneno, philtro, aut alio modo priuet aliquem vsu rationis, aut sensu, siue interno, siue externo: quæstio est, ad quod teneatur?*

1. DOminicus Soto *l. 4. q. 6. a. 2. ad 1. & quidam alij* putant pro his damnis præcisè consideratis faciendam esse restitutionem pecuniariam, arbitrio boni viri.

2. CONCLVSIO. Verius videtur talē nō teneri ad restitutionē præcisè pro ipso dāno sensuū, vel vsus rationis; sed tātū pro damno tēporali, quod inde sequitur, vt si non possit eam artem vel functionē obire, qua lucrum faciebat. Colligitur *ex Gonez tom. 3. cap. 6. n. 12.* vbi probatur cicatricē, & deformitatem ex iniuria remanētem, non posse æstimari à Iudice, vel offenso; quia sicut liber homo nullā recipit æstimationē; ita nec cicatrix, vel deformitas eius, quod expressè habetur *L. fin. ff. de his, qui deiecerint, vel effuderint.* Idem docet Naua. *c. 15. n. 19. & multi alij infra citandi.* Ratio est, quia hæc dāna nullo pretio sunt æstimabiliæ; sūt enim in bonis, quæ supremum locum in bonis humanis tenent, neque quidquam est in hominum potestate, quod his censeatur æquiualens. Vnde per pecuniā non potest fieri compensatio. Itaque pro his satis est pœnitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro iniuria illata. *Vide infra q. 11.*

Quæst. 5. *An teneatur restituere, qui alterum læsit in bonis animæ, pertrahendo ad peccatum:*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui alterū metu, vel fraude pertraxit in peccatū, tenetur ipsū ex iustitia suæ libertati restituere, & vim fraudemque tollere, ne ille in posterum simili modo peccet. Est communis. Probatur, quia minari, vel vim inferre est contra iustitiam, si sine iusta authoritate fiat, quæ numquam iusta

esse potest, dum quis ad peccatum cogitur. Similiter contra iustitiam est, decipere alterum falsa doctrina circa fidem, mores, vel artes humanas: sicut enim quisque habet ius iustitiæ, ne ab alio lædatur in corpore: ita etiam, ne inuitus lædatur in anima per errorem aut deceptionem: ergo qui illum inuitum lædit in anima, violat ipsius ius: ergo contra iustitiam facit: ergo lege iustitiæ tenetur cessare, & quod fecit quasi infectum reddere: ergo tenetur vim tollere, minas remittere, & fraudem patefacere.

2. Dices. Hoc quidem verum est, quando quis fraude pertraxit aliquem in errorem, qui error versetur in materia iustitiæ, vt v. g. circa contractum, vel restitutionem: tunc enim ex iustitia tenetur errorem tollere, quando autem error versatur in materia fidei, temperantiæ, & similium virtutum, tunc non tenetur lege iustitiæ, sed solum lege istius virtutis, circa cuius materiam decepit. Ratio est, quia eodem præcepto, quo quis tenetur nihil sciens facere contra aliquam virtutem, eodem tenetur nihil cõtra illam suadere, vel docere: tam enim est contra rationem consulere malum, quam facere. Resp. Semper tenetur lege iustitiæ errorem tollere, qui alterum in errorem induxit, siue sit in materia iustitiæ, siue aliarum virtutum: hoc enim conuincit, argumentum nostræ conclusionis. Ratio autem in contrarium allata hoc solum probat, eum qui sciens suadet falsum in materia fidei, vel temperantiæ, peccare contra has virtutes, quod verissimum est. Non tamen probat, eum non peccare etiam contra iustitiam. Nam si aliquem sine fraude & non inuitum perduceret ad infidelitatem, aut intemperantiam, peccaret contra fidem & temperantiam: ergo quando fraude vtitur, peccat contra iustitiam.

3. Hinc colligitur *primo*, si quis putaretur non inuitus, sed voluntariè deceptus, (quomodo multi iam ad hæ-

ſes pertrahuntur auidi nouitatis, & prurientes auribus) non naſci obligationem ex lege iuſtitię per errorem docendum, ſed tantum ex lege illius virtutis contra quam fuit alteri auctor peccandi, & ex lege correptionis fraternæ. Idem dicendum, ſi deceptus cognoſcat aliundè veritatem: tunc enim deceptor non tenetur ex iuſtitia contrarium ſuadere: Ratio eſt, quia iam ablatus eſt error intellectus, ratione cuius deceptor cēſebatur cauſa operis mali: ergo ſi alter adhuc pergat in opere malo, non id facit ex ignorantia, ſed ex propria malitia: ac proinde nō poteſt imputari deceptori. Niſi fortè variis ſuaſionibus animum ipſius inflexerit ad malum: tunc enim tenetur, quantum in ſe eſt, ſuadere contrarium, quamuis alter ſciat aliundè veritatem. Ratio eſt, quia non ſolum ignoratione veritatis, ſed etiam tua ſuaſione, fuit inclinatus in malum: ergo niſi contrarium ſuaſeris, cenſeberis adhuc cauſa mali operis, ratione effectus relicti in animo ipſius, nempe ratione inclinationis prauæ, & propoſiti tua ſuaſione excitati.

4. Secvnda Conclvsio. Qui tamen alterum pertraxit ad peccatum, ſiue prece vel pretio, ſiue vi vel fraude, non tenetur ex iuſtitia curare vt conuertatur: tenetur tamen ad id lege charitatis, idque magis quam alij. Ita Dom. Sotus *l. 4. q. 6. a. 3. ad 1.* Syluv. *v. reſtitutio, 3. q. 1.* Petrus Nauarr. *c. 1. num. 1. & alij recentiores, contra Scotum, & Adrianum.* Probatur *primo*, de eo qui prece vel pretio induxit, ſine vi & fraude. Nam qui ita induxit non abſtulit aliquid ab inuito, cum iſte inductus ſciens & prudens peccarit: ergo non eſt illi illata iniuria. *Secundo*, probatur generatim de omni eo, qui induxit ad peccatum etiam vi & fraude, quia nemo tenetur ex iuſtitia ad reſarciendum damnum ei, qui cenſetur illud condonare; ſed is qui à te inductus eſt ad peccatū, poſtquam ſcit ſe eſſe in peccato, & poſſe ope diuina reſurgere, & tamen non vult, cenſetur tibi damnum

spirituale condonare, quia vult in eo permanere, & gratiam amissam velut ante oculos positam non vult recuperare. Confirmatur, quia is, qui inductus est in peccatũ est principalis & directa causa damni spiritualis, & tamen non tenetur lege iustitiæ, eo quod sibi ipsi censeatur condonare: ergo nec is, qui est causa remota, tenetur ex iustitia, cum alter condonet. Quod tamen lege charitatis præ cæteris teneatur, patet; quia æquitas postulat, vt is, qui est auctor mali præ cæteris, etiam laboret præ cæteris, vt tollatur malum. Puto tamen hanc obligationem, quatenus præ cæteris obligatur, non esse sub mortali, vt docet Nauarr. *l. 5. Consil. tit. 3. Consil. 2. num. 4.* Ratio est, quia charitas non obligat ad correptionem sub mortali, nisi in necessitate, quando etiam alij obligantur: ergo præ cæteris non tenetur sub mortali.

5. TERTIA CONCLVSIO. Si is, qui fraude inductus est in errorem, facit opus malum, priusquam veritatem cognouerit, imputatur consultori, qui decepit, quamuis qui fecit, ob ignorantiam inculpatam non peccarit. Ratio est, quia consultori hoc opus est voluntarium, cum sciat esse prauum: ei autem qui facit est prorsus inuoluntarium, qua malum; quia omnino eius prauitatem ignorat. Vnde si est homicidium, vel mutilatio, consultor irregularitatem incurret, non executor.

QVÆST. VI. *An teneatur restituere, qui auertit aliquem ab ingressu vel statu Religionis?*

1. POtest aliquis dupliciter abduci à Religione. *Primo*, vi vel fraude. *Secundo*, solis precibus, aut suasionibus. Item potest esse quæstio de restitutione vel personæ, vel commodi temporalis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui Nouitium sine vi & fraude extraxit, non tenetur ex iustitia Religioni aliquid restituere, etiãsi malo animo fecerit, & grauissi-

mè peccarit. Ita Dom. *Sot. l. 4. q. 6. a. 3.* Petrus Nauarr. *l. 2. c. 2. n. 25. & alij contra Adrianum.* Ratio est, quia Religioni non est facta propriè iniuria. Nam ante votorum acceptationem, Religio non habet ius ad personas, quamuis ipsæ voto se obstrinxissent, vt in votis realibus & in omni promissione accidit. Atqui votorum acceptatio non fit in nouitiatu, sed postea: ergo religio non habet ius ad Nouitios: ergo qui Nouitios abducit, non facit iniuriam Religioni. Hinc patet illum etiam non teneri ad compensandam vtilitatem temporalem, quam Religio sperabat à Nouitio; quia non habet ius ad eam, nisi mediante libera voluntate Nouitij, quam alter in sua libertate reliquit, dum nullam vim, vel fraudem adhibuit. Dixi non teneri ex iustitia, quia ex æquitate quadam, seu decentia tenetur illum hortari ad bonum propositum resumendum, vt reparet magnum illud bonum, quod in animo eius destruxit.

3. Secunda Conclusio. Qui vi vel fraude abduxit aliquem à Religione, siue Professum, siue Nouitium, non tenetur ex iustitia, vel alio præcepto ipse ingredi; sed tenetur vim tollere, & fraudem aperire, & suadere reditum. Quod si ille redire nolit, vel procul absit, vt conueniri non possit, tenetur ex æquitate quadam alium inducere si commodè potest: non tamen ex iustitia. Prima pars, quod non teneatur ipse seductor ingredi, probatur: tum quia ipse fortè non est aptus: tum quia status Religionis debet liberrimè acceptari: est enim status perfectionis, quæ non nisi liberis, miniméque coactis functionibus acquiritur. Vnde par est, vt eius obligatio non nascatur ex vllo delicto, sed tantum ex spontaneo voto. Hinc fit, vt etsi ob delictum possit quis includi in Monasterium ad agendam pœnitentiam; non tamen possit cogi, vt Religionem profiteatur. Secunda pars, quod teneatur vim & frau-

dem tollere, patet ex dub. præced. Tertia pars, quod ex æquitate teneatur alium inducere, patet ex dictis: cum enim Deo & Religioni subtraxerit obsequium illud, quod ille præstabit, par est vt compenset eo modo, quo potest. Quod tamen non teneatur ex iustitia, probatur *primo*, quia nec ipse Religiosus ex iustitia tenetur redire, sed solum ex voto Religionis, vt quidam volunt. *Secundo*, etiamsi teneretur ex iustitia redire (quod verius videtur) tamen auctor non tenetur ex iustitia, nisi vim & fraudem tollere, & suadere reditum. Nam aliter non potest personam restituere. Vt autem alium huius loco restituat, nec moribus receptum est, nec iustitia postulat, quia capessere Religionem non est persuasionis humanæ: sed pendet ex inspiratione diuina. *Tertiò*, quia Monasterium non possidet Religiosum tanquam mancipium, pro quo si abductum fuerit, vi vel fraude debet aliud restitui, sed tanquam filium, pro quo abducto, vel occiso, non restituitur alius.

4. TERTIA CONCLVSIO. Qui nouitium vi vel fraude seduxit, & auertit à Religione profitenda, tenetur ex iustitia Monasterio compensare quantum valebat spes illa commodi temporalis, quod ex ipsius hæreditate, donatione, vel industria expectabatur. Ratio est, quia qui aliquem impedit vi, fraude, mendacio, metu, ne tibi relinquat legatum, hæreditatem, aut ne tibi conferat beneficium, quod proposuerat conferre, tenetur tibi ad restitutionem, quanti spes illa iudicio prudentum æstimatur: Etsi enim tu non habeas ius ad beneficium, vel ad legatum istud, habes tamen ius, ne alteri vis, vel fraus fiat in tuum detrimentum. Pari modo Religio ius habet, ne vi aut fraude auertas eum, qui statuit ingredi: ergo qui ita auertit, violat ius Religionis: ergo tenetur ad restitutionẽ damni cõsequẽtis, qua parte pretio illud est æstimabile. Nota tamẽ si restituit illũ suæ libertati, & fraudem aperuit eo tẽpore, dum adhuc

illi est integrum redire, probabile est non amplius teneri, quia in posterum non censebitur causa damni Monasterio, sed Nouitius solus sponte non rediens. Idem dicendum, si Nouitius ille fraudem aliquo modo aduertit, quia tunc non fuit egressio inuoluntaria. Quod si non amplius sit ei integrum redire, vt si interim contraxit matrimonium, vel alia ratione impeditus est, tenebitur deceptor, quanti spes illa Monasterij æstimabitur, quia censetur causa damni in posterum.

5. Qvarta Conclvsio. Qui vi vel fraude abduxit Professum à Religione, tenetur Monasterio compensare vtilitatem temporalem, quam ipse conferebat, non tamen si precibus, vel consilio, absque vi & fraude id fecit. Ita Petrus Nauarr. *supra num.* 23. & Salonius *q.* 62. *a.* 2. Prima pars patet, quia iniustè causam damni attulit, & quidem multò magis, quam qui Nouitium abduxit. Nam professus est iam adstrictus Religioni, & tenetur, ac vult pro Religione laborare, & inde prouenit vtilitas, quæ percipitur ex eius concionibus, confessionibus, lectionibus. Hic tamen aduertendum. *Primò.* An reuera damnum sit acceptum: si enim Professus ille, qui abductus est, tantum consumebat, quantum lucrabatur, aut si alius, qui idem præstat, in eius locum commodè subrogari possit, non est opus restitutione. *Secundò*, postquam suæ libertati restitutus est, detecta fraude, vel vi laxata, abductor in posterum non tenetur restituere, sed solum pro eo damno, quod datum est, durante vi & fraude. Ratio est, quia in posterum non ipse, sed Religiosus nolens redire censetur causa damni. Secunda pars probatur, quia Religiosus non tenetur ex iustitia laborare, & procurare vtilitatem monasterij; sed tantum ex obedientia, & religione. Vt docet Bannes *q.* 62. *a.* 2. *dubit.* 6. *& alij.* Vnde si nolit laborare, non peccat contra iustitiam: ergo qui suadet illi absque vi & fraude vt non laboret, non pec-

cat etiam contra iustitiam, ergo non tenetur restituere.

6. Dices *primo*. qui seruo emptitio suadet fugam, vel otium tenetur Domino ad restitutionem: ergo etiam qui Monacho suadet. Respondeo *primo*, quoad fugam non est eadem ratio serui & Monachi. Nam seruus est principaliter ad commodum Domini, & est quasi possessio ipsius sicut iumentum: Monachus autem non est principaliter ob temporale commodum sui Prælati, aut monasterij; sed ob suum bonum spirituale, nec possidetur à Prælato tanquam seruus, sed subest tanquam filius, vt ab eo ad salutem suam rectè dirigatur. Resp. *Secundo*, quoad otium est eadem ratio vtriusque: sicut enim Monachus non tenetur ex iustitia; sed ex obedientia laborare: ita & seruus emptitius. Aliud est de seruo mercenario. Vnde qui Monacho, vel seruo emptitio suadet otium, aut cessationem ab opere, peccat quidem grauiter; non tamen contra iustitiam. Nam actiones illorum non sunt debitæ superiori ex lege iustitiæ, sicut actiones mercenarij; sed ex lege obedientiæ.

7. Dices *secundo*. qui Monacho suadet fugam, facit iniuriam Monasterio & ex hac iniuria sequitur damnum: ergo tenetur de damno. Resp. negando consequentiam; quamuis enim faciat iniuriam suadendo egressum vel fugam, non tamen suadendo otium, ac proinde non tenetur ad compensationem damni, quod ex otio sequitur. Confirmatur ex facto ipsius Monachi: hic enim etsi faciat iniuriam Religioni egrediendo, & ex hac iniuria sequatur damnum; non tamen tenetur ad compensationem illius damni. Ratio est, quia etsi egredi sit iniuria, non tamen iniuria est nolle procurare vtilitatem temporalem, eo quod non teneatur ad hoc ex iustitia, vt dictum est, sed ex obedientia. Vnde non omne damnum sequens ex iniuria obligat

restitutionem; sed solum illud, quod ita sequitur, vt per ipsam actionem iniuriosam inferatur, quod hic non fit. Nam quamuis suadere egressum sit iniuria, quatenus hic actus suadendi est causa egressionis: non tamen est iniuria respectu damni secuti, quia hoc damnum immediatè dependet ex libera voluntate Monachi: non autem ex consilio suadentis. Secus esset si vi aut fraude egisset: tunc enim damnum sequeretur immediatè ex iniuriosa actione: non ex libera voluntate Monachi, qui vi vel fraude inductus esset.

Quæstio 7. *An homicida, vel mutilator teneatur restituere?*

1. Prima Conclvsio. Tenetur *primo*, soluere omnes expensas factas in curatione læsi, quia earum ipse causa efficax fuit. *Secundo* tenetur restituere, non quidem quantum alter erat lucraturus, sed quantum illa spes lucri valebat, si quæstum aliquo officio, vel artificio faciebat: ijs tamen detractis, quæ alter consumere solebat, si obijt: quæ enim ipse consumebat, non possunt censeri in lucris ad hæredes proueniẽtibus, v. g. spes lucri æstimetur centum coronatis, id quod consumpturus erat æstimetur 60. supersunt tamen 40. restituendi. *Vide Couarr. l. 2 var. resol. c. 10. n. 7. & Sot. l. 4. q. 6. a. 3. ad 3.*

2. Secvnda Conclvsio. Si homicida, vel qui damnum intulit, moriatur tenentur hæredes ex eius bonis restituere. Ratio est, quia hæredes succedunt in locum defuncti, & in omnia eius bona & iura: ergo etiam in omnes eius obligationes, quibus ex iustitia obligatur.

3. Dices. Contrarium colligitur ex *L. ex inducias. ff. de accusationibus*, vbi dicitur pœnam pecuniariam, quæ descendit à delicto, non transire ad hæredes lite non contestata. Respondeo, loquitur de pœna propriè dicta, qua per sententiam puniendus erat, qui cri-

men contraxerat, quæ pœna non debetur ante sententiam, neque ab homicida, neque ab eius hæredibus. *Ita Couarr. supra.*

QV. VIII. *Quomodo æstimatio lucri futuri faciendæ sit?*

1. RAtio dubij est, quia nemo potest scire quamdiu victurus fuisset is qui occisus est, ergo nemo potest scire quantum lucrum fuisset facturus: ergo æstimatio illius lucri non potest designari.

2. PRIMA CONCLVSIO. Probabile est hanc æstimationem faciendam esse iuxta dispositionem iuris ciuilis, quæ habetur *L. Computationi. ff. ad legem falcidiam.* Ita Couarr. *l. 2. variæ. resol. c. 10. num. 7.* & Angelus v. *restitutio 1. §. homicida.* In hac lege certum tempus constituitur futuræ ætatis æstimandæ, vt si quis sit annorum 30. vel infra, is putetur adhuc victurus 30. si sit 35. putetur victurus 25. Si sit 40. adhuc 20. Si 50. adhuc 10. semper diminuendo vsque ad 60. Hæc tamen sententia non omnino satisfacit. *Primo*, quia lex illa loquitur tantum de alimentis alicui ad vitam legatis: ergo non videtur ad nostrum casum extendenda. *Secundo*, quia in foro conscientiæ spectandæ sunt multæ aliæ circumstantiæ, ex quibus æstimandum est tempus, & lucrum futuræ ætatis. *Tertio*, quia iuxta illam legem nihil teneretur restituere, qui occideret sexagenarium, quod est contra omnem æquitatem. Nam fieri potest, vt adhuc sit validus & putetur diu victurus.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc potius regula seruanda est vt illud restituatur, quod viri probi & prudentes spectatis omnibus circumstantiis iudicauerint esse æquum. Nota tamen si quis vel naturali, vel aliàs iusta morte erat è medio tollendus, qui iniustè præueniret, non teneretur ad restitutionem, quamuis iniustitiam committeret, vt docet *Petr. Nau. l. 4. c. 1. n. 78.* Ratio est, quia non infert damnum pecuniarium. Nam alter tam breui tempore nihil erat lucraturus:

Dixi iusta morte, quia si erat iniustè interficiendus vel à latrone, vel etiam à magistratu, & ego præueniam, omninò teneor restituere. Ratio est, quia alter qui eum iniustè interfecturus erat, fuisset obligatus restituere: ergo si ego præueniam, similiter obligabor. Nam per hoc, quod alius eum iniustè statuerat interficere, non amittit ius viuendi, aut lucri faciendi, sicut amittit per hoc quod naturaliter, aut iustè per magistratum perire debet.

QVÆST. IX. *Quid teneatur restituere qui modum iustæ defensionis excessit?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui ab altero fuit prouocatus ad pugnam, etiamsi modum fortè excessit, non tenetur ad restitutionem. Ita multi recentiores. Ratio est, quia prouocans videtur ei condonare, dum facit ei potestatem, vt contra se agat, quantum potest. Idem docet Bannes *quæst. 62. art. 2. dubit. 6.* vbi dicit eum, qui voluntariè se exponit periculo, prouocando alterum ad certamen, si occidatur, non esse iniustam occisionem respectu illius, sed solum respectu Reipub. vel Dei, qui est Dominus vitæ. Et paulò antè dicit talem renuntiare suo iuri, etiamsi in damnum filiorum id cedat. Idem videtur dicendum, quando duo prouocant se vicissim, & pari consensu pugnam aggrediuntur.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui inuaditur ab altero sine prouocatione, si iustam moderationem notabiliter excedat, ita vt mortaliter peccet occidendo suum inuasorem, tenetur integrè damna compensare. Ita *Nauarr. c. 15. num. 27. & alij.* Ratio est, quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam & est causa totius damni, sicut is qui dolo, vel lata culpa, est alteri causa damni.

3. DICES. Qui alterum iniustè aggreditur aperta vi, vel ex insidijs occidit, maiorem infert iniuriam quam

qui

qui aggressus, & rei indignitate commotus, occidit aggressorem: ergo ad maiorem tenetur restitutionem: ergo si hic integrè; alter non integrè tenetur compensare. Et ita sentit Angelus v. *restitutio* 1. §. *homicidia*, & quidam alij. Respondeo negando consequentiam, quia quantitas restitutionis non debet æstimari ex quantitate iniuriæ; sed ex quantitate damni, per iniuriam mortiferam illati. Itaque cum hic interuenerit iniuria, quæ sit peccatum mortale, damnum integrè resarciendum est. Contrarium fit in pœna, quæ respondet iniuriæ, non damno. Vnde vbi fuit maior iniuria, maior quoque est pœna irroganda.

4. TERTIA CONCLVSIO. Qui inuasus abaltero potest fugere, vel aliter declinare, etsi id non faciat, sed debita moderatione se, vel sua defendens, occidat inuasorem, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia non peccauit contra iustitiam, sed contra charitatem: non enim ex iustitia tenebatur fugere, vel à via declinare. Confirmatur, quia nemo ex sua malitia qua vult alterum inuadere, acquirit ius in illum, quo illum obliget ad fugam, ita vt nisi fugiat, vel patiatur se interfici, censeatur ipsi facere iniuriam; sed solum tenetur fugere ex charitate, si sine honoris dispendio possit: Et Ecclesiasticus etiam tenetur lege religionis, ne videlicet non fugiendo aliquid committat, quod sanctitatem status ipsius dedeceat, lege tamen iustitiæ non magis tenetur, quam sæcularis.

5. QVARTA CONCLVSIO. Idem omnino dicendum est de eo, qui alium contumelia, vel alia iniuria afficit, si ab illo inuasus iusta ratione se tuetur; & illum occidat, non tenetur ad restitutionem. Ita *Petr. Nauarr. l. 2. cap. 3. num. 362. contra Nau. c. 15. num. 7.* Ratio est, quia is, qui iniuriam alteri intulit, si armis ab eo inuadatur, potest se cum iusta moderatione tueri: præsertim venia petita, vel satisfactione oblata; quia tunc

alter nullum ius habet eum inuadendi propria authoritate: ergo si eum occidat, non facit in hoc illi iniuriam. Confirmatur, quia inuasor non habet ius iustitiæ in alterum, vt ille se non defendat, vel vt fugam capiat, sed solum vt satisfactionem pro iniuria offerat: ergo si debita moderatione se defendens occidat inuasorem, non facit contra ius ipsius: ergo non peccat cõtra iustitiam.

QVÆST. X. *An quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio?*

1. ROsella v. *Restitutio* 3. & quidam recentiores docent, tum non requiri aliam compensationem, quod etiam videtur sentire Scotus 4. *ad* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *Gabriel ibidem quæst.* 15. *art.* 2. *Angel.* v. *restitutio* 1. §. *Homicida: Et Adrianus quæst. vltima de restitutione.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Verius est in rigore omnia damna ex homicidio secuta ex bonis homicidæ esse resarcienda. Ita Nauarr. *c.* 15. *num.* 25. Couarr. *l.* 2. *Variar. resol. c.* 10. *num.* 7. Gomez. *t.* 3. *c.* 3. *num.* 37. *& alij.* Ratio est, quia pœna infligitur à Iudice, non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria legib. & Reip. illata vindicetur, aliisque terror incutiatur. Vnde etiam ea crimina, quæ nemini damnum inferunt, pœna mortis puniuntur, vt Sodomia, grauis blasphemia, hæresis.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Quamuis hæc sententia in rigore sit vera; tamen contraria est probabilis, cum hac limitatione, vt hæredes homicidæ, quando ipse in corpore plexus fuit, non teneãtur in conscientia quicquam soluere, nisi hæredes occisi id exigant. Nam vsus communiter ita habet, vt pœnæ talionis censeantur acquiescere. Si tamen hæredes occisi exigant aliam compensationem, præter pœnam talionis (quod tamen honesti viri non solent facere) tum hæredes homicidæ videntur teneri, quia damnum iniustè datum non est reparatum per pœnam talionis.

Quæst. II. *An sit aliquid restituendum pro vita, membro, vel cicatrice?*

1. ALiqui putant non solum pro damnis pecuniarijs ex læsione, vel homicidio secutis, restitutionem pecuniariam deberi, sed etiam præcisè pro dãno vitæ, vel membri, vel cicatricis, idque arbitrio boni viri. Ita *Sotus l. 4. quæst. 6. art. 3. ad 3.* Sylvest. v. *restitutio 3. q. 2. & fauet D. Thomæ art. 2. ad 1.* Ratio est, quia qui non potest totum damnum integrè compensare, tenetur eo modo, quo potest iuxta arbitrium prudentum. *Secundo*, quia alio qui sequeretur, teneri quempiam restituere pro vita bouis occisi, & non pro vita hominis: quod tamen videtur absurdum, quia vita hominis est multò præstantior.

2. PRIMA CONCLVSIO. Pro vita serui, vel animalis, debet fieri restitutio pecuniaria. Ratio est, quia illorum vita æstimatur pretio, quod ad æqualitatem rependi potest: ergo pro illa tantum soluendum est, quanti valet. Idem de mutilatione, & cicatrice.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Nihil tamen pro vita, membro, vel cicatrice hominis liberi necessario restituendum est in conscientia. Ita *Nauarr. c. 15. num. 22. Ledesma in 4. dist. 24. quæst. 25. art. 2. dub. 7. Petr. Nauarr. l. 4. c. 1. num. 80. Couarr. l. 2. Variar. resol. c. 10. num. 7. Gomez t. 3. c. 6. num. 12. Et Glossa in c. 1. de iniurijs & damno dato.* Probatur *primo*, ex *L. fin. ff. de his qui effuderint vel deiecerint, & L. ex hac lege ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur.* Nam in his legibus dicitur, liberum corpus nullam recipere æstimationem, ac proinde damna corporis liberi non posse pretio compensari, quia sunt supra omne pretium. Hinc probatur. *Secundo*, quia restitutio, quæ debetur ex iustitia, reparat damnum illatum præcisè ad æqualitatem: ergo vbi damnum natura sua irreparabile est, non debetur restitutio lege iustitiæ.

4. TERTIA CONCLVSIO. Hinc patet *primo*, solum damnum pecuniarium, quod sequitur ex homicidio compensandum esse ex iustitia. Pro damno autem vitæ, & iniuria, solum deberi aliquam satisfactionem. *Secundo.* Patet; si vir nobilis, aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat, nihil esse restituendum, præter expensas in medicum factas. *Tertio.* Patet responsio ad contrariam rationem. Non enim omne damnum ex iustitia compensandum est, vt patet de damno spirituali, quod omnium est maximum, sed id solum, quod natura sua ad æqualitatem compensari potest. Neque mirum est si pro vita animalis fiat restitutio, non autem pro vita hominis liberi. Hæc enim est supra omne pretium pecuniarium: non autem illa.

Quæst. 12. *An sit aliquid restituendum pro expensis funeris?*

CONCLVSIO. Ordinariè nihil pro his expensis est restituendum, quamuis contrarium Nauarr. *c.* 15. *num.* 22. teneat. Ratio, quia si naturali morte obijsset: nihilominus hæ expensæ fieri debuissent. Vnde per occisionem nihil damni ex hac parte illatum est, nisi fortè in acceleratione, eò quod citius isti sūptus fieri debuerūt, quibus adhuc aliquid lucri facere debuisset. Sed hoc sub lucro cessante cōprehenditur: vel nisi extra patriā, aut alieno loco occisus sit, vbi maiores sumptus, quam domi fieri debuerūt, quod pertinet ad damnū emergēs.

Quæst. 13. *An animæ occisi aliquid restituendum sit ex iustitia?*

1. SCotus, Gabriel, Adrianus & Angelus *supra* docent, si homicida subeat pœnam talionis, nihil amplius deberi pro vita occisi. Si non subeat, debere illum satisfacere pro vita illius per eleemosynas, orationes, missas, & similia spiritualia.

2. CONCLVSIO. Probabilius est, non obligari ex iustitia ad hanc restitutionem; quāuis ex charitate, vel

æquitate naturali, possit esse aliqua obligatio. Ita Sotus *l. 4. quæst. 6. art. ad 3. & alij.* Ratio est, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis: ergo non potest ex iustitia deberi pro damno vitæ.

3. DICES. Non debetur pro damno vitæ, sed pro eo, quod alterum priuauit facultate merendi, & satisfaciendi. Respondeo, facultas merendi est irreparabilis, sicut & ipsum meritum amissum est irreparabile. Nam meum meritum non potest alteri donari, ita vt fiat ipsius. *Secundò*, priuatio huius facultatis non potest vllo opere nostro compensari, sicut nec vita.

Quæst. 14. *An tantum vxori & liberis, an etiam alijs restituendum?*

1. MVlti putant non tantum illis, sed & creditoribus, & eis quos occisus alebat, faciendam esse restitutionem, quia per iniuriam impediti sunt. Sed hæc sententia est valdè difficilis in praxi.

2. PRIMA CONCLVSIO. Probabilius est non teneri homicidam creditoribus defuncti. Ita Sotus *quæst. 6. art. 3. ad 4.* Lopez *t. 1. cap. 47. & multi alij.* Ratio est, quia creditor non habet ius in debitorem, nisi quantum extendunt se bona, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter erat habiturus: ergo cum homicida restituit hæredibus ea, quæ ipse putabatur lucraturus, non facit iniuriam creditoribus. Hi enim possunt ab hæredibus petere solutionem.

3. DICES. Homicida tenetur filijs occisi; & hoc ideo, quia parens illis ex iustitia obligabatur: ergo cum etiam ex iustitia obligetur creditori, tenebitur ei homicida. Respondeo negando antecedens. Nam homicida tenetur filijs occisi, quia sunt quasi vna persona cum parente, ita vt censeantur damnum passi in bonis proprijs, quæ per parentem possidebant. Neque verum est parentem ex iustitia debere filijs, cùm solum teneatur lege pietatis.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Etiam probabilius est non teneri illis, quos occisus alebat ex libertate. *Ita Sotus, & Lopez supra.* Ratio, quia interfectus non tenebatur ex iustitia: ergo nec interfector; cùm ipsi non censeantur vna persona cum interfecto.

5. DICES. Qui per vim impedit, ne quis alteri benefaciat, tenetur illi de damno illius commodi sperati: at homicida per vim impedit: ergo. Respondeo. Maior vera est, si eo modo vim adferat, vt censeatur velle nocere alteri: hoc non fit in proposito, quia homicida qui interficit inimicum suum, non intendit damnum aliorum: hoc enim planè per accidens se habet ad mortem alterius.

6. TERTIA CONCLVSIO. Occisor solum videtur obligari parentibus occisi, filijs, & vxori. Ita Sotus *l. 4. quæst. 6. art. 3. ad 3.* Lopez *c. 62.* Bannes *quæst. 62. art. 2. dub. 6. & alij multi.* Ratio est, non quia hæres succedit in iura defuncti (nam habuit ius ad illam restitutionem, cùm obligatio restitutionis primùm orta sit per ipsius mortem) sed quia parens & filius censentur vna persona. Similiter maritus & vxor. Vnde qui interficit Petrum, ille vxori, parentibus, & liberis damnum infert, eosque in re sua lædit. Nam veluti partem quandam abscindit, à qua illis strictissimo nexu proueniebat vtilitas. Itaque si filius interfectus sit, & parens debeat succedere, eo quod interfectus careat prole, ipsi restitutio facienda est. Idem dico de vxore.

7. QVÆRES. Si interfectus non habeat parentem, vxorem, & liberos, sed tantum fratrem, qui illi succedat, an homicida illi teneatur. Respondeo probabile est nihil ei deberi, nisi ratione iuris, quod defunctus ante mortem acquisiuit, quod totum in hæredem etiam extraneum transit. Ratio est, quia nec est hæres necessarius; nec censetur vna persona cum eo, ac proindè

non censetur læsus in re sua.

8. QVARTA CONCLVSIO. Si læsus interfectori omnia remittat, ad nihil tenebitur. Ita *Sotus, & Bannes, & alij supra.* Ratio est, quia filiis non fit iniuria per homicidam in bonis naturæ, nisi quatenus læduntur in parente cõtra ipsius voluntatem: ergo quando parens condonat omne damnum, nullum ius eis remanet: sicut enim per eum acquirunt ius; ita etiam amittunt. Nihilominus non rectè faciet læsus, si cum habeat filios valdè egentes, condonat occisori omnem restitutionem, valebit tamen in conscientia, nisi aliqua lex positiua impediat.

QVÆST. XV. *Ad quid teneatur corruptor virginis?*

8. PRIMA CONCLVSIO. Si promisit illi coniugium, & eâ spe, seu conditione vsuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiam si fictè promisisset. Est communis. Ratio est, quia hæc promissio facta est per modum contractus: ergo cùm ipsa ex parte sua compleuerit contractum, tenetur etiam ipse complere, prout exteriùs iudicio prudentum sonat. Alioquin si tali beneficio vti liceret, infinitæ fraudes in humanis commerciis committerentur. Excipiuntur tamen aliquot casus, quibus non tenebitur eam ducere, sed sufficiet alio modo damnum compensare. *Primo.* Si ipse longè sit nobilior, & opulentior, & hoc ipsa sciuerit. Tunc enim facilè potuit suspicari, ipsum simulatè nuptias promittere, vt eâ frueretur. *Secundo,* si ex aliis cõiecturis facilè deprehendi poterat, ipsum non sincerè agere. *Tertio,* si aliquod impedimentũ legitimum interuenerit, vt si fiat eius affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros ordines suscipiat, si graue aliquod damnũ vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur. In his enim casibus sufficiet damnum sarcire. *Quarto,* si cõingat illã postea cum alio fornicari. *Quarto,* si dixerit se esse virginem, & non fuerit. In his duobus casibus

nec tenetur eam ducere, nec damnum sarcire, quia ab ea deceptus est.

2. Secunda Conclusio. Si non promisit illi matrimonium, distinguendum est. Vel enim puella liberè consensit: vel vi & fraude inducta est. Si consensit, alter ad nihil ei tenebitur, quia volenti non fit iniuria, & illa est domina sui corporis. Si vi & fraude inducta est, alter tenetur vel matrimonio eam sibi coniungere, vel damnum reparare. Ita Nauarr. *c.* 16. *num.* 16. Sylu. v. *Luxuriæ quæst.* 5. Antonin. *p.* 2. *t.* 5. *c.* 6. §. 1. Ratio est quia damnum tunc per iniuriam illatum est: ergo debet rependi. Hoc autem fiet vel matrimonio vel damni æstimatione.

3. Dices *Primo*. Quid si puella vel parens eius nolit admittere matrimonium, an tunc alter tenebitur damnum reparare pecunia? Respondeo affirmatiuè, præsertim cum vi, vel fraude vsus sit.

4. Dices *secundo*. Quid si ipsa velit matrimonium, an tunc alter tenebitur. Respondeo non tenebitur ante sententiam, sed sufficiet in foro conscientiæ damni illati compensationem præstare.

5. Dices *Tertio*. Quid si puella nullum damnum passa sit (quod fieri potest, si postea æquè commodis nuptiis potiatur) an tunc alter tenebitur? Respondeo. Non tenebitur, vt docet Nauarr. *c.* 16. *num.* 17. 19. *& multi recentiores*. Ratio est, quia neque pro ablata pudicitia, vtpotè quæ irreparabilis est, & pretio non est æstimanda: neque pro damno secuto, cùm nullum reipsa secutum sit.

6. Dices *Quarto*. Fuit periculum damni, quod pretio potest æstimari. Respondeo periculum non obligat ad restitutionem, nisi damnum reipsa sequatur.

QVÆST. XVI. *Ad quid teneatur adulter?*

1. POtest *primo* spectari iniuria, quam adulter facit marito adulteræ. *Secundo*, damnum, quod illi infert, quando ex adulterio nascitur proles, quæ debet educari.

2. PRIMA CONCLVSIO. Pro sola iniuria, si nullum damnum secutum sit, non tenetur adulter quicquam restituere marito adulteræ; quia iniuriæ ab omni damno separatæ non debetur ex iustitia, nisi satisfactio per signa doloris, veniæ petitionem, & similia, quæ tamen locum non habet, quando iniuria ignoratur. Vnde nisi maritus rescisca, non tenetur adulter ad talem satisfactionem: hæc enim satisfactio non fit, nisi ad placandum animum læsi. At quando læsus ignorat se læsum esse, non necesse habet placari.

3. DICES. Quid si maritus sciat se læsum, & non velit esse contentus tali satisfactione, sed exigat satisfactionem pecuniariam. Respondeo, alter non tenetur eam præstare. *Primo*, quia non intulit damnum pecuniarium, ac proinde priuata authoritate non potest ab eo exigi satisfactio pecuniaria. *Secundo*, quia hæc transactio pro iniuria adulterij iure est interdicta, vt patet L. Transigere C. *de transact. & L. Miles ff. ad legem Iuliam*, de adulteriis. Ratio prohibitionis est, ne maritus videatur suæ vxoris lenocinium facere, & eius corpus ad quæstum tanquam leno prostituere. Si tamen maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, non videretur peccare, nec ad restitutionem teneri, quia leges illæ magis pertinent ad Iudices, ne concedatur actio ob præsumptionem lenocinij, quam ad priuatos.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Si proles secuta sit ex adulterio, adulter non tenetur ad vllam damni compensationem, nisi ei moraliter certum sit esse suam prolem. Non est autem moraliter certum, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario.

Est communior. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo si adulter probabiliter dubitat, an proles sit ipsius, non tenetur se spoliare suis pecuniis, quas possidet ad alendam prolem.

5. TERTIA CONCLVSIO. Si adulter vllo modo suasit, vel procurauit, vt adultera prolem susceptam marito supponeret, & fingeret esse eius prolem, tenetur de damno secuto, nempe de alimentis. & hæreditate, vnà cum adultera. Ratio est, quia vterque est causa totius damni. Nota vtrumque teneri pro rata æquè primo: Adulterum, quia vtriusque nomine suasit: adulteram, quia vtriusque nomine fecit. Quando enim consilium est in commodum consultoris, ipse tenetur primo loco, executor solum in defectum: si tamen est in commodum executoris, executor tenetur primo, consultor solum secundariò in defectum: si in commodum vtriusque, vterque tenetur æquè primò pro rata, in solidum vero ex defectu alterutrius.

4. QVARTA CONCLVSIO. Si adulter agnoscat esse suam prolem, vel certè nullam habeat rationem iustam dubitandi, tenetur restituere saltem ea, quæ sunt impensa in alimenta prolis ab anno 3. ætatis, & deinceps quamdiu parens tenetur alere filium, quamuis non suaserit suppositionem. Est communis contra Sotum *l. 4. quæst. 7. art. 2.* Ratio est, quia pater à tertio anno tenetur filium alere, & deinceps; donec sibi de alimentis prouidere possit: à partu autem vsque ad annum tertium inclusiuè tenetur mater. Colligitur ex c. 2. *de conuersione infidelium*, & probat ibid. Glossa, & ex lege, *Nec filium C. de patria potestate.*

7. QVÆRES. An adulter, si agnoscat esse suam prolem, non solum teneatur restituere ea, quæ iam dicta sunt, sed etiam teneatur sarcire damnum legitimis filiis, ex illegitimi successione proueniens. *Dom. Sot. supra Henriq. l. 1. de matrimonio c. 21.* putant non teneri, mo-

do non fuerit author suppositionis. Probatur *primo*, quia non est verè causa huius damni. Nam neque illud intendit, neque sua actione attingit, sed ex aliena actione prouenit, nempe ex matris suppositione & fictione, cuius adulter non est author nec consultor, vt supponimus. *Secundo*, si adultera procuraret sibi abortionem, non censeretur adulter causa homicidij, nisi fortè suasisset aut adiuuisset: ergo similiter non censebitur causa suppositionis, & consequenter neque damni ex suppositione secuti, quia neutrum suasit aut consuluit. Contraria tamen sententia magis placet. *Primò*, quia est communis à qua in re tanti momenti non est facile recedendum. *Secundo*, quia non expedit in tam nefario crimine fauere adulteris. *Tertiò*, quia etiamsi adulter non suasit suppositionem, tamen est causa, cur nothus ille credatur esse legitimus filius matiti, idque per iniuriam, videlicet commercio cum vxore aliena. Vnde cum ex iniurioso facto ipsius sequatur hæc falsa credulitas, censetur etiam causa damni, quod ex illa credulitate nascitur. Neque dici potest hoc damnum inde sequi per accidens, quia sicut ille error vt plurimum sequitur ex tali facto iniquo, ita ex errore damnum, idque facile erat præuidere. Hinc soluenda sunt argumenta contraria.

Quæst. 17. *Ad quid teneatur adultera, si partus secutus sit?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Tenetur, quantū fieri potest, sine famæ dispendio, & vitæ periculo procurare, ne legitimi hæredes ratione huius illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant. Est communis. Vnde si habet parapherna, teneatur ea relinquere legitimis in compensationem. Similiter si quid ex labore capiat lucri, ad quod ei etiam diligentia præstanda est, debet etiam solitos sumptus imminuere, quantum commodè potest spectata conditione status, valetudinis, & similium circumstantiarum. Quod si hiscemodis

non potest satisfacere, tenetur eum inducere ad capessendam Religionem, si ad eam videatur idoneus. Ratio, quia omnibus modis debet cauere damnum hæredibus.

2. Secvnda Conclvsio. Si hisce modis plenè potest damnum compensare, non tenetur ad aliud, sed potest permittere, vt illegitimus succedat. Ratio est, quia nullum tunc sequitur damnum legitimis hæredibus.

3. Dices. Illegitimus per ciuiles leges est incapax hæreditariæ successionis. Respond. non est incapax, quando eo nomine illa portio cæteris est compensata, & res omnino est occulta. *Secundo*, etiamsi sit incapax, tamen potest permitti vt succedat, ne mater infametur, præsertim, quando alij filij non sentiunt inde damnum.

4. Tertia Conclvsio. Etiamsi nullo modo possit mater compensare damnum, non tenetur tamen prodere suum crimen marito aut proli, nisi moraliter certa sit damni auertendi. *Est communis contra Andr. & Palud.* Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo quamdiu mater prudenter dubitat, an profutura sit reuelatio, non tenetur occultum crimen pandendo famam suam prodigere. Imo esset magnæ imprudentiæ id facere, tum quia redderet se infamem & exosam apud filium: tum quia filius non tenetur illi credere in tali casu, vt fatentur omnes canonistæ in c. *per tuas*, de probationibus, & Iurisperiti in L. *si posthumus*, ff. *de liberis & posthumis*. Ratio est, quia alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides, *vt dicitur in reg. iuris*. Quod intellige cum alterius præiudicio.

5. Qvarta Conclvsio. Quãuis certa spes esset per reuelationem criminis damna hæredum cauerí posse: non tamen tenetur adultera crimen suum patefacere, si inde periculum vitæ, vel infamiæ sub im-

pendere putaret. Prima pars de periculo vitæ est communis sententia. Ratio est, quia vita nullo pretio est æstimabilis: ergo propter restitutionem rei pecuniariæ non tenetur quis vitam prodigere, aut periculo exponere. Secunda pars de periculo famæ est *Scoti in 4. d. 15. q. 2. Gabr. ibid. Caiet. q. 62. a. 6. Nau. c. 16. n. 44. & c. 17. nu. 89. Cou. in reg. Peccatum, 1. p. n. 7. Panorm. Innoc. & aliorum Canonist.* in c. *officij, de pœn. & remiss.* Ratio est, quia fama est res superioris ordinis, quæ iuxta regulam Caiet. & Nauarr. nunquam est necessariò exponenda pro rebus inferioris conditionis.

## DE RESTITVTIONE FAMÆ ET Honoris.

Quæst. 18. *An fama cum periculo vitæ sit restituenda?*

1. DOminicus Sotus *l. 4. q. 6. a. 3 & quidam alij* affirmant, si fama sit illustris familiæ.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quando ex infamia quam intulisti, non euenit alteri damnum in bonis ordinis superioris, nempe in spiritualibus, aut in vita corporali, non teneris cum periculo vitæ famam restituere. Ita *Caiet. q. 62. a. 3. & opus. 31. ref. 14.* vbi generatim docet rem inferioris ordinis nunquam esse restituendam ex iustitia cum iactura rei superioris, quam regulam optimè defendit *Petr. Nauar. l. 2. c. 4. n. 405. Nauar. c. 17. n. 89. 90. 91. & c. 18. num. 47. Cordub. l. 1. q. 31. Sylu. v. Detractio*, q. 4. casu. 2. Probatur *primò*, quia nullum temporale bonum, siue pecunia, siue fama, siue vita, restituendum est, vel exponendum, cum damno boni spiritualis, idque proterea, quia bonum spirituale est superioris ordinis, nec æstimabile bono inferiori: ergo similiter fama non est restituenda cum periculo vitę; cum vita sit bonum præstantius. *Secundo.* Nemo tenetur sarcire damnum pecuniarium cum periculo libertatis, seipsum vendendo, aut tradendo in seruitutem,

vt passim omnes docent, idque propterea, quia liberalitas est superioris ordinis: ergo similiter. *Tertio*, quia iustitia commutatiua solum requirit vt restituas ad æqualitatem, quod abstulisti: ergo non teneris ex iustitia id facere cum iactura boni superioris.

3. DICES. Res inferioris ordinis potest sumi tanta quantitate, vt prudenti iudicio præponderet rei superiori v.g. tanta potest assignari vis pecuniæ, vt præstantior censeatur quam fama, & tam illustris potest esse fama, vt præstantior habeatur quam vita: ergo tunc debet fieri restitutio, etiam cum damno boni superioris. Confirmatur, quia qui latrocinio amplum statum sibi acquisiuit, tenetur facere restitutionem etiam cũ amissione illius status & honoris: ergo. Respond. Etsi fieri possit vt prudenter præferas ingentem pecuniæ tuæ summam famæ, vel vitæ alterius conseruandæ, non tamen prudenter eam præferes famæ aut vitæ tuę: nemo enim prudenter pro quantauis magna fama eliget mori, vel pro maxima vi pecuniæ suscipiet infamiam, iuxta illud Eccles. 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam omnes thesauri pretiosi & magni.* Itaque propria vita & fama non possunt pecunia æstimari. Ad confirmationem Respond. Qui furtis honorificum sibi statum parauit, non habet ius ad illum statum, cum per iniuriam eum obtineat. Vnde non est mirum, si teneatur restitutionem facere, cum amissione illius status, & famæ, quę ex illo præcisè orta est. Adde amissione status non amitti famam, potest enim status sine culpa amitti.

4. QVÆRES. An saltem liceat vitam pro fama restituenda exponere. Resp. ita, non quod fama pluris æstimetur quam vita, sed quod pro virtute licitum sit vitam periclitari.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Si ex infamia periculum vitæ vni, vel pluribus impendeat, vel mala Reip. ad-

ministratio, vel aliud grande malum, teneris etiam cum periculo vitæ reparare. Est communis sententia, quia tunc obligaris non solum ratione infamiæ, sed etiam ratione damni, quod ex ea sequitur, quod contingere potest in infamia Principis, Prælati, Religiosi ordinis, & similium.

QVÆST. XIX. *An si fama restitui nequeat, debeas pecunia compensari.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Probabilius est iustitiam minimè postulare, vt infamia compensetur pecunia, si reuocatione dictorum tolli nequit. *Ita Sylu. supra, Pet. Nau. num. 417. & quidam alij.* Ratio est, quia iustitia commutatiua tantum postulat vt restituatur quod ablatum est, vel quod communi hominum æstimatione est æquiualens. Quod si neutrum fieri possit, cessat eius obligatio. Vnde qui damnum pecuniarium non potest sarcire pecunia, nõ tenetur illud compensare orationibus, aut honore deferendo. Item qui vi vel fraude aliquem pertraxit in peccatum, non tenetur ipsi aut hæredibus pecuniam rependere.

2. DICES. Pecunia est mensura omnium rerum humanarum: ergo in pecunia potest dari æquiualens. Deinde etiamsi non detur æquiualens, tamen debet dari opera, vt quam proximè ad hoc accedat, sicut is qui intulit damnum 1000. florenorum, si non potest reddere æquiualens, tenetur tamen dare, quantum potest, vt quam proximè accedat ad illam summam. Respond. Pecunia secundum communem vsum hominum non est mensura, nisi rerum venalium, quas homines solent pecuniâ commutare: fama autem neque natura sua, neque gentium consuetudine solet æstimari pecuniâ, iuxta illud Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Quamuis interdum ex quorundam animi vilitate accidat, vt famam pretio exponant, sed hoc æstimationi famæ non officit. Ad confir-

mationem Resp. qui damnum 1000. florenorum irrogauit, tenetur vel tantum damnum sarcire ex æquo, si potest: vel si non potest, tenetur partem ex æquo. Quod si nec totum nec partem, cessat obligatio iustitiæ commutatiuæ. In nostro autem casu nec tota fama, nec pars pretio æstimatur ex æquo. Confirmatur, quia alioqui infamator posset eam pecunia compensare, etiam nolente infamato: sufficit enim id restituere, quod æstimatione æquale est.

3. Secvnda Conclvsio. Si infamator per Iudicem compellatur ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo, quem infamauit certa pecuniæ summa, tenetur eam ex iustitia numerare. Prima pars patet, quia suppositâ tali iniuriâ potest Iudex in pœnam criminis talem satisfactionem imponere, & ille ex iustitia tenetur eam exequi, quia iustæ sententiæ tenetur ex iustitia parere. Idem posset Iudex, etiam si fama iam esset recuperata; quia potest iustam pœnam decernere pro delicto, etiam post damna sarta. Secunda pars probatur, quia pacta & consuetudines iustæ obligant. Atqui hoc pactum potest esse iustum, quia infamatus habet ius accusandi infamatorem, & etiam exigendi restitutionem, quando erit possibilis: ergo vt hoc iure cedat, & omne debitum condonet, potest certâ pecunia pacisci.

QVÆST. XX. *An infamator teneatur famam restituere, si iam aliundè sit restituta?*

1. Potest fieri, vt quis sit iniustè infamatus, & postea proborum virorum grauiumque testimonio, vel vitæ probitate, penitus absterserit infamiam. Quæritur, an in tali casu infamator teneatur restituere.

2. Prima Conclvsio. Tum non tenetur ad famæ restitutionem, quia iam restituta est; sicut fur non tenetur ad restitutionem equi, quem tibi abstulit, si iam aliunde tuum equum recepisti, quia non potes bis eandem rem recipere.

3. Secvnda

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si tamen inter ea ratione infamiæ aliquid damni accepisset, vt si v. g. impeditus fuisset à consecutione beneficij, officij, vel legati, infamator teneretur ad illius cõpensationẽ; quia hoc damnũ ex iusta ipsius infamatione alteri obuenit.

Quæst. 21. *Quomodo fama sit restituenda?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si crimen falsum sparsisti, debes adhibere omnem industriam, vt illa falsa opinio animis hominum eximatur. Vnde teneris illis significare te deceptum fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, prout videris opus esse vt credãt, adhibito etiam iuramento, si aliter non putent creditu-ri, & rei grauitas postulet. Ratio est, quia iustitia obligat vt efficaciter reuoces.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si occultum alterius crimen manifestasti, poteris trib⁹ modis famam restituere. *Primo*, si dicas te quidem tale quid narrasse; sed in eo fuisse mentitum, aut dixisse falsum. *Secundò*, si dicas te male, vel inique locutum esse de proximo, & roges, vt talem opinionem deponant. *Tertio*, si laudes infamatum, & honorifice de eo loquaris, vbi datur occasio, sic enim sensim ex vna parte tantumdem famam illustrabis, quantum exaltera obscurasti.

3. QVÆRES. An omnes hi modi sint liciti & necessarij. Resp. Omnes liciti sunt, sed non omnes necessarij; sufficit vnus ex omnibus qui maxime placebit.

4. DICES. Primus non esset licitus, quia continet mendacium: si enim alter reuera commisit crimẽ, & tu publicè dicas eum id cõmisisse, certum est te non mentiri: ergo non potes postea dicere te fuisse mentitum, quia hoc ipsum esset mentiri. Resp. Multi ita sentiunt: alij tamen vtuntur distinctione: Nam dictum illud quo alterius occultum crimen manifestasti: dicendo v. g. illum esse adulterũ, potest vno sensu esse verum: altero falsum. Verum est, quia conforme est rei. Nam alter

verè cõmisit adulterium, quod eum cõmisisse dixisti. Falsum est dupliciter. *Primo*, quia non est conforme legi diuinæ, est enim contra legem Dei, occultũ alterius crimen patefacere, seu illum infamare, ac proinde est peccatum: omne autem peccatũ in scripturis vocatur mendacium & falsitas, sicut omne opus bonũ vocatur veritas, quia scilicet est conforme legi diuinæ. *Secundo*, quia non fuit verum veritate publica, licet veritate occulta verum fuit. Hoc modo reus, cuius crimen est occultum, potest negare, se fecisse, quia non fecit publicè, vel ita, vt teneatur publicè fateri. Similiter Iudex publicè aliquem condemnãs ex allegatis & probatis contra suam priuatã sententiam pronunciat illum reum & criminosum, quia secundum publicam probationem talis est. Pari modo, qui alterius crimen occultum manifestauit, potest dicere se dixisse falsum vel mendaciũ, quia non est verum secundum publicam scientiam, vt docet *Pet. Nau. l.2.c.4.n.381.*

Quæst. 22. *An totum damnum quod sequitur ex infamia sit compensandum.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Damnum, quod sequitur ex infamia falsa est integrè compensandum. Est communis. Ratio est, quia omne damnum, quod alicui sequitur ex actione in ipsum iniurioſa restituendum est. Sed impositio falsi criminis est actio plenè iniurioſa, quia continet duplicem iniuriam. *Primo*, calumniam; eo quod crimen impingatur innocenti. *Secundo*, infamationem, quod hoc alijs persuadeatur.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Damnum quod sequitur ex patefactione veri criminis est etiã integrè restituendum. Est contra *Sotum l.4.q.6.a.3.ad 4.* qui putat non esse integrè compensandum, sed tantum ex parte iuxta arbitrium prudentis viri. Ratio eius est, quia si ille priuetur officio, vel impediatur ab eo consequẽdo,

id nõ tam prouenit ob criminis manifestationem, quæ est iniuriosa, quam ob ipsum crimen quod verè commissum est. Nam manifestatio est tantum conditio quædam applicans, & adducens crimen occultum tanquam causam principalem in cognitionem. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim cum multi recentiores eam sequantur: contraria tamen est probabilior, quam sequitur *Nau. cap.* 18. *num.* 45. *& alij passim*, nempe eum, qui patefacto crimine occulto fuit alteri causa damni, teneri ad integram restitutionem, sicut qui imposuit falsũ. Ratio est, quia moraliter est principalis causa damni illius: sicut is, qui ignem occultum cineribus detegit, & applicat stramínibus, vnde vento flante accenditur domus: Deinde ipsum crimen non potest esse causa damni, nisi accedẽte cognitione, vnde quamdiu manet occultum, non potest infere dãnum; & ita se habet, ac si nõ esset: ergo qui illud manifestat, tribuit illi quasi vim nocendi, ac proinde censetur principalis causa damni secuti.

Quæst. 25. *An hæredes infamatoris teneantur ad restitutionem, si ipse non restituit.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Hæredes loco defuncti non tenentur ad famæ restitutionem. Ratio est, quia hæc obligatio est merè personalis. Vnde sicut obligatio voti personalis non trãsit ad hæredes; ita nec illa. Confirmatur, quia nullo modo afficit vel respicit bona, in quibus ipsi succedunt, sed nudam personam.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Tenentur tamen ad reparationem dãnorum, quæ ex illa infamia secuta sunt. *Ita Nau. c.* 18. *n.* 45. *Et Adria. quodl.* 11. Ratio est, quia hæc obligatio non est personalis solum, sed afficit quodammodo bona infamatoris. Vnde cum illa affectione seu obligatione prouenium ad hæredes; sicut si defunctus domum alterius per iniuriam incendisset, hæredes tenerentur dãnum ex bonis illius rependere.

Quæst. 24. *An teneatur ad restitutionem famæ, quibus bona fide putans esse verum & publicum, narrauit & infamauit proximum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui hoc modo proximum infamauit apud Superiorem, vel alium, etiam si fraternæ correptionis causa id fecerit, simul atque cognouerit errorem, tenetur ad restitutionē. Ratio est, quia qui detinet alienum inuito Domino tenetur restituere, simul atque cognouerit alienum esse. Sed hic detinet quodammodo alienam famam, dum in mente alterius prauam opinionem bona exclusa relinquit: ergo simul atque cognoscit se deceptum esse, tenetur eam restituere.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Non tenetur eam restituere cum graui suo incommodo, vt cum propria infamia, vel magno damno fortunarū. Ratio est, quia sine culpa eam abstulit. Vbi nota differentiam inter eum, qui infamauit alterum cum culpa iniustitiæ, & eum qui sine culpa. Nam ille tenetur famam restituere etiam cum detrimento famæ suæ, sicut qui iniustè damnum intulit, tenetur etiam cum æquali dāno suo sarcire. Hic vero non tenetur cum notabili damno.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si is qui ita infamatus est, sine culpa infamatoris interim aliquid damni patiatur, nō tenetur alter ad restitutionem. Ratio est, quia non censetur eius damni causa iniusta, cum nō sit causa iniusta infamiæ ex qua dānum ortum est. Quod intellige antequam rescindat errorem: si enim postquā eum deprehenderit, fuerit in mora faciendę restitutionis, & interea damnum eueniat, tenebitur, quia ex iniqua detentione famæ sequitur damnum.

Quæst. 25. *An Prælatus non impediens infamatorem teneatur restituere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Prælatus, seu superior non impediens externum, à quo videt infamari

suum subditum, non tenetur saltem ratione famæ suo subdito ad restitutionem. Ita *Scotus l. 5. q. 10. a. 4.* Ratio est, quia ex officio non suscepit defendendam subditi famam, sed salutem procurandam. Dixi non teneri saltem ratione ipsius famæ, quia tenetur aliquando ratione salutis spiritualis subditi, nempe quando bona fama putaretur necessaria, ne subditus malè viuat. Multi enim amissa fama fiunt impudentes ad peccandum, quia fama erat illis quasi frænum honestatis. Itaque cum superior ex officio teneatur impedire ea, quæ subditorum saluti aduersantur, tenebitur etiam impedire infamiam subditorum in tali casu.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Prælatus non impediens subditum externo detrahentem, cum facilè potest, tenetur ad restitutionem famæ, nisi subditus restituat. Ratio est, quia ex officio incumbit illi coërcere & impedire suum subditum, ne alteri iniustè noceat: ergo si non impedit cum facilè potest, censetur causa damni. Sicut si Prætor non impedit furta & latrocinia in ciuitate, tenetur ad restitutionem.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si tamen subditus in absentia superioris famam alterius violauerit, non tenetur superior eam restituere, subdito non restituēte, tenetur tamen compellere subditum, vt restituat, quantum in se est. Primum patet, quia non censetur tunc causa damni, cum absens non potuerit impedire. Secundum patet, quia superior ex officio tenetur compellere subditū, ne persistat in iniuria alteri inferenda.

Quæst. 16. *An restitutio famæ possit condonari?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Homo priuatus potest condonare hanc restitutionem, exceptis duobus casibus. *Primo*, nisi sit infamatus de crimine ex quo timeretur scandalum, vt v. g. de hæresi. *Secundo*, nisi eius infamia redundaret in familiam: tunc enim eam condonare esset contra charitatem: cōdonatio tamen esset

valida. Hoc intellige, si non alia ratione redundat in familiam, quam quod ille infamis homo dicatur illius familiæ esse, vel illorum frater, aut cognatus.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui habet publicum officium, non potest condonare restitutionem famæ, si fama videatur illi necessaria ad rectam officij administrationem, exceptis duobus casibus. *Primo*, nisi possit & velit officium deponere. *Secundo*, nisi humilitate, & aliis virtutibus compenset iacturam famæ.

3. QVÆRES. Quid si neutrum faciat, id est, neque officium deponat, neque aliter suæ auctoritati consulat, an tunc condonatio sit valida, si reipsa condoner. Affirmat. *Sot. l. 4. q. 6. a. 3. ad 4.* quia ipse est verè Dominus suæ famæ: non autem subditi, neque per hanc condonationem facit iniuriam subditis (nisi fortè infamia in ipsos redundaret) quia subditi non habent ius vt ipse suam famam conseruet, nisi suppositio quod velit manere superior, & nolit alio modo eam recuperare, quorum vtrumque est in ipsius potestate. Vnde non tam condonando restitutionem, quam volendo cum infamia illa permanere in officio, iniuriam illis facit.

4. TERTIA CONCLVSIO. Quando infamia alicuius redundat in alios, ita vt ipsi inde maneant infamati, vel suspecti: tunc non potest condonare, neque condonatio valet. Talis est infamia Religiosi, quæ redundat in monasterium. Valde enim læditur bonum nomen monasterij quando dicitur habere sceleratum. Nam totam familia redditur plebi suspecta.

5. DICES. Religiosus est Dominus suæ famæ: ergo potest illius restitutionem condonare. Antecedens patet, quia per votum paupertati s non renunciat famæ. Respondeo. Etsi sit Dominus suæ famæ, non tamen est Dominus famæ totius monasterij quæ per ipsius infamiam violatur. Quod dixi de infamia Religiosi, dicendum quoque est de infamia parentis, quæ etiam redun-

dat in filio: præsertim, si oriatur ex hæresi, proditione, aut simili flagitio.

Quæst. 27. *An in restitutione famæ possit fieri compensatio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Non potest ita fieri compensatio infamiæ, vt si alius te infamarit, tu vicissim possis illum infamare. Ratio est, quia hæc esset manifesta vindicta, quã nemo priuata authoritate potest facere. Nam reddere malum pro malo, vt fiat æqualitas, solius est publicæ potestatis.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si quis te infamet, nec tu possis infamiam alia ratione auertere, potes aliquos defectus ipsi occultos aperire, ne ipsi fides adhibeatur, v.g. potes dicere, non esse illi credendũ, eo quod alias in mendacio, vel periurio sit deprehensus. Ita *Sot. supra, & alij passim.* Ratio est, quia quisque habet ius defendendi vitam & famam cum iusta moderatione: ergo si infamiam, quã alter per iniuriam tibi irrogare nititur, non potes aliter prohibere, nisi criminibus eius patefactis, potes ea patefacere.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si tu alium iniustè infamasti, qui te ante infamauerat, non teneris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit, sed potes vti compensatione, seruata tamen æqualitate quantũ fieri potest. Ita *Adrian. in 4. quæst. penult. de restitutione. Sotus supra, Iosephus Angles in 4. de restitutione famæ dub. 3. Tol. lib. 5. cap. 70. & alij contra Nauarr. & Cajet.* Ratio est, quia in rebus temporalibus, quando iura sunt paria, si alter non vult tibi seruare ius, & soluere debitum, nec tu teneris ei seruare & satisfacere, vt patet in debitis pecuniariis. Atqui fama est bonum temporale cuius sumus Domini: ergo est par ratio. Idem videtur dicendum, quãuis iura non sint paria, si infamia quam intulisti non possit per partes restitui: vt si illum de grauiori crimine infamasti, quam ille te: tũc enim famam ipsius poteris detinere instar pignoris, vt eum ad restitutionẽ

compellas, & ipse sibi imputet, quod non restituas, sicut si habeas annulum aureũ ab eo, qui tibi debet florenum, potes retinere instar pignoris, vt eum cogas ad solutionem.

4. Obijcit Nauarrus, Damnum famæ à te illatum non tollitur per reciprocum damnum, sicut debitum pecuniarium vnius tollitur per debitũ reciprocum alterius: ergo non est par ratio. Resp. Aliud est damnum famæ: aliud est debitum resarciendi damnum: quamuis ergo damnum à te illatum non tollatur per infamiam tibi viciſſim illatam; tollitur tamen debitum sarciendi illius damni, si alter sarcire nolit, quod à se illatum est. Quod etiam fit in damnis fortunarũ: si enim tu incendisti ædes Petri, & Petrus viciſſim tuas, non tollitur per hoc damnum à te illatum Petro, sed tollitur debitum satisfaciendi Petro propter compensationem.

Quæst. 28. *Quænam excusent famæ restitutionem?*

CONCLVSIO. Multa sunt, quæ excusant. *Primo*, iusta condonatio, id est, quæ ab eo facta est, cuius infamia non redundat in alios. *Secundo*, iusta compensatio; vt si ab eo, quem infamasti, pari modo sis infamatus. *Tertio*, si fama alio modo iam sit recuperata. *Quarto*, si infamia prudenter æstimatur abijsse in oblivionem. *Quinto*, si crimen occultum quod aliquibus dixisti, alia ratione fiat publicum. *Sexto*, si restitutio sit impossibilis. *Septimo*, si non possit fieri sine periculo vitæ. *Octauo*, si non possit fieri sine amissione famæ, quæ sit longè maioris momenti. *Nono*, si bona fide narrasti putans verum & publicum esse, nec possis sine damno tuæ famæ restituere. *Decimo*, si reuera nulla fuit infamia secuta, quod potest fieri dupliciter. *Primo*, si infamator sit nullius fidei cui non creditur. *Secundo*, si alter iam fuerit alijs modis infamatus; ita vt non sit noua quasi infamia.

Quæst. 29. *An honor sit restituendus, & quomodo?*

PRIMA CONCLVSIO. Qui iniustè alterius honorem læsit (quod fit contumelijs, irrisione, alapa inflicta, & similibus modis) tenetur ad satisfactionem seu restitutionem, siue id publicè fecerit coram alijs, siue priuatim coram illo solo. Est communis. Ratio est, quia fecit veram iniuriam contra iustitiam commutatiuam.

2. DICES. Alter nullum accepit damnum ex priuata contumelia: ergo nihil est restituendum. Respondeo, Esto, non acceperit damnum, tamen illata est illi iniuria, vnde teneris saltem ad satisfactionem, si hoc nolis vocare restitutionem.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Varijs modis potest honor restitui. *Primo*, amicè & honorificè salutando, aut cõpellando. *Secundo*, adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinãdo. *Tertio*, petendo veniam. Primus modus sufficit superioribus erga inferiores, & viris nobilibus erga plebeios. Secundus etiam aliquando sufficit inter eos, qui sunt paris conditionis. Tertio debent vti inferiores erga superiores; & sæpe etiam æquales inter se. Nam si læsus hanc satisfactionem iustè exigat; nec aliam velit admittere, tenebitur alter veniam petere, si sit inferior, vel æqualis. Nam superiores ad hoc non tenentur, *vt docet Aug. in sua regula de superioribus.*

4. QVÆRES. An etiam subditi teneantur ad restitutionem, quando omittunt præstare honorem debitum suis superioribus. Respondeo sola omissione non tenentur, quia illa non est contra iustitiam commutatiuam, sed contra virtutem obseruantiæ: tenentur tamen quando omissioni coniuncta est contumelia interpretatiua; vt si alijs honorantibus Superiorem prætereuntem, tu illum sine vllo honoris signo impudenter aspicias.

## DE RESTITVTIONE BONORVM FORTVNÆ.

ADhuc ago de restitutione ratione iniustæ acceptionis. Nam postea est agendum de restitutione ratione rei acceptæ, & ratione contractus.

Quæst. 30. *An si res furtiua pereat, fur teneatur ad restitutionem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si res furtiua casu, vel iusta hostium incursione pereat apud furem, & non putetur peritura fuisse similiter apud Dominum, tum fur tenetur ad restitutionem. Ita *D. Thom. art. 6. Couarr. ad Reg. Peccatum, p. 2. §. 6. num. 1. & alij passim.* Ratio est, quia qui eam iniustè accepit, non solum obligatur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis: ergo siue res extet, siue non, tenetur sarcire damnum. Sequela patet; quia iniusta acceptione est causa interitus rei. Nam res apud Dominum non fuisset peritura, si non accepisset ipse, vt supponimus.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si res casu, vel iusta hostium incursione certo erat peritura apud Dominũ, non tenetur fur ad eius restitutionem, si apud eum similiter periit. Ita *Couarr. loco cit. Ioã. Medina C. de restitut. quæst. 6. concl. 6.* Sylu. v. *restitutio 7. quæst. 5. Petr. Nauarr. lib. 4. cap. 1. num. 17. & Nauarr. cap. 17. n. 8.* quanquam Palud. & nonnulli Iurisperiti contrariũ sentiant. Dixi *casu, vel iusta hostium incursione*; quia si non erat peritura, nisi per iniuriam apud Dominum, fur tenebitur. Nam qui eam sic abstulisset, vel destruxisset, teneretur: ergo etiam fur, qui illum præuenit, tenetur. Nunc probatur conclusio. *Primo*, quia si res certò erat apud Dominum peritura, ita vt nihil iuris, vel commodi indè ad eum rediturum esset: nihil quoque noui detrimenti est illi illatum, dum apud te perijt: ergo nihil est ei compensandum pro re illa. Antecedens patet, quia illud detrimentum iam erat præparatum in causa, vt non posset impediri à Domino, ac proindè secũdum

moralem æstimationem perindè se habebat, ac si iam illatum esset: ergo non censetur ille fur nouum damnum intulisse. Patet in exemplo: Abstulisti vestes, frumentum, aut pecuniam ex domo alterius, quæ paulo post incēdio, vel hostili incursione peritura erant apud Dominum. Item incendisti segetes, quas inundatio statim erat euersura. *Secundo*, probatur, quia fur neque est causa damni ratione interitus rei, cùm ad hunc non cooperetur, vt suppono; neque ratione iniquæ accetionis, cùm similiter interitura fuerit apud Dominum, etiamsi non fuisset accepta. Quid enim potest Dominus queri de damno per acceptionem illato, cùm res illa etiam non accepta fuit peritura? *Tertio*, probatur ex *L. si plures. ff. depositi vel contra*, & ex *L. final. ff. de lege Rhodia*, de Iactu.

5. TERTIA CONCLVSIO. Est etiam probabile, furem non teneri ad restitutionem, etiamsi culpa illius res talis perierit, v. g. si eam negligentia perdiderit, vel etiam vastarit, vel consumpserit; modò eam peremerit eo loco, quo alioquin peritura erat, & intra illud tempus, quo apud dominum periisset. Ratio est, quia illa res in eo statu considerata Domino nullius est pretij. Nam eo loco certo est peritura absque vllo Domini commodo: ergo etiamsi fur illam perimat, non censetur irrogare damnum vllius momenti; vt si incendas segetem, quam vides mox eluuione euertendā, vel si absumas annonā, quæ proiicienda est in mare, vel si interficias equum, quem iustus hostis erat abducturus. Quamuis enim in his, & similibus casibus rem perimas, vel consumas, vel alienes, non tamen censeberis notabile damnum inferre, ac proindè non teneberis ad restitutionem. Ob eandem rationem, si occidas eum qui certissimè paulo post morituras erat, vel vi morbi, vel iusta sententia magistratus, etsi grauiter pecces, non tamen teneris damni secuti.

4. DICES. Si res mea, quam tradidi depositario custodiendam, pereat culpa depositarij, tenetur ipse ad restitutionem, quãuis apud me peritura fuisset. Atqui fur non minus tenetur eam custodire, quam depositarius: ergo nec minus tenetur restituere. Respondeo depositarius aliquando magis tenetur ad custodiam, quã fur. Nam si aliquo modo verisimile est rem posse saluari si abscõdatur, vel aliò transferatur; tunc depositarius ex iustitia tenetur id facere, quia pretio ad hoc conducitur, vt omni ratione possibili rem saluam præstet, si tamen constet interitum rei caueri non potuisse nõ tenebitur, etiamsi negligens in ea custodienda fuerit, vel eam consumpserit: fur verò non tenetur ex iustitia eam aliò transferre, si videt eam apud Dominũ, & eo loco, vbi nũc est, perituram esse. Vnde etiamsi eã tunc consumat, non tenebitur ad restitutionem, quia in eo statu considerata Domino nullius est pretij.

5. QVARTA CONCLVSIO. Tenebitur tamen fur ad compensationem, si eam perimat alio loco, vel postea, vbi non periisset, v.g. si furatus es vestem, vel equum in domo alterius, quæ paulo post casu cũ tota suppellectile conflagrauit (in qua etiam res illę periissent, nisi apud te fuissent seruatæ) & hæ res postea apud te pereant, vel casu surripiantur, teneris restituere. Ratio est, quia, quando periculũ transiit, si res extet, iterum incipit Domino valere, quia ipsius mansit: ergo etsi postea casu pereat, fur tenetur, cum fuerit in mora; si enim restituisset quando debebat, Dominus eam saluam recepisset, nec apud ipsum periisset. Idem dicendum de rebus quæ ex naufragio eripiuntur. Iam enim incipiũt Domino valere. Idem est si alio loco pereant v.g. detulisti annonam in alium locum, vbi non periisset, si eam ibi consumas, teneris restituere. Nam illo loco constituta iam incipit Domino rursum valere, & consequenter ei debet restitui.

6. QVINTA CONCLVSIO. Si rem vendit fur, vel eam consumendo factus est locupletior, tenetur ad restitutionem, quatenus factus est locupletior, etiamsi apud Dominum fuisset peritura. Ratio est, quia pretiũ rei venditæ, & illud augmentum quo fur factus est ditior, successit in locum rei furtiuæ, ita vt res furtiua censeatur extare, veluti in altero se, & in æquipollente: ergo hoc totum restituendum est Domino rei. Confirmatur, quia pretium est instar rei, eiusque vicẽ fungitur apud omnes gentes.

7. DICES. Dominus non habet actionem realem in pretium. Resp. sufficit personalis, vt ei debeat restitui.

Quæst. 31. *An fur teneatur restituere fructus ex re furtiua perceptos?*

1. DVplices sunt fructus. Alij sunt rei, quia ab ipsa re proueniunt, quamuis intercedat humana industria, vt sunt fructus agrorum, arborum, ædium, & earum rerum, quæ habent vsum locabilem. Alij sunt fructus industriæ, vt quæstus qui percipitur ex negotiatione, vt emendo vili, vendendo carè, ratione temporis, vel loci. Item quæstus qui percipitur ex vsu artificioso alieni instrumenti, vt si alieno penicillo, vel coloribus alienis pingas.

2. PRIMA CONCLVSIO. Fur tenetur restituere non solum rem alienam, sed etiam fructus ex ea perceptos; non tamen fructus nudæ industriæ. Est communis. Ratio est, quia fructus rei, hoc ipso quo producuntur, cedunt in dominiũ eius qui est Dominus rei. §. *vero*, Inst. *de rerum diuis.* ergo non minus sunt restituendi, quam res ipsa. Deducendæ tamen sunt expensæ, quas Dominus facere debuisset ad illos percipiendos.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non solum fructus perceptos, sed etiam non perceptos, quos tamen Dominus singulari sua diligentia percepisset, tenetur sarcire. Ratio est, quia sua iniqua detentione est causa lucri cessantis.

4. TERTIA CONCLVSIO. Tenetur etiam restituere fructus rei, quos ipse sua singulari industria percepit, quamuis Dominus eos percepturus non fuisset. Ratio est, quia omnes fructus rei cedunt in dominium eius, cuius est ipsa res, eo ipso quod extant, vt patet Inst. *de rerum diuisione*. §. *si Titius*. Vbi dicitur plantas, quæ terræ coaluerint, & frumenta quæ sata sunt, loco cedere: ergo si fructus extent, vel iniquus detentor sit factus ex illis locupletior, Domino sunt restituendi.

5. QVÆRES. Si neque extent, neque fur ex illis sit factus locupletior, eo quod consumpserit cum socijs, an tunc sint restituendi, si Dominus eos nō fuisset percepturus. Negant *Couarr. Medina, Sylu. & Petr. Nauarr.* Ratio est, quia fur nec tenetur ratione rei acceptæ, cum non extet, nec ratione iniquæ acceptionis, quia hæc nō obligat ad restitutionem, nisi quatenus efficaciter intulit damnum. At hic non intulit, quia etiamsi alterius rem non accepisset, Dominus non esset ideo locupletior, vt supponimus. Contrarium tamē est verius, quia fructus hoc ipso, quod extant, cedūt Domino, vt patet ex iure cit. Ergo statim debent Domino restitui: ergo eos consumere est domino verum damnum inferre. Est enim consumere rem ipsius, quæ si suo tempore reddita fuisset, apud Dominum non periisset.

Quæst. 32. *An teneatur restituere, qui alterum impedit à beneficio, officio, vel alio commodo?*

1. HOc potest duobus modis contingere. *Primo*, si impedias eum, qui habet ius in re, vel ad rem, ita vt res ex Iustitia ei sit debita, nempe per iustam promissionem, stipulationem, venditionem, præsentationem, aut alium titulum, per quem datur actio ad rem petendam. *Secundo*, si impedias eum qui nullum habet ius in re, vel ad rē, propinquum, quod ei tribuat actionem in iudicio; sed solum remotum, quia scilicet est dignus, vel bene meritus. De priori sensu nō est quæstio.

Constat enim qui sic impedit, teneri ad restitutionem, non quidem quãti res illa valebat, sed quanti ius illud, & illa spes æstimatur, spectatis omnibus circumstantijs. De secundo sensu est difficultas.

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui vi vel fraude impedit aliquem à cõsequendo beneficio vel officio, quo dignus erat, vel ne iustituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, aut legatum, tenetur ad restitutionem, quanti iudicio prudẽtis ea spes ipsi valebat. Est communis. Ratio, quia fraus & vis vel exercentur circa eum, qui beneficium sperat: (vt si quis illum vi detineat, aut minetur ei ne sollicitet, vel literas intercipiat, vel fraude auertat à re-persequenda) & sic fit manifesta ei iniuria, ex qua sequitur damnum. Nam cõtra voluntatem suam iniusto modo impeditur à persecutione, ad quã ius habet: etsi enim nõ habeat ius ad illud bonum, quod prosequitur: habet tamen ius ad illud consequendũ rogando & sollicitando: ergo damnum quod indè sequitur, censetur per iniuriam datum: vel exercentur circa ipsum collatorẽ (vt minando ne cõferat tali, aut persuadẽdo ipsum esse indignum, aut ingratũ, idque falso) & sic fit etiam iniuria petenti, quia violatur ius ipsius, quod habet ad illud bonum; quod ius non est quidem absolutum, sed conditionatum, quia in libera voluntate collatoris positum: si enim velit, res tibi debetur: si nolit, non debetur. Vnde si quis voluntatem eius, qui proposuit, vel deliberat tibi dare, per vim aut fraudem impediat, veram iniuriam tibi facit. Nam ius tuum in libertate collatoris constitutum violat.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Qui precibus, blanditijs, muneribus, absque vi & fraude impedit dignum ab officio, beneficio, & similibus non tenetur illi ad vllam restitutionẽ, etiam si illud malo animo, vel ex odio faciat. Ita *Nauar. c. 17. num. 69. & alij passim contra Ioan. Maiorem in 4. d. 15. quæst.* 16. Ratio est, quia iste dignus

non habet ius, nisi in libera voluntate collatoris: ergo si relinquas collatorem in sua libertate, nec aliquid facias quod illius libertati repugnet, non censeris hoc ius violare. Atqui preces, munera, & blanditiæ non repugnãt libertati, ergo per illa nõ violas ius alterius; ergo nõ teneris restituere. Nec obstat, quod malo animo id facias, quia animus non est cõtra iustitiã, sed contra charitatẽ.

Quæst. 33. *An qui damnum intulit in re adhuc crescente, teneatur integrè restituere? v. g. conculcasti segetem nunc æstimatam* 100. *florenis, in messe* 200. *Item interemisti pullum equinum nunc valentem* 20. *intra biennium* 100. *Quæstio est, an tenearis integrè restituere?*

1. Michael Salonius *quæst. 6. art. 4.* affirmat, si ex malitia feceris; non autem si ex negligentia. Ratio est, quia Dominus rei non tenetur eam vendere pretio quo nunc valet, sed potest expectare donec pluris valeat.

2. Conclvsio. Contrarium est verius. Ratio est quia restitutio damni illati non est facienda, nisi secundum æqualitatem: ergo pro talibus segetibus non est plus restituendum, quam illæ tunc valebant. Idem est de pullo equino, & similibus. Nec obstat quod alter eo pretio vendere noluisset, hinc enim non sequitur damnum esse maius, quam res ipsa nunc valeat, sed iniuriam esse maiorem, quatenus scilicet damnum est magis contra Domini voluntatem.

Quæst. 34. *An qui in tempestate eiicit merces alienas, teneatur restituere?*

1. Prima Conclvsio. Si is, qui eiicit alienas, & habet suas, tenetur alteri pro sua parte ad restitutionem. Ratio est, quia cum etiam propriæ merces cooperentur ad nauis depressionem, iniquũ est totum onus conferre in merces alterius. Vnde in hoc casu omnes tenentur pro sua parte qui ibidem merces habent, vt patet l. 2. & 4. *de lege Rhodia*, de iactu.

2. Qvæ-

2. QVÆRES. An quisque teneatur pro mercium suarum æstimatione, an potius pro pondere, si enim aliquis haberet tantum gemmas, parum oneraret nauem, & tamen æstimatio gemmarum est maxima. Respond. Secluſa lege positiua habenda est tantum ratio ponderis, quia pondus tantum affert naui periculum: non autem æstimatio, vel pretiositas. Lege tamen positiuâ statutum est, vt habeatur ratio æstimationis, vt quisque pro mercium pretio conferat ad compensandum ei, cuius merces sunt eiectæ. Huius ratio videtur esse, quia quo merces tuæ sunt magis pretiosæ, eò plurisinteresst tua, vt nauis salua sit, ac proinde eo amplius te in collationem dare par est.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si is, qui alienas eiicit nullas habeat, non tenetur ad vllam restitutionem. Ita Medina c. *de rest.* q. 3. *Et Petr. Nauar. l. 3. c. 1. n. 381. & colligitur ex l. secunda cit.* vbi dicitur liberi corporis non oportere fieri æstimationem, nempè ad sarciendum damnum. Ratio sumi potest ex iure defensionis. Nam iure naturæ potest quisque à se repellere quicquid ei affert interitum, vel est impedimento, ne se possit in extremo periculo saluare. Atqui merces illæ afferrent interitum, deprimendo nauem in qua sedeo: ergo iure naturæ possum eas abiicere.

QVÆST. XXXV. *An teneatur ad restitutionem, quis positiuè cooperantur ad furtum, vel damnum?*

1. NOTA *primo*. Dupliciter furtum, vel damnum inferri posse. *Primo*, immediatè exequendo, & de hoc dictum est hactenus. *Secundo*, mediatè cooperando, quod fit 9. modis qui continentur his versiculis.

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Sunt ergo 9. genera personarū quæ tenentur ad restitutionem præter executorē de quibus *Diuus Th. art. 7.*

2. Nota *secundo*. Sex priores modos cooperandi esse positiuos, de quibus hic agimus: Reliquos tres esse negatiuos, de quibus postea. Est ergo quæstio, an qui cooperantur ad furtum, vel damnum. 6. priorib. modis, teneantur semper ad restitutionem. Aliqui putant tunc solum teneri, quando ita cooperantur, vt sine ipsis damnum non fieret; quando vero sine ipsis damnum æquè inferrent, non teneri. *Ita Antonin. p. 2. c. 1. tit. §. 12. syl. v. restitutio, 3. q. 6. §. 2. Adrian. in 4. q. 1. de restitutione, Nau. c. 17. num. 17. & D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. a. 5.* Quæ sententia quodam sensu est apertè falsa, quodam certa, quodam probabilis, vt iam explicabo.

2. Prima Conclvsio. Qui iubet, consulit, laudat, vel refugium præbet executori, ita vt ex hisce causis ille motus fuerit ad damnum inferendum, non ideo excusatur à restitutione, quod alius non defuisset, qui iussisset, consuluisset, &c. *Ita Caiet. q. 62. art. 6. Medinac. de restitut. q. 7. Sotus l. 4. q. 7. art. 3. & alij.* Ratio est, quia talis ita est causa damni in hoc casu, vt si ipse, vel alius similis non moueret executorem, damnum non fieret: ergo verè est causa, sine qua damnum non fieret: ergo tenetur ad restitutionem. Prior consequentia patet, quia causa, sine qua non est ea quæ ita cooperatur, vt sine ipsa, vel simili superueniente non fieret effectus à causa executrice: non autem illa dumtaxat, quæ si absit, effectus non fiet. Nam alioqui, is, qui suadet, vel præcipit homicidium, non esset causa, si alius esset suasurus, aut præcepturus, imò occisor non erit causa damni, si alius erat occisurus, quæ apertè sunt falsa.

4. Secvnda Conclvsio. Si executor absque tuo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio, æquè benè, & eodem modo erat damnum illaturus, quamuis nulla alia similis causa erat superuentura; tunc non teneris ad restitutionem. Est communis. Ratio est,

quia etsi grauiter pecces, etiam contra iustitiam, tamen consilium & mandatum tuum inefficax est, quia damnum ex ipso tanquam ex causa non sequitur, sed tantum concomitanter se habet.

5. Tertia Conclvsio. Si executor absque tuo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio erat quidem absolutè damnum illaturus; non tamen eodem modo, & eisdem circumstantiis, tunc dubium est an tenearis restituere, necne. Antoni. & alij supra citati videntur sentire te non teneri, etiamsi executorem moueris, vt citius, vel animosius, vel alio loco faceret, si ipse iam erat ita paratus, vt sine tuo consilio, vel iussu, absolutè erat facturus; similiter si causam dederis, vt plus damni inferret, quam alioqui illaturus erat, te non teneri nisi ad illud amplius. Hæc sententia probabilis est *primo* propter auctoritatem DD. *Secundo*, propter rationem, quia in tali casu non es causa substantiæ damni, sed tantum modi, vel circumstantiæ: ergo non teneris substantiam damni rependere. Contrariam tamen sequuntur. *Caiet. Medina*, *Sotus & Petrus Nauar.* asserentes te in solidum teneri. Ratio est, quia tu es causa totius actionis, vt hic & nunc fit. Confirmatur, quia non potest quis esse causa istarum circumstantiarum, nisi etiam sit causa substantiæ actionis. Respondeti tamen potest, etiamsi sit causa totius actionis indiuiduæ, vt hic & nunc fit; tamen quia illa actio, quatenus damnosa, secundum suam speciem iam erat patrata in causa exequente, & omnino secutura, non videris circa eam quidquam efficaciter operatus, nisi inducendo nouas circumstantias, quod non est magni momenti ad substantiam damni, quando enim aliqua causa exitura est per se in actum, parum refert, an hoc celerius fiat, an tardius, hic an alibi, hoc an illo instrumento, hâc an illâ actione indiuiduâ. Ad confirmationem concedo esse causam substantiæ illius actionis in

indiuiduo, sed hoc parum facit ad obligationem restitutionis. *Primo*, quia, qui est causa vt differatur damnum in craftinum, est causa cur sit alia actio indiuidua damnificans, & tamen non tenetur. Similiter qui rogat vt alio loco occidas, vbi minus erit scandali. *Secundo*, quia qui volenti furari 10. suadet, vt furetur 20. est causa illius actionis indiuiduæ, qua accipit 20. & tamen non tenetur nisi ad 10. eo quod furti tantum horum censeatur causa, vt docet *Medina*, *Couarr. Pet. Nauarr.* ergo vt quis teneatur in solidum, non sufficit, vt sit causa totius actionis, vt hic & nunc fit, sed vlterius requiritur, vt actio illa secundum suam speciem, sine tali cooperatione non sit processura à causa exequente.

Quæst. 36. *Quomodo oporteat positiuè cooperari vt censeatis causa damni?*

DE singulis modis cooperandi dabo singulas conclusiones.

2. PRIMA CONCLVSIO. De iussione. Qui ita iubet, vt alterius animum ad maleficium moueat, censetur causa damni; imò inter causas præcipua; quia non est efficacior modus, quo rationalis creatura liberè ab alio moueatur, quam per mandatum: mandans enim quandam obligationem & necessitatem imponit alteri. Dupliciter autem potest quis mandare. *Primo*, expressè, vt si dicas famulo: occide, volo occidas. *Secundo*, implicitè, vt si dicas. Vtinam hoc obsequium quis mihi præstet, charus mihi erit, qui hoc fecerit.

2. NOTA *primo*. Si ante maleficium patratum reuoces mandatum, non teneris, quia iam tollis causam, de qua re sunt multa iura, ff. mandati.

3. NOTA *secundo*. Eum, qui ratum dumtaxat habet maleficium nomine sue factum, non obligari in foro conscientiæ ad reparationem damni, vt docet *Medina q. 7. contra Nauar. c. 27. n. 233.* qui putat ratihabitionem obligare instar mandati, si dum mandare poteras dam-

tuo nomine sit illatum. Sed contrarium est verum. Ratio est, quia ex illa ratihabitione facti præteriti ipsum factum damnosum nullo modo pendet, tanquam ex causa mouente. Nec refert, quod nomine suo factum sit, quia inde tantum sequitur voluntatem tuam fuisse causam finalem, & ideo illum fecisse, vt tibi gratificaretur, quia putabat tibi gratum futurum. Hoc autem non sufficit, vt tu censeatis causa efficiens, & voluntariè mouens ad damni irrogationem: finis enim non mouet voluntariè, sed naturaliter ex sua parte.

4. DICES. c. *Ratihabitionem de reg. iuris in 6.* dicitur ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. Respond. comparatur mandato, non tamen respectu patrati operis & obligationis restituendi, sed respectu contractuum, quia sola voluntate foris expressa firmari possunt contractus præteriti: non autem causari damnum præteritum. Item respectu pœnæ in foro externo, quia qui ratum habet maleficium punitur, sicut qui mandauit.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Qui ita consulit, vel suadet, vt alter ex eo promoueatur ad opus, censetur etiam causa damni, ac proinde tenetur ad restitutionẽ.

6. QVÆRES. An qui consulit minus damnum ad auertendum maius, teneatur ad restitutionem. Resp. *primo*. Si consulas inferri alicui damnum minus, ne eidem inferatur maius, non teneris ad restitutionem. Ratio est, quia vtiliter eius negotium geris, & merito tibi gratiam debet. Resp. *secundo*. Si autem suadens latroni vt alteri, de quo non cogitabat, damnum minus inferat, teneris, quia iniuriam illi facis, dum illum latroni obijcis: non enim licet impedire damnum Petri cum iniuria Pauli. Hinc sequitur peccasse Loth Gen. 19. dum Sodomitis in hospites irruere conantibus suasit stuprum filiarum, quia suasit iniuriam in eas, de quibus ipse non cogitabant.

7. TERTIA CONCLVSIO. De consensu, quando ab alicuius consensu pendet, vt res fiat, vel non fiat, v. g. vt huic inferatur bellum, vt iste eligatur in Prælatum, tunc censetur causa damni. Quod si id à consensu tuo non pendeat, eò quòd authoritatem nullam habeas: Vel vi absque tuo consensu iam ante erant æquè parati, neque illum expectarint, non censetur causa damni. Hinc fit, vt quando plures ferunt suffragia, vel subscribunt in causam iniquam, si tu etiam consentias, postquam sufficiens numerus suffragatus est, non tenearis ad restitutionem damni secuturi (etsi mortaliter peccaueris consentiendo) nisi spes fuerit te contrario suffragio posse malum impedire. Ita *Nau. c. 17. n. 21. Caiet. v. restitutio*, c. 1. Ratio est, quia iam causa damni ita est disposita, vt æquè, & eodem modo damnum sit secuturum absque tuo suffragio, atque cum illo: ergo tuum suffragium accedens non est vllo modo causa damni.

8. QVARTA CONCLVSIO. Palpo seu adulator, qui laudat malefactorem, aut scelus patrādum commēdat, est causa damni, quando alter ex tali laudatione impellitur ad maleficium. Huc etiam spectat exprobratio ignauiæ, vt quod iniuriam quam accepisti, nō sis vltus.

9. QVINTA CONCLVSIO. Recursus, seu recursum præbens, tenetur etiam restituere, quando eo modo præbet recursum, vt moraliter censeatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum, v. g. si illum recipiat, & non alios passim; si illum, aut eius instrumenta occultet, ita vt hinc animetur ad damnum inferendum.

10. DICES. Ergo qui occultat furem, dum quæritur à lictoribus, tenebitur ad restitutionem, si ille postea damnum intulerit. Respond. verum est, si id ita faciat, vt in posterum det spem similis opitulationis, & fur eâ spe fretus rursus damnum inferat, alioqui si non det

illi spem refugij in posterum, non tenetur: quia non abscondit illum eo modo ac fine, vt moraliter censeatur causa damni secuti.

11. Sexta Conclvsio. Dupliciter potest aliquis esse participans in damno. *Primo*, quando est particeps prædæ, & tunc tenetur restituere pro ea parte, quæ ei obuenit. *secundo*, quando est particeps iniquæ operationis, præbendo auxilium, & adiuuando ad executionem, sicut qui scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente: Item qui excubias agit, aut instrumenta suppeditat, aut furem comitatur defendendi causa. Itē qui iuuat effringere, asportare, aut simile quid agit. Hi semper tenentur ad restitutionem hoc ipso quod spontè aliquid auxilij attulerint ad iniquam executionem. Dixi *spontè*, quia si quis iusto metu coactus fecerit, non tenetur, modo id, quod facit, non sit per se malum. Itaque hoc metu compulsus potest apponere scalas, præbere instrumenta effringendi, iuuare, conscendere murū. Hæc enim per se sunt indifferentia, neque lędunt dominum nisi ex iniqua intentione & vsu furis, qui his auxiliis vtitur ad malum finem. Pari modo potest iuuare in se, postquam sublata est, asportanda, & in pecore abigendo. In his enim non est iniuria in dominum, si ex graui metu fiant, postquam res sublata est. Hinc sæpe excusantur Rustici, qui prædas militum iniustas coguntur auehere, vel pecora sublata deducere.

QVÆST. XXXVII. *An qui aliquo horum 6. modorum cooperatur, teneatur in solidum?*

1. Certum est, cum quis consulit, mandat, consentit, laudat, & receptat, teneri ad reparationem totius damni, si totius causa fuit: partis vero si solum partis damni causam dedit. Difficultas est de sexto modo, id est, participante vel adiuuante, vt quando milites spoliant vrbem.

2. Prima Conclvsio. Si cooperetur ad idem

damnum indiuiduum, tenetur in solidum, etiamsi socius constituerat solus inferre, vt si iuuat ad incendendam vrbem, ad idem onus auferendum, ad gregem abducendum, ad eandem ianuam effringendam. Ita *Caiet. Medina supra.* Ratio, quia tunc aliquis est causa partialis totius damni vt hîc & nunc fit.

3. Secvnda Conclvsio. Si verò non concurrat ad idem damnum indiuiduum, sed distinctum irroget, non tenetur in solidum; sed tantum pro sua parte. Ita *Adrian. q. 1. de restitutione, Nauarr. c. 17. num. 21. & alij.* Ratio est, quia tunc quisque solum est causa partis damni, quam ipse per se dedit: non autem totius, aut etiam partis, quam alius fecit, nisi fortè alium impulerit ad damnum faciendum, aut nisi se vicissim permouerint, vel animauerint, vt quando 3. vel 4. milites se mutuo excitant ad inferendum alicui damnum: tunc enim singuli censentur causa totius damni. Hinc sequitur militem gregarium non teneri, nisi de damno, quod ipse per se in bello iniquo dedit. Ducem vero teneri de toto, quod per milites illatum est.

QVÆST. XXXVIII. *Quo ordine teneantur isti restituere in solidum facere?*

1. Prima Conclvsio. Si aliquid furto ablatum sit primo loco, & ante omnes tenetur is, ad quem res furtiua peruenit, siue extet in specie siue non extet; si tamen inde factus sit ditior. Ratio est, quia hic obligatur ratione rei acceptæ, quæ obligatio est summa. Nam res aliena, quamdiu extat in specie, per se debetur. Si consumpta est, vel consumpta est bona fide ab eo, qui ignorabat esse furtiuam; & sic non tenetur nisi quantum ex ea factus est ditior, vel consumpsit mala fide sciens esse alienam, & sic tenetur restituere pretium, quia quod consumpserit eam mala fide, non liberat eum, quin primo loco teneatur, perindè ac si extaret, alioqui noua illa iniuria liberaret eum à restitutione.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si verò nihil ablatum sit, sed tantummodò damnum irrogatum, tum *primo* loco tenetur is, qui coëgit, vel fraude induxit, vel qui imperauit, cui alter non fuit ausus contradicere; vt si Dux imperet militi vt occidat, incendat, destruat. Ratio est, quia hic iniustè coniecit alterum in obligationem restitutionis. Vnde si hic restituit, alter qui hoc modo inductus est, non tenetur ei quidquam refundere, quia inductor totum debet compensare. Pari modo tenetur. *Primo* loco, qui suo nomine fecit, vel rogauit fieri, vel suasit. Nam is cuius nomine fit, est causa principalis, ac proindè tenetur ante cæteros. *Secundo* loco tenetur executor quatenus est executor. *Tertio* loco cæteri qui consilium dederunt, qui consenserunt, qui præbuerunt recursum, qui præstiterunt obsequium, instrumenta, comitatum. Ratio est, quia executor post eum qui iussit, vel suo nomine fieri voluit, est principalis: cæteri vero sunt causæ accessoriæ, & secundariæ, fulcientes & quodammodo seruientes executori. Quod enim faciunt, non suâ causâ faciunt, sed vt ipsum instruant & arment. Hinc sequitur *primo*, Si executor noluerit, vel non potuerit restituere, teneri ipsos; quia succedunt in defectum executoris, sicut executor in defectum iubentis. *Tertio*, si soluerint, executorem teneri illis totum refundere, quia soluendo successerunt in ius, quod dominus habebat in executorem, qui prius tenebatur. Vnde sicut executor debuisset soluere ante ipsos, ita tenebitur ipsis soluere, qui ius domini in se transtulerunt, soluendo loco executoris; sicut si fideiussor, qui secundo loco tenetur, soluat, transfert in se actionem domini, quam habebat in principalem debitorem. Pari modo si executor soluerit, tenebitur ei iussor, vel is qui causâ suâ fieri voluit. *Quarto*, Si executor nomine omnium executus est facinus, omnes simul

teneri primo loco; quia illorum causa factum est, & tacitè in se receperunt obligationem: executor autem, quâ executor, tenetur secundo loco, quamuis vt vnus illorum quorum nomine factum est, teneatur primo loco. Itaque si ipse restituerit in solidum, reliqui tenentur ei conferre suas partes; ita tamen vt ipse quoque pro sua parte in compensationem veniat, non vt executor, sed vt vnus illorum, quorum nomine factum est.

3. QVÆRES *primo*. An inter causas secundarias quæ tenentur post executorem, sit aliquis ordo. Resp. Non est talis ordo, qualis est inter causam principalem & secundariam, ita vt vna soluente reliquæ maneant liberæ; sed in defectum principalis, omnes secundariæ tenentur æquè primo; sic tamen, vt alia ad plus, alia ad minus teneatur prout magis vel minus efficaciter ad damnum cooperata est. Ratio est, quia vna non est operata tanquam instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed vnaquæque per se in suo ordine. Vnde si executor non restituat, omnes in locum eius immediatè succedunt, & tenentur pro rata portione cõferre, prout quæque magis vel minus mouerit executorem ad faciendus patrandum.

4. QVÆRES *secundo*. Si plures sint causæ æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ teneantur. Respond. *Primo*, tenentur æquales portiones ad restitutionem damni conferre. *Secundo*, in defectum reliquorum quisque tenetur in solidum. *Tertio*, ei qui prius soluit, tenẽtur reliqui singuli pro sua parte.

5. QVÆRES *tertio*. Si is qui damnum accepit vni sociorum condonet obligationem restituendi, an cæteri sint etiam liberi. Respondeo *primo*. Si condonet authori principali, reliqui qui secundo loco tenebantur, manent liberi. Est communis. Ratio est, quia hæc

condonatio est instar solutionis (vnde solet à Iurisperitis vocari acceptilatio, quæ est imaginaria quædam solutio) atqui soluente eo, qui primo loco tenebatur, reliqui manent liberi, vt ex dictis patet. Resp. *Secundò.* Si remittat ei qui secundo loco tenebatur, non ideò liberatur is qui primo loco. Ratio, quia obligatio principalis authoris non pendet ex obligatione secundarij, sed contra. Vnde fit, vt secundario soluente, teneatur ei principalis ex integro: soluente autem principali, secundarius nihil teneatur rependere. Resp. *Tertiò.* Quando plures eodem gradu tenentur, id est, æquè primò, vel secundariò, tunc etsi vni perfecta fiat remissio, non ideo cæteri sunt liberi à suarum partium restitutione. Nam obligatio vnius non pendet ab altero, sed omnes æquè mediatè, vel immediatè se habent ad damnum.

## Quæst. 39. *An teneantur ad restitutionem qui negatiuè sunt causa damni?*

1. TVnc aliquis censetur negatiuè causa damni, si non impediat damnum, quando ex officio tenetur, hoc fit tribus modis, qui notantur his verbis. (*Mutus, non obstans, non manifestans.*) *Mutus* dicitur, qui omittit præcipere, si erat superior: consulere, si consultor: clamare, aut strepitum edere, si erat custos rei ad damnum impediendum. *Non obstans* dicitur, qui omittit præstare opem vel operam, qua damnum poterat impedire, & quam ex officio tenebatur præstare, vt princeps, Magistratus, præpositi viarum, & similes. *Non manifestans* dicitur, qui cum ex officio teneatur, omittit manifestare malefactorem; siue ante factum, quando damnum erat impediendum: siue post factum, quando sarciendum; vt custos rei custodiendæ deputatus. Est ergo quæstio, an hi semper teneantur ad restitutionem. Caiet. v. *restitutio* c. 1. putat eos teneri etiam tunc quãdo ex officio nõ tenẽtur impedire damnũ, sed tantũ

ratione articuli, necessitatis, modo facilè sine suo incommodo id possint præstare.

2. Prima Conclvsio. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio. Ita *Medina quæst. 9, Navarr. c. 17. Conarr.* ad reg. *Peccatum, pag. 2. §. 3. num. 5 & alij.* Ratio est, quia qui non obligatur ad impediendum ex officio, solum obligatur ex charitate. At necessitas restituendi non oritur ex obligatione charitatis, sed iustitiæ, vt omnes tradunt: ergo.

3. Dices *primò*, c. *quanta, de sententia excom.* dicit Innocentius III. eos, qui consentiunt inijcientibus violentas manus in clericos, & eos qui inijciunt, pari pœna condemnari ab Ecclesia, nempe pœna excommunicationis. Respondeo. Loquitur de ijs qui consentiunt, cùm ex officio teneantur impedire, vt exponit Glossa. Deindè potuit excommunicari etiam is, qui non tenebatur ex officio, nec tamen sequitur eum obligari ad restitutionem: potest enim quis excommunicari propter peccatum mortale; non tamen obligari ad restitutionem.

4. Dices *secundò*, c. *sicut dignum, de homicidio*, Alexander III. ait, *qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit.* Respondeo. Dicitur occidisse, quia contraxit culpam homicidij, vt est contra charitatem: non autem vt est contra iustitiam, quo sensu dixit etiam Ambrosius apud Gratian. c. *Pasce.* d. 87. *Si non pauisti, occidisti.*

5. Secvnda Conclvsio. Omnes qui tenentur ex officio impedire damnum alterius, si id ex culpa graui negligant, tenentur ad restitutionem. Est communis. Ratio est, quia illi ex iustitia debent illum actum impeditionis damni: ergo omissio eius est contra iustitiam: ergo si ex illa omissione sequatur damnum, omittens est causa illius damni contra iustitiam. Con-

firmatur, quia sicut damnum quod sequitur ex iniusta commissione est iniustũ, ita etiam quod sequitur ex iniusta omissione: ergo sicut teneris ad reparationem damni, quod alteri datur ex tua iniusta commissione; ita etiam quod datur ex iniusta omissione. Hoc modo debitor tenetur creditori ad interesse, quod sequitur ex non præstita solutione debita. Hinc infertur *primo*. Principes, Magistratus, Prætores, & Duces belli teneri ad restitutionem, si omittant impedire furta, latrocinia, & similia damna, cum possint sine suo notabili detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris. Ratio est, quia ex officio, ac proinde ex lege iustitiæ commutatiuæ tenentur, tanquam ad hoc conducti: ideo enim stipendia & honores à Rep. accipiunt. *Secundo*, idem dicendum de omnibus illis qui per modum contractus sese ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia ob eam causam accepturi; vt sint custodes hortorum, vinearum, saltuum, stagnorum. *Tertio*, idem est de tutoribus, & curatoribus, qui negligunt impedire damna pupillorum & minorum. Etsi enim stipendia non recipiunt; tamen potestas publica, siue lege, siue imperio, potest illis hanc obligationem imponere, & ipsi tenentur admittere, & vbi admiserint lege iustitiæ sunt obstricti. An autem confessarij teneantur restituere, si pœnitentem non cogant ad restitutionem, pertinet ad materiam de Sacramentis.

## DE RESTITVTIONE RATIONE rei acceptæ.

Quæst. 40. *An is qui bona fide rem consumpsit, vel alienauit, teneatur postea restituere.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Quicumque habet rem alienam, quamuis optima fide illã hactenus tenuerit, putans esse suam, simulatque tamen cognouerit esse alienam, tenetur eam restituere prima opportunitate, idque tantummodo ratione rei acceptæ.

Ratio est, quia non potest retinere rem alienam, inuito domino. Hinc lex ciuilis concedit domino euictionem & vindicationem rei suæ, vbicumque ea fuerit l. *si debitor* C. *de rei vindicatione*. Neque pretium quod pro ea dedisti, exigere à Domino potes, quia æquum non est vt ipse rem suam emat, sed illud tibi à venditore repetendum. Quod si eam postquam sciueris esse alienam vlterius retineas, habita restituendi oportunitate, incipis esse possessor malæ fidei, & obligari non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis, quæ æquiualet iniquæ acceptioni. Vnde si interim pereat, quouis casu teneris ad restitutionem, quia censeris esse in mora.

3. Secvnda Conclvsio. Si is qui rem alienam bona fide possidebat, eam interim cõsumpsit, vel alienauit solum tenetur restituere id, quo indè factus est locupletior. Est communis. Ratio est, quia solum tenetur ratione rei acceptæ, quæ cum non amplius apud illum extet, cessat quoque cum ea eius obligatio. Hinc sequitur *primo*, si eam bona fide emit, & deinde eodem pretio, vel minori, bona fide venditur, ad nihil teneri; si verò pluris vendidit, ita vt rem familiarem auxerit, teneri solum restituere illud auctarium. *Secundò*, si eam dono accepit, & postea vendidit, tenetur restituere pretium; nisi fortè illud consumpserit in lusum, vel largitiones, ita vt ex eo non sit factus locupletior. Quod intellige, si alioqui talia impendia facere non cõstituerat. *Tertiò*, si eam bona fide donauit, non donaturus aliam similem, vel dissimilem, si hanc non habuisset, non tenetur ad quicquam, quia non est factus ditior. Secus est, si aliam ex suis erat donaturus, quia tunc pepercit rei suę donando alienam, & ita compendium ex re aliena fecit. *Quartò*, si res perijt durante bona fide, ad nihil tenetur, siue fortuitò, siue culpâ perierit: non enim tenetur ratione iniustæ acceptionis,

quia bona fide eam acceperat, & possederat; nec ratione rei acceptæ, quia res non extat.

QVÆST. XLI. *An possessor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos restituere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Tenetur restituere omnes fructus qui apud illum extant, modò non sint fructus meræ industriæ. Ratio, quia fructus hoc ipso, quod proueniunt ex re tua, cedunt in tuum dominium, vt constat Instit. *de rerum diuisione.* §. *Si Titius.* Tales sunt qui sine vllo labore proferuntur, vt fœnum, glandes, poma, nuces. Item illi qui interueniente labore proueniunt, vt segetes & vuæ: in his tamen detrahendæ sunt expensæ. Fructus autem nudæ industriæ, non sunt restituendi, ne quidem à malæ fidei possessore, vt si quis aliena pecunia, negotiatus sit, *vt supra.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si fructus quidem non extent, tamen illis factus sit locupletior, tenetur quatenus locupletior, siue illi fructus fuerint merè naturales, siue mixti, id est, ex re mediante industria prouenientes. *Ita Gabriel 4. d. 15. quæstion. 3. articul. 3. dub. 5. Medina quæstion. 10. Couarr. l. 1. Variar. resol. c. 3. num. 6. & alij passim.* Ratio est, quia fructus debentur domino detractis expensis: in locum autem fructuum succedit eorum pretium, quâ parte eo factus est ditior, idque seruandum esse in foro conscientiæ docet Syluester v. *fructus* quæst. 1.

3. NOTA tamen in quibusdam tribunalibus fructus mixtos non extantes (etsi indè factus sis ditior) iudicari non esse restituendos, vt refert *Couarr. loc. cit. & est multorũ Iurisperitorũ sententia*, nec videtur omnino improbabilis, quia quædam iura videntur illi faueré. Instit. *de rerum diuisione.* §. *si quis à non domino* & l. *Quæsitum*, ff. *de acquirendo rerum dominio.* Contrarium tamen est probabilius: tum quia est communis sententia: tum quia firmiore nititur ratione: iura autem contra

nos allata, debent intelligi eo casu, quo non es factus locupletior,

4. DICES. L. *qui scit. ff. de usuris*, dicitur, bonæ fidei emptorem, qui prius quam fructus perciperet, cognouit fundum alienum esse, censeri adhuc bonam fidem habere, vt fructus suos efficiat, donec fundus euictus sit. Resp. hæc lex non videtur esse æqua, seu vera. Nam certum est simul atque quis nouit rem esse alienam, non posse fructus eius suos facere, vt apertè colligitur L. *Qui bona fide*, & l. *Bonæ fidei*, ff. *de acquirendo rerum dominio*, quia fructus cedunt solo, vt dictum est. Nec mirum aliquando in Pandectis huiusmodi antinomias reperiri, quas frustrà nituntur interpretes conciliare, quia hoc opus est collectum ex plurimorum Iureconsult. responsis, qui sæpe contraria sentiebant: & collectores non poterant in tanta voluminum & sententiarum multitudine semper meminisse, quid alibi dixissent. *Vide Couarr. num. 7. supra.*

5. TERTIA CONCLVSIO. Possessor bonæ fidei non tenetur ad restitutionem fructuum, quos ratione negligentiæ suæ non percepit, sicut tenetur possessor malæ fidei. Ratio est, quia cum non sit factus ditior, non tenetur ratione rei acceptæ, & cum non fuerit causa iniusta damni (sicut possessor malæ fidei iniustæ detentione) non tenetur ratione iniustæ acceptionis.

## QVÆST. XLII. *An si emeris rem furtiuam bona fide, tenearis domino restituere, an vero possis dissoluere contractum recepto pretio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si gratis eam accepisti, vbi cognoueris esse alienam, teneris domino restituere; nec potes furi reddere, nisi moraliter sis certus furem restituturum. Ratio est, quia teneris ratione rei acceptæ quæ apud te est, non furi cum non sit eius: ergo domino. Nam restitutio quæ facienda est ratione rei acceptæ, debet fieri illi cuius res est.

2. SECVNDA

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si bona fide eam emisti, vbi intellexeris esse alienam, poteris rescindere contractum, & reddere furi, à quo accepisti, vt pretium recuperes: nec teneris tunc domino restituere. Ita *Nauarr. c.17. num.9. Sylu. v. restitutio 3. quæst. 7. Angelus v. restitutio 1. num. 1. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 3. art. 3. dub. 5. Et alij contra Caiet. Sotum, & Couarr.* Probatur *primo*, quia nullam iniuriam intulisti domino hanc rem emendo, & apud te detinendo, cùm bona fide emeris: ergo non potest dominus merito ægrè ferre tanquam iniuriâ affectus, si eam constituas in eo statu, in quo erat ante, ne pretium amittas. *Secundò*, quia hic contractus fuit omnino inuoluntarius, cùm ex errore sit factus: ergo potes illum rescindere: ergo & rem acceptam restituere, & pretium recuperare. *Tertio*, si quis rem inuentam in plateis sibi assumeret, & postea aduerteret eam sibi fore damnosam, posset reponere eodem loco; nec teneretur eam cum suo damno seruare, vt domino restituatur: ergo.

3. DICES *primo*. Si talis emptor rei alienæ potest eam furi reddere, vt pretium recuperet: ergo si fur non inueniretur, vel obijsset, posset eam alteri vendere, ne damnum patiatur. Respondeo, non sequitur, quia non potest dominium ipsius transferre.

4. DICES *secundo*. Qui rem furtiuam reddit furi cooperatur ipsius iniquæ detentioni. Respondeo falsum est: vtitur enim suo iure, vt se indemnem præstet, relinquens furem suæ conscientiæ: non enim suadet illi vt non restituat, sed potius ostendit rem alienam debere restitui.

5. DICES *tertio*. Si Dominus rei posset conuenire talem emptorem coram Iudice, Iudex condemnaret eum ad restitutionem: ergo etiam antea tenebatur restituere. Respondeo, non sequitur. Nam ideò condemnabitur emptor ad restitutionem, quia res aliena apud ipsum reperitur.

6. TERTIA CONCLVSIO. Si mala fide rem emisti, vt tibi retineres, sciens vel dubitans esse furtiuam; teneris eam Domino restituere. *Ita Nauar. Caiet. Sotus, & Couarr.* Ratio est, quia teneris non solum ratione rei acceptæ, sed ratione etiam iniustæ acceptionis.

7. DICES. quisque potest sibi consulere præ altero: ergo talis emptor potest rem furtiuam furi reddere, vt sibi consulat recipiendo pretium suum. Respondeo hoc valde probabile est; & ita sentiunt *Alex. Gabri. & Sylu.*

## Quæst. 43. *An ille qui dubitat rem esse alienam possit eam emere, retinere, vel alienare?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui initio bona fide rem accepit, vel habuit, si postea incipiat dubitare, an sit aliena, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio post inquisitionem non tenetur restituere, sed manet in possessione bonæ fidei. *Ita Med. quæst. 10. Sylu. Gabr. cum alijs supra citatis.* Ratio, quia in dubio melior est conditio possidentis. Hinc sequitur, si rem illam vendat, domino post diligentem inquisitionem non inuento, non teneri postea illo comparente. Ratio est, quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis, cùm bona fide habuerit & vendiderit, neque ratione rei acceptæ, quia non extat apud eum, nisi fortè ex ea factus sit ditior: nam eatenus tenetur.

2. DICES. quid si occurrente dubio non instituit quæstionem, & postea certo deprehendit rem fuisse alterius. Respondeo tunc tenetur alteri restituere non solum rem illam, sed fructus consumptos, etiam ex eo tempore, quo dubitare cœpit. Ratio est, quia ex eo tempore cœpit esse possessor malæ fidei, & ex iustitia tenebatur veritatem inquirere.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Qui dubitat, an res sit aliena, potest eam nihilominus accipere titulo dona-

tionis, permutationis, aut emptionis; modò eo animo accipiat, vt eam domino, si inuentus fuerit, restituat. Ratio est, quia in hoc non facit iniuriã domino, sed beneficiũ. Nam alioqui fortasse nunquã fuisset restituẽda.

4. TERTIA CONCLVSIO. Quod si non eo animo eam accipiat, sed potius vt eam sibi retineat, peccat quidem; non tamen tenetur eam restituere statim, sed mutato animo diligenter inquirere, an sit aliena, & vbi moraliter certus fuerit esse alienam, integrè restituere cum fructibus etiam consumptis. Si autem aliquid dubij remanserit, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, diuidere, assignando illi plus vel minus pro ratione dubij, qui si sit persona nota, ei sua pars tribuenda est: si vero sit ignota, pauperibus. Ita *Caiet. qu. 62. art. 5. Sotus l. 4. quæst. 7. art. 1. circa 3. argumentum Medinæ quæst. 17. & alij.*

Quæst. 44. *An bona, & debita incerta, sint pauperibus restituenda?*

1. NOTA *primo*. Bona non censeri incerta, nisi post sufficientem inquisitionem. Vnde si quis ante huiusmodi inquisitionem daret ea pauperibus: postea domino comparente teneretur ei ad integram restitutionem, vt passim omnes docent.

2. NOTA *secundo*. Non censeri etiam incerta quando constat ea deberi certæ alicui communitati, vel toti, vel maiori eius parti: etsi enim in particulari non constet quid cui debeatur, tamen constat hæc esse illius communitatis, vt quando exercitus iniustè expilat pagum, vel oppidum: tunc enim restitutio facienda est communitati, operâ Magistratus, Episcopi, vel Parochi, vt hi distribuant ijs, qui in eo pago, vel oppido, maius damnum accepisse iudicabuntur.

3. PRIMA CONCLVSIO. Bona incerta, id est, habẽtia dominũ ignotũ, & incerta debita, siue ex cõtractu, siue ex delicto, restituẽda sũt in pauperes, saltẽ iure

positiuo, vel consuetudine. Est communis, præter quam de bonis inuentis, de quibus postea. Ac primò ex incertis debitis ex delicto patet ex *c. cum tu, de vsuris, vbi Alexander III.* iubet, vt ea quæ vsuris iniquè comparata sunt, si non supersint illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus, & vsurarij eorumque hæredes pœnis Ecclesiasticis ad hoc cogãtur. Quod DD. communiter extendunt ad incerta debita ex alijs etiam delictis, vt furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus. Et merito; quia est eadem ratio, ne videlicet hominibus iniquis integrum sit ex iniquitate & iniurijs ditescere. *Secundo*, idem patet de incertis debitis ex contractu v.g. ex deposito, commodato, mutuo, venditione, quia etsi de his non extat canon, tamen vbique est consuetudo piorum, vt hæc in pauperes expendantur, quando dominus inueniri non potest, vt ipsius animæ prosit. Nomine autem pauperum intelliguntur non solum mendici, sed etiam quibus necessaria ad decentem statum desunt, & etiam quæuis opera pia, vt inter cæteros docet *Nauar. c. 17. num. 93.*

4. QVÆRES. An etiam iure naturæ, pauperibus hæc sint eroganda. Multi videntur affirmare. Ratio, quia debitor iure naturæ tenetur restituere eo modo, quo potest, nempè vt vel ipsæ res, vel eorum vtilitas ad dominum proueniat. Atqui hoc fiet si dentur pauperibus ad salutem domini viui, vel mortui: ergo iure naturæ debent dari pauperibus. Respondeo *primo*, suppositâ fide est quidem consentaneum iuri naturali, vt bona incerta dentur pauperibus: non tamen est debitum lege iustitiæ. Ratio est, quia pontifex solet disponere de eiusmodi bonis, vt aliquando retineantur ab eo qui habet ea; hoc autem non faceret, si deberentur iure naturæ pauperibus. Respondeo *secundo*. Etiamsi darentur pauperibus; non tamen semper hoc modo fit restitutio domino. Nam fieri poterit, vt dominus peccato mortali

sit mortuus, quo casu nulla ad eum vtilitas potest peruenire: Respondeo *tertio*. Licet iure naturæ teneatur debitor restituere rem eo modo, quo vel ipsa, vel vtilitas temporalis ex ea possit ad dominum peruenire; non tamen iure naturæ tenetur curare, vt si vtilitas temporalis ad eum non perueniat, saltem proueniat vtilitas spiritualis, quia lege iustitiæ non tenetur damna temporalia compensare bonis spiritualibus, vt supra ostensum est. Hinc sequitur cessante lege positiuâ, vel consuetudine vim legis habente, non esse necessarium, vt bona incerta dentur pauperibus. Hinc vlterius infert *Petr. Nau. l. 4. c. 2. num. 47.* Ea quæ ex contractu debentur, posse tanquam ἀδέσποτα post diligentem inquisitionem retineri. Ratio est, quia lex positiua nihil de illis statuit, sed solum de ijs quæ debentur ex delicto: Neque constat consuetudinem esse in contrarium. Puto tamen tutius esse ea dare pauperibus propter communem piorum hominum praxim.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Si is qui hæc bona habet, verè pauper est, poterit ea tanquam vnus è numero pauperum sibi retinere. *Ita Sotus in 4. d. 15. quæst. 3. Caiet. quæst. 62. art. 5. & alij.* Ratio est, quia non debet esse peioris conditionis quam alij pauperes; præsertim, si non interceſſit ipsius culpa in re illa acquirenda, vel debito contrahendo. Quod si culpa interceſſit, meretur quidem ea re priuari, tamen paupertas est sufficiens ratio, cur possit illi per confessarium, aut etiam propriâ authoritate applicari. Non enim est necesse vt detur pauperiori, vel sanctiori, (quamuis id expediat) sed satis est vt detur pauperi titulo paupertatis; vbi autem illi res hoc modo applicata fuerit, non tenebitur postea ditior effectus alijs pauperibus restituere, quia titulo paupertatis legitimè illam sibi vendicauit, sicut etiam alij pauperes fecissent.

6. TERTIA CONCLVSIO. Si is qui hæc bona

habet, non est verè pauper, sed solum est pauper pro loco, vel tempore, tenebitur postea veris pauperibus ad restitutionem. Est communis. Ratio est, quia ex ordinatione Ecclesiæ, & consuetudine piorum, veris pauperibus sunt distribuenda. Pro loco pauper est, qui alibi bona habet. Pro tempore, qui nouit artem, vel industriã, qua facilè sibi cõparare potest necessaria ad statũ.

## Quæst. 45. *An inuenta, quæ incertum dominum habent, sint danda pauperibus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Probabile est inuentorem ea posse retinere, si post diligentem inquisitionem non fuerit inuentus eorum dominus. Ita *Dom. Sotus l. 5. quæst. 3. art. 3. ad 2. Et Petr. Nauarr. l. 4. c. 2. num. 75. vbi citat Medinam, & quosdam alios.* Ratio est, quia hæc bona hoc ipso, quod dominus eorum inueniri non potest, censentur ἀδέσποτα, ac proinde iure naturæ fiunt occupantis, sicut thesauri, & alia, quæ nullius sunt; nisi quod tacita quædam obligatio illis annexa sit, vt si dominus compareat, restituantur. Confirmatur, quia super huiusmodi bonis nunquam solet fieri compositio cum Pontifice, vt testatur Petr. Nauarr. quod signum est ea non esse necessariò in pios vsus eroganda.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Probabilius est huiusmodi bona pauperibus, vel alijs pijs operibus esse impendenda. *Primò.* Quia est communior sententia, quam sequitur D. Thom. *art. 5. ad 3. & alij passim Theologi, & Canonistæ. Secundo.* quia magis fauet pietati. *Tertio.* Quia est communis piorum consuetudo, quæ ex praxi communis sententiæ viguit vsque ad Dom. Sotum. *Quarto.* Quia hæc videtur esse voluntas dominorum, vt res ipsorum perditæ conferantur in pauperes.

Quæst. 46. *An acceptum ob turpem causam sit necessariò restituendum & cui?*

1. PRIMA OPINIO est, pro nullo opere, quod per se turpe, seu peccatum sit, vt est fornicatio, adulterium, homicidium posse aliquid accipi; & si quid sit acceptum, id esse necessario restituendum, nisi videatur gratis donatum. Ita *Medina C. de restit. quæst. 20. & 28. Idem aliquando seusit Nauarr. c. 17. num. 38. & seq.* Fundamentum est, quia peccatum est nullius pretij, vtpote nihil, teste Augustin, ac proindè prorsus inuendibile.

2. SECVNDA OPINIO est, pretium acceptum pro opere turpi, quod non sit contra iustitiam, non esse restituendum: secus verò, si sit contra iustitiam. Ita *Soto lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad 2.* Ratio est, quia acceptum pro opere debito ex iustitia, necessariò est restituendum, vt patebit ex seq. quæst. ergo etiam quod acceptum fuerit ex opere iniusto.

3. TERTIA OPINIO est, acceptum pro omni opere praua, quod legibus punitur, esse restituendum: secus vero de accepto pro opere, quod leges non puniunt. Ita *ferè omnes vtriusque iuris DD. quod refert Co- ad reg. peccatum. pag. 2. §. 2.* Ratio sumitur ex L. *Generaliter*, ff. *de verb. oblig.* & L. *pacta*, C. *de pactis*, vbi dicitur stipulationes, & pacta, quæ sunt contra bonos mores nullam vim habere. Vnde sequitur id, quod ex vi talium pactorum accipitur, seu stipulationum, non effici accipientis, ac proinde restituendum.

4. PRIMA CONCLVSIO. Si solum Ius naturæ spectetur, non teneris restituere quod accepisti ob turpem causam seu propter opus prauum, siue illud sit contra iustitiam, siue non, quando opus iam impletum est. Ita *D. Th. a. 5. ad 2.* vbi generatim docet posse retineri id quod propter opus malũ est acceptũ. Ratio est, quia si iure naturæ esset restituendũ, deberet restitui ei,

qui dedit, atqui huic non debet restitui, quia in accipiendo nullam ei feciſti iniuriam. Nam liberè & libenter tibi dedit, pro opere, quod tu facere non tenebaris. *Secundò.* Quia etſi opus malum non ſit æſtimabile pretio quatenus malum; eſt tamen æſtimabile quatenus eſt vtile, vel delectabile, vel laborioſum, vel periculoſum. Dixi *opere impleto*, quia ante opus impletum, teneris reſtituere, eò quòd opus, propter quod datur, debeat omitti.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Nec iure poſitiuo teneris reſtituere. Ita *D. Anton. p. 2. t. 2. c. 5. Angelus* v. *reſtitutio* §. *turpe*, Sylu. v. *reſtitutio*. 2. *Nauarr. c. 17. num. 30. & 36. & alij nonnulli.* Ratio eſt, quia leges ſupra citatæ & ſimiles, quæ pacta turpia & iniqua reſcindunt, non ideo reddunt irritam acquiſitionem rei ex tali cauſa, nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum eius rei dominium, ſed ſolum decernunt, vt ante opus patratum habeantur illa pacta inualida; & ne ex illis oriatur obligatio ciuilis, id eſt, ob quam poſſit in iudicio peti promiſſum, *vt docet Couarr. & Nauarr. ſuprà.*

6. DICES. Qui accipit aliquid ob maleficium, peccat, quia videtur illud approbare; ergo non poteſt accipere: ergo nec retinere. Reſpond. Accipere vel dare pretium ante maleficium patratum eſt peccatum, quia qui tunc dat, inducit ad maleficium, & qui accipit, ſpondet & promittit maleficium. Nam ſub tali conditione datur & accipitur. Dare autem vel accipere poſt maleficium patratum non eſt peccatum, quia tunc non datur vel accipitur, quod maleficiũ placeat, ſed ratione laboris, ſumptus, vel periculi ſuſcepti, vel ratione pacti oneroſi & fidei obligatæ, quod fieri poteſt cum perfecta criminis deteſtatione, & animo nunquam cõmittẽdi.

7. TERTIA CONCLVSIO. Etſi hæc ſententia verior ſit, tamen non eſt improbabile iure poſitiuo te-

neri te restituere id quod accepisti ob crimen legibus punibile, nisi censeatur donatum. *Primo*, quia ferè est communis peritorum sententia. *Secundò*, quia habet probabiles vtcumque rationes ex legibus petitas; sed tunc quæstio est cui debeat restitui. Plerique docent restituendum esse pauperibus. Ratio est, quia cum leges non velint illud restitui illi qui dedit, & induxit ad maleficium, neque possit retineri iuxta hanc sententiam, consequens est, vt in pias causas expendatur.

Quæst. 47. *An acceptum ob honestam causam ad quam tamen obligabaris debeat restitui?*

1. VErbi gratia, si des Petro aliquid, vt faciat, vel omittat, quod tenetur facere, vel omittere. An Petrus teneatur id restituere? Aliqui simpliciter affirmant vt *Medina q.* 26. *Nau. c.* 17. *n.* 34. *Couar. ad regul. Peccatum p.* 2. §. 3. Alij putant non teneri, nisi actio, vel omissio, fuerit debita ex iustitia.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si actio vel omissio sit debita ex iustitia, non potest pro ea quidquam exigi, & quod acceptum fuerit, est restituendum. Est communis. Ratio est, quia manifestè violatur æquitas, si pro eo quod iam ex iustitia est absolutè debitum, aliquid amplius exigatur vel accipiatur. *Secundo*. Quia id quod datur pro iustitia obtinenda, vel iniuria vitanda, non censetur dari sponte, sed coactè, & ex metu iniuriæ, proueniente ab eo, cui datur: ergo necessariò est restituendum, quia censetur per tacitam quandam iniuriam extortum. Hinc sequitur: *Primò*. Iudicem teneri restituere id quod accepit vt iustam sententiam ferret, intellige si datum est timore iniuriæ, aliàs non dandum. Secus si instar muneris liberalis, vt maiorem, quàm solet, & quam tenetur, adhibeat in mea causa diligentiã. *Secundo*. Sequitur testem debere restituere, quod accepit, vt verum testimonium diceret: Etsi enim non

semper ex iustitia teneatur testari, tamen si testari velit, tenetur ex iustitia testari veritatem, si tamen veritatis testimonium esset detrimentosum, posset aliquid exigere pro damno, vel periculo, quod metuitur. *Tertio*, Sequitur, nihil posse exigi pro reddendo depositio, vel commodato, vel inuento, vel pro soluendo debito; quod intellige de ipsa nuda redditione, nihil habente laboris, aut molestiæ. Secus si coniunctus sit labor, vel aliquid aliud pretio æstimabile. *Quarto*. Sequitur nihil etiam exigi posse, vt non fureris: non occidas: non detrahas: quia hæ omissiones ex iustitia sunt debitæ absque vllo pretio, & nihil sumptus vel laboris habent. Vnde L. 2. ff. *de condictione*, ob turpem causam, dicitur: *Iulianus scribit, si tibi dedero, ne hominem occidas, condici posse* (i. posse repeti)

3. Dices. Etsi talis omissio est debita, non tamen est debita in tui gratiam: ergo si quis tuâ causâ omittat aliquid, poterit ratione huius obsequij aliquid exigere & accipere. Dominicus Sotus *l. 4. q. 7. a. 2.* ob hoc argumẽtum concedit posse sic aliquid accipi; sed communis sententia est in contrarium. Ratio est, quia quãdo actio vel omissio secundum se est inuendibilis, etiam est inuendibile obsequium, quod fit in tui gratiam: alioquin etiam vsurarius posset aliquid exigere, quod in tui gratiam mutuum dat alteri; & collator beneficij quod tua causa huic conferat; & Iudex quod tua causa iustam sententiam ferat: tale enim obsequium, quando opus est absolutè debitum, nõ censetur dignum pretio apud homines, sed vt summum amicitia.

4. Secunda Conclusio. Si actio sit debita proximo ex charitate, non potest pro ea pretium exigi, nisi fortè sit laboriosa, vel sumptuosa; ita *Couarr. & Medina supra*. Ratio est, quia talis actio communi hominum iudicio non est pretio æstimabilis. *Secundo*. Quia cum valde interfit proximi vt illa fiat, si quid pro ea

det, censetur coactè dare. Hinc sequitur te nihil posse exigere, vt deponas ex animo odium mei, vel vt mihi indices furem qui res meas surripuit, vel locum vbi deposuit, si id sine labore, sumptu, periculo facere possis.

5. TERTIA CONCLVSIO. Quando aliquid datum est pro actione vel omissione, quæ tantum cedit in cõmodum accipientis, vel in honorem Dei, non necessariò est restituendum, sed potest retineri. *Ita Petr. Navar. l. 4. c. 2. n.* 100. Ratio est, quia tunc censetur liberaliter esse donatum ex causa, vel sub conditione: nemo enim ab alio emit actiones, vel omissiones liberas illi soli commodas, vel Deo honorificas, ad quas tenetur. Sed si quid pro illis offerat, vel det, censetur datum in bonum illius, vel ad honorem Dei, merè liberaliter. Hinc sequitur eum, qui aliquid accepit ab altero, vt fieret Christianus, vt confiteretur in paschate, vt non fornicaretur, non blasphemaret, posse retinere, nec teneri restituere, nisi repetatur in iudicio.

Qu. 48. *Quando restitutio facienda sit ratione contractus?*

1. NOTA *primo*. Contractus esse duplices. Alij sũt, per quos transfertur dominium vt venditio, permutatio, donatio, mutuum. Alij per quos non transfertur dominium, sed restraditur, vel ad aliquem vsum, vt commodatum, precarium, locatum, vel ad solam custodiam, vt depositum & pignus.

2. NOTA *secundo*. Alios referri in vtilitatem solius accipientis vt mutuum, donatio, commodatum, precarium: Alios in vtilitatem solius donantis, vt depositum; alios in vtilitatem vtriusque contrahentis, vt venditio, locatio, & pignus. Nam licet pignus immediatè fit ad securitatem debiti, ac proinde ad vtilitatem creditoris: quia tamen debitum necessariò præsupponit vtilitatem debitoris; ideò contractus pignoris censetur esse in vtilitatem vtriusque contrahentis. Fieri etiam

potest, vt in deposito detur aliquod pretium ratione custodiæ, & tunc etiam pertinet ad vtilitatem vtriusque.

3. NOTA *tertio*. In contractibus posse damnum dari ex triplici capite, nempe dolo, culpâ, & casu fortuito. Aliter autem accipitur culpa apud Iurisperitos: Aliter apud Theologos. Nam apud Theologos culpa idem est, quod peccatum, siue mortale, siue veniale: apud Iurisperitos verò est idem, quod omissio alicuius diligentiæ, ex qua sequitur aliquod incommodum. Diuidunt autem culpam in latam, latiorem, latissimam: leuem, & leuissimam. Culpa latissima, est dolus apertus. Latior, est dolus præsumptus. Est autem dolus quæuis calliditas, fallacia, & machinatio ad circumueniendum, fallendum, & decipiendum adhibita. Calliditas fit tacendo; fallacia mentiendo: machinatio arte verborum. Ita tradit Glossa L. 1. ff. *de dolo*, quam passim sequuntur DD. Culpa lata est omissio eius diligentiæ & circumspectionis, quam passim homines eiusdem conditionis adhibere solent, vt si quis librum commodatum relinquat foris ante ostium. Culpa leuis est omissio eius diligentiæ & circumspectionis, quam solent diligentiores illius artis vel professionis adhibere. Culpa leuissima est omissio diligentiæ, quam diligentissimi & prudentissimi viri adhibent. Vide Nauarr. *cap.* 17. *n.* 177. Sylu. *v. culpa in principio*.

4. His positis, quæstio est, an ex quauis culpa oriatur obligatio restituendi in contractibus. Dom. Sotus *l.* 2. *q.* 7. *a.* 2. putat solum oriri ex culpa mortali, ita vt si is cui res locata, commodata, vel oppignorata est, negligenter eam custodiat, & ipsa per eius negligentiam pereat, non teneatur ad restitutionem, nisi negligentia fuerit tanta, vt sit peccatum mortale coram DEO. Idem docet Emman. Sa. *v. Commodatum*, & *Henriq. de irregularit. cap.* 15. vbi dicit eos, qui contrarium tenent, esse limitandos, vt id locum habeat in foro exteriori tantum.

5. PRIMA CONCLVSIO. Si res apud cõmodatarium, vel conductorem pereat fortuitò, ad nullam ipse restitutionem tenetur, nisi aliter expressè sit conuentũ. Ita habetur c. *vnico, de cõmodato.* Ratio est, quia res quæque domino suo perit, si nulla interceſſit culpa vel pactio, ratione cuius teneatris ad damnum sarciendum.

6. NOTA tamen in tribus casibus teneri commodatarium de euentu fortuito, qui in illo capite exprimuntur. *Primo.* Si interceſſit pactum de restituendo, quomodocumque perierit, quod pactum semper potest exigere is, qui commodat gratis: non autem qui iusto pretio, quia supra iustum pretium nil potest exigi pretio æstimabile. *Secundo.* Si sit in mora restituendi, vt si tempore statuto non restituat, & postea pereat. *Tertiò.* Si ex culpâ data sit occasio casui fortuito, vt si non fis vsus re illa eo loco, quo conuentum est, sed alio, vbi erat maius periculum, ipsaque periit v. g. accepisti vtendum vas argenteum domi tuæ, & foras extulisti. *Vide Instit. quibus modis retrahitur obligatio §. Item is.*

7. SECVNDA CONCLVSIO. Si spectemus præcisè Ius naturæ, nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamsi apud ipsum sit ex contractu, nisi ob dolum, latam culpam. Ratio est, quia iure naturæ nemo tenetur maiorem diligentiam præstare in custodia rei commodatæ & conductæ, quàm in re propria, & quam ipse dominus adhibuisset, si apud ipsum mansisset; ergo si hæc diligentia sit præstita, si contingat rem perire, sine culpa peribit, ac proinde sine iniustitia. Atqui nemo tenetur iure naturæ in conscientia de damno dato, nisi iniustè datum sit: ergo cum hic nulla sit iniustitia commissa, non obligabitur in conscientia. Confirmatur *primo*, quia quando quis præstitit omnem diligentiam quam tenebatur præstare, tunc res censetur casu periisse. *Secundo.* Quia iure naturæ non minorem postulat custodiam precarium, quam commodatum (cum pre-

carium nihil aliud sit, quam commodatum ad tempus incertum, ad arbitrium domini) atqui precarium non requirit nisi custodiam communem, ita vt solum præstare debeas dolum & latam culpam, vt patet L. *contractus*, ff. *de reg. iuris*, & L. *Quæsitum est*, ff. *de Precario*.

8. Tertia Conclvsio. Spectato iure humano, si res alterius apud te sit per contractum, qui in tuam solius vtilitatem tendat, teneris non solum ex culpa lata, sed etiam ex leui, & leuissima: v. g. si gratis tibi commodaui librum, equum, vestem, tuâ causâ; teneris in ea re custodienda adhibere non solùm eam diligentiam, quam homines communiter in suis rebus similibus præstare solent, sed etiam quam diligentiores & quam diligentissimi. Probatur ex c. *Vnico de commodato*, vbi dicitur, cum gratia sui tantum quis accommodatum acceptat, de leuissima etiam culpa tenetur. Idem dicitur in L. *in rebus commodatis*, ff. *commodati*, vel contra. Ratio est, quia æquitas ita postulat, vt is qui gratis re alterius vtitur in suam vtilitatem, adhibeat summam diligentiam, ne domino pereat: id enim iure naturæ ex gratitudine præstare debet. Vnde sufficiens fuit fundamentum ad hoc lege sanciendum, & inducendam strictam obligationem.

9. Qvarta Conclvsio. Si contractus tantum cedat in commodum domini cuius ipsa res est, teneris solum ex dolo, vel lata culpa; non autem ex leuissimâ vel leui. Ita colligitur Institut. *quibus modis re contrahitur obligatio* §. *Præterea & is*, vbi dicitur depositarium, qui gratis rem depositam custodit, teneri solum ex dolo, vbi nomine doli etiam lata culpa comprehenditur, vt ibid. insinuat Glossa. Ratio est, quia æquitas postulat, vt tunc non tenearis maiorem custodiam præstare, quam passim homines in suis rebus solent, cum tibi nulla fiat gratia, nec tuum commodum spectetur, sed solius domini.

10. QVINTA CONCLVSIO. Si contractus cedat in vtilitatem vtriusque, teneris ex culpa lata & leui: non autem ex leuissima. Probatur ex *L. contractus*, ff. *de regulis iuris*, & Institut. §. *supra creditor*. Talis est contractus pignoris vt supra dixi. Vnde is qui pignus accepit, non tenetur, nisi ad exactam diligentiam in eo custodiendo, *Instit. supra*: non tamen ad exactissimam, vt ibidem probat glossa. Talis est etiam contractus conducti & locati, & præterea contractus depositi, quando datur pretium pro rei custodia. Ratio est, quia cum aliena res tibi concedatur in tuam vtilitatem, æquitas postulat, vt valdè diligenter eam custodias, non tamen diligentissimè, quia non tua solius causa, sed etiam ob commodum domini traditur.

11. QVÆRES. An hæ leges obligent in conscientia ante sententiam Iudicis ad resarciendum damnum ex culpa leui vel leuissima datum. Negat Sotus, quia putat esse leges pœnales, & procedere ex præsumptione culpæ interioris. Alij affirmant, vt *Couarr. in epist. 4. decret. p. 2. c. 6. §. 6. nu. 15. Nau. cap. 17. n. 84.* Respond. *primo*, Probabile est non obligare ante sententiam Iudicis, non quod hæ leges pœnales sint, cùm restitutio non sit pœna, sed quod in foro conscientiæ non videantur receptæ: nemo enim est, qui pignori vel rei conductæ putet se maiorem custodiam debere ex iustitia, quàm dominus ipse adhibere solet. Idem videtur de commodato. Nam etsi maiori cura hoc custodiat, quam dominus, non tamen id facit quod putet se teneri ex iustitia, sed tantum ex gratitudine. Respond. *secundo*. Contraria sententia est communior, ac proinde ordinariè in praxi seruanda. Ratio est, quia istæ leges sanciunt id, quod naturali æquitati est consentaneum circa rem alienam, quam ex contractu apud nos habemus: ergo qui facit talem contractum, implicitè se obligat ad præstandam eam diligentiam, quam leges illæ

requirunt: ergo si hanc diligentiam non præstet, tenebitur ad restitutionem.

*De ordine in restitutione seruando.*

QVando bona debitoris sufficiunt in solutionem omnibus creditoribus, tunc nō opus est vllo ordine. Nam omnibus integrè est satisfaciendum, sed tum demùm certus ordo seruandus est, quando non sufficiunt.

Quæst. 49. *An debita certa sint prius soluenda quam incerta?*

1. DEbitum *tribus* modis dicitur incertum. *Primo.* Si non constat, an debeas, necne, & tunc non est necessaria restitutio, quia melior est conditio possidentis. *Secundo.* Si constat quidem rem deberi, sed dubitas, cui ex duobus vel tribus debeatur; & tunc si dubium est æquale, res æqualiter est inter eos diuidenda, si inæquale maior pars debetur ei, de quo est minus dubium. *Tertio.* Si constat quidem rem deberi, sed nescitur cur, vel quibus ex tota multitudine debeatur. De hoc hic quæstio est.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si res quæ incertum habet dominum in specie sua est aliena, vt equus, vestis, torques, tunc primo loco est restituenda non certis creditoribus: sed iis, quibus incerta restitui solent, nempe pauperibus, quamuis nihil aliud supersit, quod creditoribus restitui possit. Est communis Ratio, quia creditoribus debet satisfieri ex propriis bonis, non alienis. Itaque hæc omnia sunt segreganda à bonis debitoris, & in pios vsus eroganda.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si autem res ipsæ non sint in sua specie alienæ, tunc ex iis prius facienda est restitutio certorum debitorum, quàm incertorum. Est communis. Difficultas autem est, quænam sit huius ratio. Qui putant incerta iure naturæ pauperibus esse danda, valdè laborant in assignanda ratione, nec vllam afferunt,

afferunt, quæ omnino satisfaciat; sed iuxta nostram sententiam non est difficile. Ratio ergo est, quia iure naturæ tenetur debitor ex iustitia soluere creditoribus certis, etiamsi nulla lex positiua id iuberet, idque de bonis suis, quorum dominium habet: non tamen iure naturæ de his bonis tenetur, soluere creditoribus incertis, quia his ipsis solutio fieri non potest. Quod eorum loco teneatur pauperibus, id solum iure positiuo constitutum est, quod Ius locum non habet, quando certi creditores extant.

Quæst. 50. *An inter creditores certos, prius soluendum sit venditori, cui pretium nondum est solutum, re vendita adhuc extante?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si res, quæ fuerat vendita, fuerit Ecclesiæ, vel fisci, vel minoris, & adhuc extet inter bona debitoris: ante omnia soluendum est pro ea pretium iustum, vel certè res ipsa est restituenda. Ratio est, quia talis rei non est transtatum dominium per conuentionem mutuam, & secutam traditionem, nisi reipsa persoluatur pretium, vt docet Angelus v. *emptionum.* 4 Sylu. *ibid. n.* 2. Bartholus in L. *Diuo Pio*, ff *de rei vindicat.* Panorm. in c. *cùm olim*, de officio delegati; vt colligitur ex *L. si curator*, ff *de iure fisci, iuncta Glossa.* Vnde sequitur talem rem vbicumque extiterit, etiamsi alijs vendita fuerit, posse vindicari.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si res alicuius alterius vendita fuerit tali debitori, & ille nec pignus, nec fideiussorem dederit, nec pretium in præsenti obtulerit, nec venditor illud pro soluto habuerit fidens emptori, tum vel pretium ante omnia soluendum est, vel res restituendo venditori. Ratio, quia iure communi in hoc casu nondum censetur transtatum dominium, etsi res tradita fuerit. Instit. *de rerum diuisione*, §. *Venditæ.* Vbi dicitur, venditæ verò res & traditæ non aliter emptori acquirantur, quam si is venditori pretium

soluerit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissore, aut pignore dato. Idem habetur L. *Quod vendidi, ff. de contrahenda emptione.* Vnde sequitur rem talem vbicumque extiterit vindicari posse, ni pretium solutum fuerit, vt dicitur L. *procuratoris ff. de tributoria actione.*

3. DICES. In eodem §. Instit. *de rerum diuisione* dicitur. *Sed si is qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem emptoris fieri:* semper autem videtur fidem emptoris sequi, quando ei credit absque fideiussore, vel pignore: ergo tunc semper transfertur dominium. Respond. Tunc tantùm censetur sequi fidem emptoris, quando ipsius nuda promissione est contentus; perinde ac si pretium esset solutum, quod Vlpianus in L. *procuratoris* ait, in creditum abire, & Pomponius in L. *Quod vendidi*, fidem habere emptori sine vlla satisfactione.

4. QVÆRES. An ergo tunc venditor non habeat Ius prælationis? Non habere docet *Couar. l. 1. variar. resol. cap. 7. num. 3. Petr. Nau. l. 4. c. 4. num. 39. Molina disp. 536.* Probatur *primo*, quia illa res non est amplius vēditoris, cum translatum sit dominium, vt suppono; neque manet illi obnoxia iure hypothecæ. Nam neque iure naturali, neque iure positiuo constituta est in tali re hypotheca. Nō iure naturali, quia hoc iure nulla inducitur tacita hypotheca. Quando enim contrahentes pacto expresso non obligant rem solutione; tunc iure naturali non censetur obligata priori domino, cum eius dominium perfectè in alium transierit; non secus, ac si solutio in præsentia esset facta. Non etiam iure positiuo, quia in toto iure Cæsareo non reperitur vlla lex, quæ in tali re constituat hypothecam. *Secundo.* Si emptor ille alteri rem venderet, prior venditor non posset eam vindicare: ergo non erat ipsi hypotheca. *Tertio.* Quia neque expressa hypotheca ex conuentione contrahentium

potest in emptione sic constitui, vt venditor habeat Ius prælationis, præ aliis hypothecis iure positiuo constitutis. Nam contrahentes non possunt suo consensu efficere, vt is qui iure ciuili, vel municipali, habet ius prælationis, debeat postponi, vt verbi gratia, si emi à te domum, vel nauim, & postea ad eius reparationem accipiam ab alio pecuniam mutuam, hic tibi præferetur in solutione, quia iure positiuo habet Ius prælationis, etiam respectu præcedentium hypothecarum. Ex his videtur sequi venditorem esse numerandum inter creditores hypotheca carentes, ac proinde omnibus hypothecam habentibus esse postponendum. Hæc sententia est probabilis, nihilominus contraria videtur magis æquitati consentanea: nempè venditorem, si ab emptore fideiussorem, vel pignus non acceperit, & res adhuc apud emptorem extet, in ea re cæteris esse præferendum, ita vt vel pretium ei soluendum sit, vel res ipsa restituenda. Ita Caiet. v. *restitutio*, cap. 8. Sylu. v. *restitutio* 6. quæst. 5 Fumus *eodem* v. num. 36. Medina C. *de restitutione* quæst. 2. *Nauarr. c.* 17. *num.* 49. *& alij plures apud Syluest.* Probatur *primo*, quia valdè durum est & ab æquitate naturali valdè alienum, vt res mea, quam à me empti, non soluto pretio, extans in sua specie aliis affigatur, & ego re mea simul & pretio frauder. Supposito enim iure humano statim iudicio naturali, quiuis censeret, æquitatis esse, vt venditori res sua restituatur, si emptor soluendo non sit, quam vt detur alteri. *Secundo.* Si tibi locaui meam domum, inuecta & illata in eam manent obligata pignori pro pensionibus annuis, & damnis in domum datis, vt habetur L. 2. *ff. ex quibus causis pignus vel hypotheca tacita contrahatur*: ergo argumento à potiori etiam res vendita manet obligata pro pretio.

7. Ad *Primum* argumentum in contrarium. Respondeo. Etsi iure naturæ, seu gentiũ, non contrahatur vlla

hypotheca perfecta, qualis iure positiuo: nempè in quam retineant ius apud quemcunque extet: benè tamen potest contrahi imperfecta, & inchoata, in quam retineatur ius, quamdiu extat apud emptorem. Talem videtur habere venditor in re empta, vt dictum est, si tamen emptor alteri vendat, non manet amplius obligata, sicut nec pretium pro ea acceptum. Ad *secundum*. Inde tantum sequitur, non esse hypothecam perfectam, quales sunt omnes hypothecæ speciales iure positiuo constitutæ. Ad *tertium*. Inde solum probatur aliquam hypothecam huic præferendam; nempè eam, quæ constituta est ratione mutui accepti ad rei instaurationem, secus de aliis.

Quæst. 51. *An debita ex delicto præferenda sint debitis ex iusto contractu?*

1. ALiqui putant præferenda esse, nisi fortè in contractu interuenerit hypotheca; & quo delictū fuit maius, eò quoque priorem debere restitutionem fieri. Ita Medina *C. de restitutione quæst. 2. Salon. quæst. 62. art. 8. in fine. D. Thom. opusc. 73. c. 18.* Vnde post hypothecas. *Primo*. Restituendum est debitum ex rapina. *Secundo*. Ex furto. *Tertio*. Ex vsuris. *Quarto*. Ex contractu oneroso vt ex mutua emptione: *Quinto*. Ex contractu gratuito, vt ex legato, promissione non completa. Ratio est, quia illa debita sunt prius soluenda quæ cum maiori iniuria & peccato sunt contracta. Alij contrarium docent, nempè, prius soluenda esse debita ex contracta iusto oneroso quam ex delicto nisi forte res ex delicto parta in specie sit aliena. Ita Caiet. v. *restitut. c. 8. Nauarr. cap. 17. num. 52.*

2. Conclvsio. Probabilius est nullum esse ordinem inter hæc debita, sed ea tali iure censeri, & esse debita personalia, sine iure prælationis: præsertim si res ex contractu accepta apud debitorem non extet. Ita Sylu. v. *restit. 6. quæst. 5. Petr. Nauar. l. 4. c. 4. num. 41. &*

alij recentiores. Probatur *primo*, quia neque iure positiuo aliquid de hac re cautum est, neque vlla ratio sufficiens afferri potest, qua probetur, Ius naturæ postulare, vt alterum debitum alteri præponatur: ergo sunt paria. *Secundo.* Quia etsi maior fiat iniuria per rapinam, quàm per furtum, tamen postea, dum quis non vult restituere, est eadem iniustitia in ipsa rei detentione: eiusdem enim speciei peccatum est, non soluere debitum ex rapina & furto, quia æquè fit inuito domino. Quamuis enim in rapina sit maior iniuria; non tamen est maius damnum, ac proindè nec maior obligatio restituendi.

Quæst. 52. *Quis ordo seruandus sit in solutione certorum debitorum?*

1. REstituenda sunt *primo* ea, quorum dominium non fuit translatum in debitorem. *Secundo*, soluendum pro moderatis expensis funeris debitoris, L. *penult.* ff. *de religiosis & sumptibus funeris. Tertio* soluendum iis, qui habent hypothecam (quantum ea se extendit) ante alios qui non habent L. *eos*, C. *qui potiores in pignore.* Ratio, quia hypotheca datur creditori ad securitatem, vt in omni euentu possit ex ea curare sibi satisfieri. *Quarto*, inter hypothecarios creditores, soluendum est iis, qui tempore sunt priores iuxta illam regulam iuris: qui prior est tempore potior est iure, quæ intelligenda est de iis, qui in eadem re habent hypothecam, vt docet Sylu. v. *restitutio* 6. quæst. 5. & colligitur ex variis LL. C. *qui potiores in pignore.* Estque generaliter vera, siue hypotheca sit tacita, siue expressa: siue generalis, siue specialis; exceptis quibusdam casibus, de quibus Iurecons. *Quinto* post eos, qui habent hypothecam, si quid supersit, soluendum creditoribus personalibus, id est qui nõ habent vllam rem debitoris sibi immediatè obligatam, sed solam personam. Inter hos primo loco soluendũ iis, qui habẽt personale priuilegium prælationis absque hypotheca, quale habet spõsa de fu-

turo in bonis sponsi, ratione dotis traditæ non secuto matrimonio. *Secundò*. Soluendum cæteris creditoribus Chirographariis ex titulo oneroso, vnicuique pro rata nõ habita ratione temporis prioris, vel posterioris, quo debitum est contractum. *Tertio*. Soluendum creditoribus ex titulo gratuito, vt si defunctus alicui piæ causæ aliquid vouerat. *Quartò*. Reliqua erunt pro hæredibus, & legatariis, ita tamen vt hæredes præcedant legatarios ad suam legitimam obtinendam, si sint hæredes necessarij, vel ad quartam bonorum, quæ dicitur falcidia, si non necessarij.

2. QVÆRES *primo*. An inter creditores personales cæteris paribus præferri possit is, qui prius exigit solutionem debiti. Affirmant *Nauarr. cap. 17. num. 52.* & Sylu. v. *restitutio 6.* quæst. 8. & colligitur ex L. *pupillus*, ff. *Quæ in fraudem credit*. Ratio, quia diligentia posterioris creditoris fecit eum potiorem, sicut hypothecæ, vel priuilegium, vt dicitur *in prædicta L.* Vnde sequitur creditorem posse petere integrum debitum, quando timet debitorem non fore omnibus soluendo, & retinere, vbi acceperit.

3. QVÆRES *secundo*. An cæteris paribus præferendi sint pauperes ditioribus? Affirmat *Medina, & Salonius suprà*. Alij rectius negant, quia pauper neque iure positiuo habet Ius prælationis, vt patet: neque iure naturali, nisi fortè sit in extrema, vel graui necessitate, ita vt charitas obliget illi subuenire, tunc enim creditor diues meritò pati debet suum debitum differri, vel nunquam solui, vt alteri par Ius habenti in tali necessitate consulatur.

Quæst. 53. *Quo loco, & cuius expensis faciendæ sit restitutio?*

1. SVppono ex dictis obligationem restitutionis nasci. *Primò*. Ex iniusta acceptione. *Secundo*. Ex re accepta. *Tertio*. Ex contractu.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si debitum sit ex in-

iusta acceptione, restitutio facienda est expensis debitoris, idque eo loco, vbi dominus rem suam possessurus erat, nisi ablata fuisset. Ita *Caiet. art. 5. ad 3. Sotus l. 4. q. 7. art. 1. ad 3.* Medina C. *de restit.* quæst. 2. Ratio est, quia ex eo quod dominus rem suam amiserit debitoris iniquitate, non debet vllum damnum sentire: ergo restitutio non debet fieri ipsius expensis, sed debitoris, qui sibi imputet, quod eas subire cogatur.

3. DICES. Ergo tenetur ad amplius, quam ad rei ablatæ, seu damni illati compensationem. Respondeo. Verum est ad amplius teneri, quam damnum secundum se consideratum æstimetur, non quidem vt dominus inde plus accipiat commodi, quàm accepit detrimenti, sed quia id est medium necessarium, vt fiat restitutio.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Quæ debentur solum ratione rei acceptæ, restituenda sunt in loco vbi habetur, nec teneris eam mittere domino expensis tuis, sed domini, vt si bona fide emeris rem à fure. Ratio est, quia cum tuo damno non teneris domino rem suam restituere, cùm eam non iniustè acceperis, sed solum teneris ad eius custodiam, monito interim domino, quomodo velit eam sibi transmitti, qua in re non teneris vllos sumptus ferre.

5. TERTIA CONCLVSIO. Quæ debentur ex contractu sunt triplicia: vel enim debet restitui idem numero, vt depositum, commodatum, pignus: vel debet restitui quid distinctum, quod pro alio commutatur, vt in mutuo, vēditione, locatione: vel debet restitui id, pro quo nihil accipitur, vt in promissione, donatione, testamento, legato. Hoc posito dico *primò*. Quando ex contractu res eadem numero est restituenda, si in alterius tantum partis vtilitatem accepta sit, debet eius expensis restitui, idque eo loco, vbi fuit tradita, nisi aliter iusta aliqua pactione conuentum sit. Dico *Secundo*. Quando

ex contractu pro re accepta restituenda est alia, restitutio ex natura contractus non quouis loco fieri potest, sed ibi facienda est, vbi res, pro qua datur, est accepta, secundum quem locum etiam res quæ datur, æstimanda est. Possunt tamen contrahentes de alio loco solutionis pacisci. Dico *tertio*. Quæ debentur ratione donationis, legationis, testamenti, reddenda sunt in loco, vbi erant cum donarentur, nisi aliud in ipsa dispositione expressum fuerit, ac proinde expensis eius cui donata sunt.

Quæst. 54. *Quæ causæ excusent à restitutione?*

1. IOannes Medina L. *de restitutione* quæst. 3. numerat 12. causas à restitutione excusantes. *Prima*. Est Inopia debitoris. *Secunda*. Remissio creditoris. *Tertia*. Cessio bonorum. *Quarta*. Damnum quod verisimiliter putatur creditori, vel Reipub. vel alicui alteri obuenturum. *Quinta*. Solutio facta creditori tui creditoris. *Sexta*. Rei debitæ interitus. *Septima*. Iuris & Iudicis authoritas. *Octaua* Religionis ingressus. *Nona*. Excommunicatio creditoris. *Decima*. Incertitudo creditorum. *Vndecima*. Dispensatio, vel compositio cum Papa. *Duodecima*. Compensatio.

2. QVÆRES *primo*. Quæ inopia excuset debitorem à restitutione. Respondeo *primo*. Extrema & grauis necessitas excusat, quamdiu durat. *Secundo*. Transacta necessitate, si res adhuc extat, teneris eam restituere: si consumpta est, teneris rependere, si commodè potes, si fuit magni pretij, si non putetur donata. *Tertio*, excusat etiam à restitutione statim facienda. *Primo* periculum magnum salutis animæ tuæ vel tuorum, vt si periculum sit, ne vxor vel filiæ præ inopia se prostituant, ne filij fiant latrones, ne ipse in desperationem incidas. *Secundo* magnum detrimentum in rebus non debitis, vt si non possis statim soluere creditori, nisi domum vel prædium aliquod vendas multo minoris, quam valeat

*Tertio*, notabilis iactura decentiæ status, vt si vir nobilis non posset statim soluere, nisi priuet se omni obsequio famulorum & equorum. *Vide Anton. 2. pag. tit. 2. c. 8. & Nauarr. cap. 17. num. 57.*

3. QVÆRES *Secundo*. An remissio creditoris excuset. Respondeo. Excusat seruatis his tribus conditionibus. *Prima*, vt hæc remissio sit omnino libera, non extorta metu vel fraude. *Secũda*, vt possit remittere: nemo autem potest remittere, nisi qui donare. Vnde paterna debita non potest filiusfamilias remittere, sicut nec vxor mariti. *Tertia*, vt remissio non fiat in casibus iure exceptis, qui sunt quatuor. *Primus* est, si Episcopus visitans Ecclesias, aliquid accipiat ab eis præter sumptus, qui necessarij sunt ad victum illis diebus, quibus visitat: tunc enim tenetur ad restitutionem intra mensem, & quidem in duplum: etiam si ei libera fiat remissio à dantibus, c. *exigit, de censibus & exactionibus. Secundus* est, si Iudex delegatus aliquid recepit à partibus, nisi fortè esculenta aut poculenta liberaliter oblata, quæ paucis diebus possint consumi: vel si dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plus, quàm moderatas expensas: vel denique si aliquid acceperit, quando partes sunt notabiliter pauperes: tunc enim non obstante quauis remissione tenetur restituere, vt patet c. *statutum*, de rescriptis in 6. *Tertius* est, si inquisitores prætextu officij inquisitionis pecunias extorserint. Has enim tenentur restituere nullis priuilegiis pactis vel remissionibus super hoc valituris, vt habetur Clementina *Nolentes*, de hæreticis in 6. *Quartus* est, si Canonicus, qui officio non interest, accipiat distributiones, tenetur restituere, nec prodest remissio cæterorum, quibus illæ accrescunt, *vt habetur in Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de reform.*

4. QVÆRES *tertio*. An cessio bonorum excuset à solutione. Respondeo *primo*. In foro conscientiæ non

magis excusat, quàm necessitas sine cessione excusaret. *Ita Nauarr. c. 17. num. 86.* Ratio est, quia in hac cessione tantum conceduntur alimenta necessaria, vt patet L. *Qui bonis* ff. *de cessione bonorum.* Atqui hæc etiam absque cessione retineri possunt iure naturæ & gentium: non enim tenetur debitor se spoliare necessarijs alimentis, ita vt cogatur mendicare. Respondeo *secundo*, in foro tamen exteriori cessio ad hoc iuuat, ne debitor possit coniici in carcerem. L. 1. *Qui bonis cedere possunt.* Item ne si post cessionem aliquid acquirat, ei possit auferri, quando est necessarium ad suam vel suorum sustentationem. *L. is qui bonis*, ff. *de cessione bonorum*, & §. *vlt.* inst. *de actionibus.* Resp. *tertio.* Qui bonis cesserunt, si post ad lautiorem fortunam peruenerint, tenentur integrè satisfacere. L. *cum & filius fam.* C. *Qui bonis cedere possunt*, & §. *vlt.* Instit. *de action.* Ratio est, quia per cessionem non fuit extinctum, sed consopitum debitum.

5. QVÆRES *quarto.* An si restitutio putetur creditori nocitura possit differri. Resp. *primo*, potest differri, quia qui differt solutionem, vt creditorem ab imminenti malo auocet, vtiliter & salubriter eius negotium gerit: ergo nõ potest iure id ægrè ferre. *Secundo*, aliquãdo debet differri lege charitatis, vt si creditor repetat rem suã, vt insumat in libidines, vel vt emat beneficia, & dilata solutione spes sit, malum illud impediẽdũ: tũc enim ex charitate teneor differre, nisi inde aliquod notabile incommodum timeatur. *Tertio*, aliquando etiam debet differri lege iustitiæ, vt si quis furens iracundia in inimicum reposcat depositum gladium: tunc enim reddere esset propinquè cooperari. L. *si pignore*, ff. *de furtis.*

6. QVÆRES *quinto.* An si id quod tibi debeo, soluam tuo creditori, liberer à restitutione tibi faciẽda? Respondeo liberor in foro cõscientię, si mihi cõstet, te illi debere. Ratio est, quia dum soluo tuo creditori id quo

cui debes tantundem, transfero in me ius, quod in te habebat, ad exigendum à te 100. Ergo si tibi tantundem debeam, possum vti compensatione. Dixi *in conscientia*, quia secundum Bartolum cogor in foro externo tibi soluere, nisi res debita, quam restituo tuo creditori, sit illi obligata, vt si conduxit à te domum, quam tu conduxisti ab illo: vel nisi mea causa factus sis illi debitor, vt si gerens mea negotia mutuum acceperis.

7. QVÆRES *sexto*. An interitus rei debitæ excuset. Respondeo *Primo*, si res quam debes restituere, sit in specie aliena, excusaris eius interitu, si non intercessit tua culpa, vel mora, vel pactum: secus vero si aliquid horum intercessit, nec si similiter fuisset peritura apud Dominum. *Secundo*, si res non sit in specie aliena, sed tua, eius interitus te non excusat, vt si pecunia destinata solutioni furripiatur. Ratio est, quia res domino suo perit.

8. QVÆRES *septimo*. An iuris, vel Iudicis authoritas excuset à restitutione. Respondeo. Excusat in quibusdam casibus. *Primo*, quando res legitimè est præscripta, vel vsucapta: tunc enim authoritas legis transfert dominium in eum, qui præscripsit, vel vsucepit. *Secundò*. Quando Iudex in pœnam delicti per sententiam imponit creditori mulctam in fauorem debitoris. *Tertio*. Quando Iudex ex auctoritate legum, & naturali æquitate, aliquid alicui adiudicat, quod aliàs non deberetur ex rigore iustitiæ: tunc enim is non tenetur restituere. *Quarto*, quando quis per sententiam Iudicis priuatus est beneficio, officio, vel hæreditate: is qui postea hæc obtinet, non tenetur restituere, etiamsi priuatim sciat, alterum fuisse innocentem, modo ipse non fuerit causa falsa illius sententiæ.

9. QVÆRES *octauo*. An ingressus in Religionem excuset à restitutione. Respond. *primo*. Qui debet

aliquid extans in specie, non potest omissa restitutione Religionem ingredi. *Secundò*, qui debet aliquid alio modo, si possit breui tempore & consueto labore satisfacere creditoribus, tenetur aliquantisper differre ingressum, vt illis satisfaciat. *Tertio*, si opus esset longo tempore, vel insolitis laboribus, non teneretur expectare, sed relinquendo omnia sua creditoribus, poterit Religionem ingredi. *Vide Petr. Nauarr. cap. 4. num. 94.*

10. QVÆRES *nono*. An excommunicatio creditoris liberet à restitutione. Respondeo *primo*. Probabile est restitutionem posse differri, donec creditor qui excommunicatus est, Ecclesiæ reconcilietur. Ita *Adria. Felinus, Panorm. Et quidam alij apud Couarr. in reg. Peccatum pag. 1. num. 8.* & colligitur ex c. *Nos sanctorum* 15. *quæst. 6.* & ex c. *sequenti*, ibid. Ratio est, quia excommunicati sunt vitandi in omni commercio humano. Respondeo *secundo*. Probabilius est etiamsi creditor sit nominatim excommunicatus, non ideo differri posse restitutionem. Ita *Couarr. supra, & plerique alij*. Ratio est, quia neque iure diuino neque humano liberatur debitor à restitutione statim facienda post elapsum terminum. Non diuino, quia nullum tale ius reperitur: immo & Ethnicis & publicanis soluenda sunt iure diuino, vt colligitur *ex Apost. Rom* 13. Nec humano, quia canones citati non loquuntur de debito pecuniario, sed fidelitatis & obsequij. Respondeo *tertio*. Si tamen excommunicatus repetat debitum in iudicio, potest à debitore repelli c. *pia de exceptionibus* in 6.

11. QVÆRES *decimo*. An incertitudo creditorum excuset à restitutione. Respondeo. Non omninò excusat, quia in tali casu restitutio facienda est pauperibus.

12. QVÆRES *vndecimo*. An dispensatio vel compositio cum Papa excuset? Respondeo *primo*, excusat, quando creditores sunt incerti, quia tunc restitutio fa-

cienda est pauperibus, iure tantum positiuo, in quo potest Pontifex dispensare. *Secundo*, quando creditores sunt noti, non potest Pontifex te liberare à restitutione, nisi legitima causa subsit; vt v. g. in pœnam creditoris.

13. QVÆRES *duodecimo*. An compensatio excuset. Respondeo. Excusat, tum eum, qui compensatione vsus est ne cogatur restituere id quod compensationis causa alteri subtraxit: tum eum, contra quem vsus est, ne rursus cogatur soluere.

## QVÆSTIO LXIII.

### *De acceptione personarum.*

1. HIc incipit D. Thom. agere de vitiis oppositis Iustitiæ: & primo de vitio acceptionis personarum, quæ opponitur distributiuæ.

2. PRIMA CONCLVSIO. Acceptio personarum est, quando in distributione bonorum omnium non respicitur causa, sed persona, id est, aliqua personæ conditio nihil ad prædictam distributionem faciens, ob quam is qui minus dignus est, præfertur digniori; vt si aliquis Prælatus conferat beneficium indigno, vel minus digno, quia amicus, aut consanguineus eius est. Item si Iudex sententiam ferat pro amico, non pro eo qui ius habet.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc acceptio locum habet *Primo*, in collatione beneficiorum, & in electione, & præsentatione ad illa. *Secundo*, in conferendis officijs secularibus, vt officio prætoris, Consulis, Consiliarij, Quæstoris. *Tertiò*, in oneribus distribuendis: hæc enim iusta proportione distribui debent, ne pauperes magis grauentur, quàm diuites. *Quarto*, in exhibendo honore & reuerentia; vt si quis in publico cõsessu, aut mensa, alicui non assignet locum qui ei ratione eruditionis, vel gradus debetur. *Quinto*, in distributione iuris, quam habet Iudex dum partibus ius dicit:

Etsi enim ius dicere sit actus Iustitiæ commutatiuæ, quatenus ex officio est debitum: tamen quatenus fit inter duos, habet modum Iustitiæ distributiuæ. Ius enim est quoddam bonum commune distribuendum partibus: in huius ergo distributione, si Iudex respiciat aliquid præter causarum merita, committit peccatum acceptionis personarum, quod ei sæpe prohibetur in Scripturis, vt Leuit. 19. v. 15. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis; iustè iudica proximo tuo.* Prou. 18. v. 5. *Accipere personam in iudicio, non est bonum.*

4. Tertia Conclvsio. Apud Deum non est acceptio personarum, etiamsi dona sua non æqualiter inter homines distribuat. *Primò*, quia acceptio personarum habet tantum locum in distributione bonorum, quæ debita sunt: non autem in communicatione gratuitorum. *Secundo*, quia Deus in hac distributione non præfert indignum digno ob aliquam conditionem in homine existentem, quæ nihil ad distributionem faciat: etsi enim interdum minus dignos maioribus auxilijs præueniat, id facit ob iustissimas causas, nempe, vt ostendat se gratis dare, & nemini se esse debitorem horum donorum.

5. Qvarta Conclvsio. Acceptio personarum est peccatum iniustitiæ ex genere suo mortale, quia fit cum iniuria proximi: potest tamen esse veniale ex paruitate materiæ, vt si in re parui momenti præferatur minus dignus digniori: vel si non sit magnum discrimen inter minus dignum & digniorem.

## QVÆSTIO LXIV.

*De Homicidio.*

Deinceps agit de vitiis, quæ opponuntur Iustitiæ commutatiuæ, vt est homicidium, mutilatio, furtum, de quibus ordine dicendum est.

Quæst. 1. *An liceat occidere plantas & animalia?*

1. NEgarunt olim Manichæi, eò quòd putarẽt omnes animas esse quasdam Dei particulas, vt refert *D. Aug. lib. 6. contra Faustum c. 6. & 8. & lib. de hæres. cap. 46.* Vnde inferebant statum agricolarum peiorem esse quàm vsurariorum, in quo errore fuit August. per 9. annos, *vt ipse 3. confess. cap. 10. & 11. deplorat.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Ex fide certum est homines in suos vsus posse plantas & animantia interimere. Genes. 1. v. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, vt sit vobis in escam,* & cap. 9. v. 3. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Luc. 22. vers. 8. *Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.* Ratio est, quia homo naturaliter est dominus omnium inferiorum, iuxta illud Gen. 1. v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ sunt supra terram:* ergo potest eas in suum vsum conuertere. Confirmatur, quia venatio iure naturali est licita, vt *docet Arist. 1. Polit. 5. Diu. Thom. 1. pag. qu. 96. art. 1.* ergo licitum est occidere feras & animalia syluestria.

3. DICES. Aug. in Psalm. 102. negat venationem esse licitam, & refertur apud Gratianum d. 36. c. *Qui venatoribus.* Resp. Augustinus non loquitur de quacunque venatione, sed de periculosa, quæ per certamen cum feris solet institui ad spectacula.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Et si liceat animalia occidere; abstinendum tamen à crudelitate, ne sine causa doloribus conficiantur. Hinc Prouerb. 12. vers. 10. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Exod. 23. v. 12. *Sex diebus operaberis, & 7. die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus.* Deuter. 22. v. 10. *Non arabis simul in boue & asino, ne videlicet totum iugum decidat in asinum, cum sit minor;* & cap. 25. v. 4. *Non alligabis os boui trituranti.* Nec obstat,

quod Apost. 1. Corinth. 9. v. 9. hunc locum afferens, dicat: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Vult enim dicere hoc non esse principaliter scriptum propter boues, sed propter homines; secundariò tamen etiam propter boues, vt cum ratione tractentur. Hinc patet posse committi peccatum saltem veniale in necandis animalibus. Est enim abusus quidam potestatis herilis & dominij.

Quæst. 2. *An liceat occidere hominem?*

1. Dicam hic de occisione alterius, postea de occisione sui ipsius.

2. Prima Conclvsio. Ex fide certum est, aliquam hominis occisionem esse illicitam & prohibitam. Gen. 9. v. 6. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius*; ad imaginem quippe Dei factus est homo. Et Exodi 20. vers. 13. *Non occides.* & 1. Ioan. 3. v. 15. *Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Ratio est, quia quilibet homo ratione suæ libertatis per se loquendo habet ius conseruandi suam vitam, & vtendi suis potentijs: hoc autem ius violatur per occisionem: ergo qui occidit hominem, facit illi iniuriam, & peccat contra Iustitiam commutatiuam. Idem dici potest de Repub. & Deo qui habent etiam ius ad vitam singulorum subditorum. Vnde non solum iniuria fit homini, qui occiditur, sed etiam Deo & Reipub.

3. Secvnda Conclvsio. Æquè certum est aliquam hominis occisionem esse licitam. Nam malefici, adulteri, blasphemi & multi alij possunt licitè occidi, vt exseqq. patebit.

4. Qværes. Vnde constet quæ occisio sit licita & quæ illicita. Respond. ex hoc principio naturali, quod quilibet homo habeat ius conseruandi suam vitam & vtendi suis potentiis: Hinc enim sequitur occisionem hominis, tunc esse illicitam, quãdo viget hoc ius,

& non superatur ab alio potentiori iure. Contra vero tunc non esse illicitam, quando non viget illud, sed superatur ab alio præstantiori iure.

Quæst. 3. *An liceat occidere peccatores?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ex fide certum est licere. Exod. 22. v. 18. *Maleficos non patieris viuere*, Vide plura. *Deut.* 20. 22. Ratio D. Thomæ art. 2. est, quia quando membrum est noxium corpori, tunc iure naturali licitum est illud abscindere ad salutem & conseruationem totius corporis, sed peccator est membrum Reip. noxium: ergo licitum est peccatorem abscindere à Repub. ergo & occidere.

2. DICES. Potest abscindi & separari à Repub. non solum per mortem, sed etiam per exilium: cum ergo vtroque modo possit abscindi, ratio illa non conuincit, id licitè fieri per mortem; sed alterutro modo. Respondeo. Hæc ratio explicabitur in sequente conclusione.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non tamen id licet priuata, sed tantum publica authoritate. Ita D. Tho. artic. 3. & debet intelligi de occisione ad punitionem, non ad necessariam sui defensionem. Ratio eius est, quia non licet interficere peccatores, nisi ob salutem Reipub. sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem corporis. Atqui procuratio salutis publicæ pertinet ad publicam authoritatem, quæ est in principe vel magistratu. Confirmatur, quia in communitate est quoddam ius publicum puniendi malefactores, quinocent communitati: ergo est ius vtendi punitione iusta & commoda saluti publicæ ad terrorem & exemplum cæterorum. Ergo in communitate est ius occidendi malefactores, quod quidem ius est præstantius, quàm priuatum ius, quod quilibet malefactor habet ad conseruandam suam vitam: præsertim cum propter culpam sit dignus priuari suo iure.

4. TERTIA CONCLVSIO. Non tantum aliquos sed omnes malefactores qui Reipub. noxij sunt, licitum est occidere publica authoritate. Est communis contra Scotum *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. qui docet licere tantum eos occidere, quos Deus in veteri Testamento expressè iussit occidi; vt sunt malefici, blasphemi, adulteri, Sabbathum violantes & pauci alij. Ratio eius est, quia Deus in Decalogo absolutè & generatim prohibet omnem occisionem hominis, cum ait: *Non occides*: ergo vi illius præcepti, non licet quemquam occidere, quamuis malus sit, nisi Deo dispensante in suo præcepto. Sed non dispensauit, nisi circa quosdam peccatores, quos excepit ab illo generali præcepto, & expressè iussit interfici, vt patet *Exo. 22. & alibi*: ergo non licet nisi quosdam occidere. Hinc infert fures diurnos non posse occidi, quia non sunt excepti; nec adulterã in nouo testamẽto, quia licet excepta fuerit in veteri lege, tamen illa exceptio est à Christo reuocata, *Ioan. c.* 8. *vers.* 11. Sed errat Scotus. *Primò*, quia ratio illa, qua probatum est licitè occidi peccatores Reipubl. noxios, æqualiter procedit de omnibus, siue expressè excepti sint, siue non sint. *Secundo*, quia sequeretur alioqui in nouo testamento nullum malefactorem licere occidere, ne quidem eos, qui in veteri lege excepti erant, quia illa exceptio pertinebat ad præcepta iudicialia, quæ iam abrogata sunt. *Tertio*, quia Ethnici Principes, qui nihil sciebant de illa exceptione, poterant laudabiliter interficere quosuis malefactores, vt patet ex illo Romanorum 13. vers. 4. *Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit.* *Quarto*, quia Scotus nititur falso fundamento: falsum enim est omnem occisionem hominis prohibitam esse illo præcepto, *Non occides*, alioqui stando præcisè in iure naturali non liceret vim vi repellere, & iniustũ inuasorem interficere, quod falsum est. Confirmatur, quia præceptum illud (*Non occides*)

est iuris naturalis: ergo prohibetur solum ea occisio, quæ est contra naturale dictamen rectæ rationis. Hinc sequitur, non prohiberi occisionem malefactorum, quæ fit authoritate publica ad punitionem, nec eam, quæ fit priuata ad sui necessariam defensionem, quia neutra est contra rectam rationem: omnes enim gentes iudicant veramque esse conformem lumini naturali. E contrario sequitur prohiberi eam occisionem, qua vel innocens occiditur: vel quæ fit priuata authoritate extra casum necessariæ defensionis. Nam vtraque repugnat rectæ rationi: qui enim occidit innocentem, iniquè violat ipsius ius, quod habet ad conseruandam vitam, & qui occidit nocentem priuata authoritate ad puniendum, vsurpat sibi ius publicum, quod non habet.

5. DICES. Iudæi non poterant occidere, nisi illos malefactores; quos Deus expressè exceperat, v. g. adulteros, blasphemos, maleficos; non autem fornicarios, vsurarios, ebriosos, fures diurnos: ergo neque nos possumus. Respond. quicquid sit de antecedente, negatur consequentia, quia Iudæi erant adstricti legibus iudicialibus, quæ iam abrogatæ sunt.

## Quæst. 4. *An homini priuato liceat interficere tyrannum?*

1. NEgat Alphonsus à Castro lib. de *hæresibus*, v. *Tyrannus*. Sed distinctione opus. Nam potest aliquis dupliciter esse tyrannus. *Primò*, ratione tituli. *Secundo*, ratione administrationis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui est tyrannus ratione tituli, id est, qui absque vllo iure armis principatum vel occupat vel inuadit, sicut Turca regna Orientis & vicina, potest à quouis de regno interfici, iure defensionis innocentium. Ita *D. Th. in 2. d. 64. qu. 2. a. 2. Cajetan. hic a. 3. Sotus l. 4. de iust. q. 1. a. 3. & alij passim.*

3. NOTA *primo*. Huiusmodi tyrannum duplici iure passim occidi. *Primo*, iure defensionis innocentium.

*Secundo*, iure vindictæ. Priori iure potest occidi à quouis priuato homine, vt asseritur in conclusione. Ratio est, quia quiuis potest inimicum inuasorem è medio tollere, quando non suppetit alius modus se liberandi: sed talis tyrannus est inimicus inuasor Reip. & singulorũ: ergo quiuis potest eum è medio tollere. Sic Aod sustulit Eglon Regem Moabitarum, qui tyrannide oppressérat Israëlitas, & Iudith Holofernem, Brutus, Cassius, & alij Iulium Cæsarem. Denique apud omnes gẽtes passim maximis honoribus publicè affecti sunt, qui tales tyrannos occiderunt. *Vide Alex. ab Alex. l. 3. c. 26.* At posteriori iure non potest occidi à quolibet priuato, sed ab authoritate publica, & à milite auctorato. Ratio, quia vindicta requirit authoritatem. Vnde in pace non infertur, nisi per sententiam iudicis; in bello, nisi per milites.

4. NOTA tamen *secundo*. Necessarium esse *primo*, vt constet illum esse tyrannum & iniustum inuasorem: si enim aliquod probabile ius habet, non censetur tyrannus: vnde non licet interficere. *Secundo*, vt non timeantur maiora mala à filio tyranni, & amicis. *Tertio*, vt non sit contra expressam Reipub. voluntatem: huius enim est auctoritatem istam, vel certè consensum dare: censetur autem consentire, quando passim ciues optant illum sublatum: immò quando non constat de contraria voluntate. Nam tum præsumitur velle, quod iustè velle potest, vt liberetur. Atqui hoc iustè potest velle, cum alia non suppetat.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Qui est tyrannus ratione administrationis, id est, qui, cum sit verus princeps, tyrannicè tamen administrat, quærendo potius priuata commoda, quam publica, onerando Rempub. iniustis actionibus, vendendo officia, Iudicium, non potest à priuatis interfici, quamdiu manet princeps. Patet *ex Concil. Constant. sess. 15.* Ratio est, quia princeps,

etsi tyrannicè regat; manet tamen superior: ergo non potest à subdito interfici, nisi fortè ob necessariam sui defensionem, *de quo infrà*. Hinc olim Apostoli hortabantur nouos Christianos, vt in rebus licitis obedirent principibus Ethnicis tanquam superioribus, tametsi essent maximi tyranni, vt potè, qui Ecclesiam persequerentur, & ad impietatem cogerent, *vt patet Rom.13. & 1.Pet.2. & alibi.*

6. DICES. Quid si tyrannus ita excrescat, vt non videatur amplius tolerabilis, nec vllum aliud medium supersit. Resp. tunc primum à Repub. vel comitiis regni, vel alio habente authoritatem est deponendus, & hostis declarandus, vt in ipsum liceat quidquam attentare: tunc enim desinit esse princeps.

Quæst. 5. *An liceat occidere filiam in adulterio deprehensam vel adulterum.*

1. IVlius Clarus, & quidam recentiores docent *primo*, licere parenti filiam in adulterio deprehensam vnà cum adultero occidere, seruatis tamen conditionibus, quæ habentur L. *Patri*, & *seqq.* ff. *ad legem Iuliam, de adult. Prima*, est vt filia sit iuncta matrimonio. *Secunda*, vt sit in patris potestate. *Tertia*, vt eodem impetu occidat filiam & adulterum, si possit. *Quarta*, vt id fiat in domo patris, vel generi. *Quinta*, vt deprehendat eos in opere turpi. *Secundo*, docet idem licere marito in domo propria in adulterum vxoris, si adulter sit persona vilis. Ex L. *Marito* ff. *eodem tit.* & L. *Gracchus* C. *eodem tit.* Hæc opinio fundatur in cit. legibus quæ nõ solum hoc permittunt, quatenus volunt esse impunè vt communiter respondetur, sed etiam expressè dent ius & potestatem hoc faciendi. Nam L. 10. ff. *de adult.* dicitur: *Patri datur ius occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet*, & L. 22. *Ius occidendi patri conceditur domi suæ, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.* & L. 23. *Voluit lex ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsa tum-*

*pitudine filiam comprehendat*, & L. *Gracchus*, C. *de adult.* permittitur marito, vt occidat adulterum si vilis sit. Et additur, hunc legitimè interfici. Idem patet ex L. 12. tabul. Mœchum in adulterio deprehensum necatum, *vt refert Couarr. de Matrim. p. 2. c. 7. §. 7.* quæ lex etiam multò ante Athenis viguit, lata à Dracone & Solone, vt refert Plutarchus in Solone. Ex his patet leges ciuiles dare hanc authoritatem, & constituere parentem & maritum veluti executores iustæ punitionis. Vnde parens & maritus non occidunt adulterum, vel adulteram, authoritate priuata, sed publica.

2. Aliqui respondent has leges esse iniustas. *Ita Fortunius tract. de vltimo fine, illatione* 11. Contra *primo*, quia eædem LL redactę sunt C. *Iustiniani Principis Christiani*, & à reliquis principibus, & Iureconsl. Christianis acceptatæ. *Secundo*, quia lex ciuilis potest dare potestatem occidendi Bannitos ob graue aliquod crimen. Nam passim in Italia extant statuta per quæ licet impune tales occidere. Item occidendi transfugas, qui ad hostes fugere tentant L. 3. ff. *ad L. Cornel. de sicariis*: ergo potest etiam dare potestatem occidendi adulterum, & filiam, in scelere deprehensos: cum enim tales mortem mereantur, cur non possit ea inferri per patrem vel maritum ex concessione legis? Adde olim apud Germanos pœnam adulterarum maritis fuisse permissam sine omni iudicio, vt refert Tacitus de moribus German. Hic tamen notandum est iure Cæsareo non permitti maritis vt occidant vxores adulteras, vt quidam Theologi recentiores putant, sed tantum vt occidant adulterum: & tunc vxorem accusent in iudicio, vt puniatur, vt docet Couarr. suprà, & colligitur ex L. 2. ff. *de adult.* Olim quidem aliquamdiu licuit, sed Augustus sustulit, vt refert Suet. in Augusto.

3. Prima Conclvsio. In foro conscientiæ non licet patri occidere filiam & adulterum in scelere de-

prehensos ante sententiam legitimè latam. *Primo*, quia est communis *D D. vt affirmat Couarr.* à quo non est facilè recedendum, præsertim in re practica magni momenti. *Secundo*, quia istæ *LL.* videntur improbatæ per canones. Nam 33. q. 2. c. *Inter hæc.* Nicolaus Papa consultus, an marito liceat secundum legem mundanam (nempe Longobardorum, vt ait Glossa, quæ tunc in Italia seruabatur) vxorem adulteram interficere; respondit, Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet, nisi spiritualem, quo non occidit, sed viuificat. Vbi occultè insinuat Ecclesiam improbare illam legem. Confirmatur ex Aug. lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 15. vbi sic ait: *Quæro ex te, an marito Christiano liceat vel secundum veterem Dei legem vel Romanas, adulteram occidere? Et postea subdit: Si autem, quod verius dicitur, non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere sed tantum dimittere, quis dicat tibi, fac quod non licet, vt tibi liceat, quod non licet: cum enim vtrumque secundum legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue illa viuente alteram ducere, ab vtroque abstinendum est.* Idem credibile est Augustinum fuisse dicturum de parente & filia, de marito & adultero. Ratio conclusionis est, quia exponitur manifesto periculo anima eorum, qui sic interficiuntur, idque sine vlla necessitate. Nam possunt capi, accusari, & per sententiam puniri. Secus est de Bannitis, qui capi non possunt. Deinde quia datur occasio occidendi impune, quem velis domi tuæ, fingendo quod adulterium commiserit.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Post sententiam legitimè latam potest parens occidere filiam, & maritus vxorem, si per Iudicem ei occidenda tradatur, vt fit in quibusdam regnis: tunc enim committitur executio iustæ sententiæ, quæ sicut cuiuis alteri; ita etiam ipsis concedi potest.

Quæst. 6. *An liceat alterum occidere in vitæ suæ defensionem?*

1. AVgustinus de Ancona in tractatu de potestate Ecclesiæ, q. 52. art. 3. & Gerson. tract. de Eucharistia, putant non esse licitum, sed solum permissum. Ratio illorum est, quia tenemur potius corporalem mortem oppetere, quam vt proximum in æternam damnationem præcipitemus. Sed contraria sententia est communis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Licitum est occidere iniustum inuasorem ob defensionem vitæ suæ, & integritatis membrorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita *D. Thom. art. 7. Scotus lib. 5. q. 1. art. 8. Victoria in relect. de homicid. num. 17. Couarr. in relect. in Clement. Si furiosus, part. 3. num. 6. & alij.* Probatur *primo*, quia *Exod. 22. v. 2.* dicitur eum, qui furem nocturnum occiderit, non esse reum homicidij, quia scilicet præsumitur venisse animo occidendi, & non tantum furandi, vt exponit *Aug. q. 84. in Exod. Secundo*, quia vim vi repellere omnes *LL.* & omnia iura permittunt, vt ait Alex. 3. *t. si vero*, 1. de sentent. excommunicationis, & Innoc. 3. *c. significasti*, 2. de homicidio. Hinc etiam L. 3. ff. *de iure & iustitia*, dicitur. *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimatur.* Ratio patet ex dictis, quia ius illius, qui alterum non læsit, præferēdum est iuri iniusti inuasoris. Quando ergo vtrūque ius seruari non potest, licebit præferre ius innocentis, & auferre ius nocentis.

3. DICES *primo*. Christus reprehendit Petrum, quod gladium strinxerit ad se defendendum, *Matt. 26. vers. 52. & Roman. 12. vers. 19. Non vosmetipsos defendentes charissimi.* Respond. Petrus reprehenditur. *Primo*, quod defensio ipsius haberet potius speciem vindictæ, quàm defensionis; non enim erat probabile tantam turbam militum tali posse modo repelli. *Secundò*, quod non expectarit responsum Christi. In verbis Apostoli re-

defendere accipitur pro vlciſci, vt patet ex Græco ἐκ ἀμῦνας ἐκδικοῦντες.

4. DICES *ſecundo*. Plus tenemur diligere ſalutem animę proximi, quam vitam noſtram corporalem: ergo ad hanc ſeruandam non licet proximum interficere, quia ſi occidatur, anima peribit. Reſp. nego conſeq. quia non tenemur lege charitatis exponere ſalutem corporalem pro ſalute animæ alterius, niſi quando ea eſt in extrema neceſſitate, ex qua non poteſt ſe vindicare, niſi noſtra ope vel auxilio, vt v. g. ſi infans eſſet moriturus ſine baptiſmo. Hic autem ſponte, & ex mera malitia coniicit ſe in diſcrimen ſalutis, & poteſt liberrimè ſe eximere. Denique qui inuaditur, non ſemper eſt certus ſuæ ſalutis, ſi ſe permittat occidi: inuaſor etiam iam vulneratus poteſt pœnitere, & ſaluari.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Quamuis certũ ſit licere iniuſtũ inuaſorem occidere, ad neceſſariã ſui defenſionẽ, tamen dubitari ſolet, an liceat occiſionem intendere, an ſolum ipſam defenſionem, ita vt occiſio non ſolum per accidẽs indè ſequatur, vt videtur docere *D. Tho. ar. 7. Caiet. & alij Thomiſtæ ibid.* Probabiliusest licitum eſſe in actu defenſionis intẽdere omne id, quod iudicatur ad vitæ defenſionẽ neceſſariũ, ac proindè interdũ etiã læſionem mortiferam, & conſequenter ipſam mortem, nempè in cauſa. *Ita Sotus & Victor ſupra, Nau. c. 15. n. 3. D. Anton. p. 3. tit. 4 c. 3. d. 1.* Ratio eſt, quia niſi liceret eam ſic intendere, defenſio ſui redderetur ſæpè impoſſibilis: ſæpè enim fieri nequit, vt te defendas, niſi inuaſori vulnus lethale infligẽdo, vel ſclopo, vel haſta.

6. QVÆRES *primo*. Qua authoritate id faciat, publica, an priuata? Reſp. priuata, quia nõ facit vt Iudex, vel Princeps repræſentans Remp. vel publico nomine, ſeu vt cuſtos boni publici, ſed eo iure, quod quiſque habet, vt eſt cuſtos rei ſuæ, quo iure noxia retũdere, & vim vi repellere poteſt, quo etiam omnia animantia vtuntur.

7. QVÆRES *secundo*. An aliquando liceat inuasorem præuenire, & illum occidere antequam nos actu inuadat? Respondeo licere in his casibus. *Primo*, si accedat ad inuadendum, nec possim euadere, nisi illum præueniam. *Secundò*, si nondum accedat, tamen instructus sit ad inuadendum, nec possim effugere nisi præueniam. *Ita Couarr. Sotus, Nauarr.* Qui ponunt exemplum de marito qui pugionem condidit sub ceruicali ad vxorem perimendam, quem vxor id certo sciens potest præuertere, si aliud remedium non supereſt. Ratio est, quia etsi nondum actu inuadit, parat tamen inuadere, & ita tenet illam concluſam & obſeſſam, vt aliter euadere nequeat. Idem docet *Corduba lib. 1. quæſt. 38.* de eo, qui alteri parat venenum: potest enim illud per industriam conuerti in auctorem, si alia ratio euadendi non supersit.

8. QVÆRES *tertio*. Si is qui inuaditur, non possit se tueri, nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, an ei se liceat cum illo periculo defendere. Resp. Probabilius est licere. Ita *Corduba lib. 1. quæſt. 23. & Petr. Nauarr lib. 2. cap. 3. num. 147.* Ratio est quia qui inuaditur, ius habet se defendendi, quo iure non priuatur ex illa innocentis interpositione, vt quæ ipso inuito facta sit. Confirmatur à simili, quia qui vrbem iustè obsidet potest dirigere in turrim vel mœnia tormenta, prout necessarium est ad victoriam, etiamsi hostes ibi ligauerint aliquos innocentes, vt communiter sentiunt DD. ergo similiter ad necessariam vitæ defensionem, potes petere aduersarium, quamuis ille innocentem obiiciat.

9. QVÆRES *quarto*. An sicut licitum est occidere inuasorem, sic etiam licitum sit permittere se potius occidi, quam occidere. Respondeo. Aliquãdo non solum licitum, sed salutare consilium est hoc facere, *vt Anton. suprà, & patet exemplo Christi & SS.* Ratio est, quia

periculum est, ne ira vel odium se admisceant, aut ne modum excedamus, & sic dum volumus seruare vitam corporis, perdamus vitam animæ. *Secundo*, quia Charitas, etsi non obliget, tamen ad hoc magis inclinat, ne proximus in æternum pereat. Hæc locum habent in iis qui sunt bonæ conscientiæ. Nam si quis putaret, se esse in peccato, & valdè timeret damnari, si tum occideretur, is teneretur omnibus modis se tueri, quia magis tenetur diligere salutem animæ suæ, quam proximi, *vt docet Anton. suprà.*

Quæst. 7. *An liceat occidere furem in defensionem suarum facultatum?*

1. COuarr. in Clementina *Si furiosus p. 3. §. vnico* in 6. putat licere in duobus casibus. *Primo.* Si sit fur nocturnus; eo quod præsumatur animo occidendi venisse. *Secundo*, si sit fur diurnus, & telo se defendat contra eum, cui rem abstulit. Ratio est, quia in his duobus casibus miscetur periculum personæ, cum periculo rei familiaris. *Tertio* dicit non licere, si cum re ablata fugiat, quia tunc non miscetur periculum personæ. Alij putant id absolutè licitum esse laicis, non tamen Clericis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Laicis id est licitum, si facultates sint magni momenti, nec sit probabilis spes aliter recuperandi. Ita *Anton. p. 3. tit. 4. c. 3. §. 2. Caiet. a. 7. Sylu. V. Homic. 1. num. 5. Medina C. de restit. quæst. 45. Sotus lib. 5. quæst. 1. art. 8. & plerique Iurisp. teste Sylvest. & Couarr.* Probatur *primo* ex c. *Dilecto*, de sent. excomm. in 6. & ex L. *furem* ff. *ad* L. *Cornel.* de Sicariis, & L. 4. ff. *ad* L. *Aquil.* Ratio est, quia bona temporalia sunt ad vitam seruandam necessaria: ergo sicut licet vitam tueri, ita etiam hæc quæ vitæ sunt necessaria, non solum præcisè vt viuamus; sed etiam vt conuenienter & honestè viuamus. Dixi, *nisi spes sit probabilis aliter recuperandi*, quia si possum illas recuperare per Iudicem, erit saltem contra charitatem pro illarum defensione alium

occidere, vt verbi gratia, si fur re ablata fugiat.

3. QVÆRES. An sit etiam contra iustitiam furem ita fugientem occidere, quando res in dubio est recuperabilis. Caietanus dicit non esse, & colligitur ex dictis, quia quisque ius habet defendendi suam possessionem etiam ciuilem, quam retinet, quamdiu habet furem in conspectu.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Idem licitum est Clericis pro defensione rerum suarum. Ita *Anton. supra.* Vbi docet omnibus concessam esse defensionem rerum, quibus concessa est defensio vitæ, & colligitur ex c. *olim*, & c. *Dilecto supra.* Nam ibi conceditur Episcopo & Decano. Ratio est, quia iure naturæ est illis hoc concessum, neque iure humano est illis prohibitum sub peccato. Vnde idem ius extenditur ad Religiosos; neque obstat c. *suscipimus*, de homicidio; quia illi duo fratres Benedictini non iudicantur ibi peccasse & esse irregulares, quod res suas moderatè defenderint, sed quod occasionem dederint homicidio, latrones captos ligando, & cum se soluere vellent occidendo; cùm tamen sine occisione potuissent se & sua saluare.

5. QVÆRES. An Clericus, vel Laicus sit irregularis, qui ob defensionem rerum suarum occidit alium. Respond. Laicus non est. Idem probabile est de Clerico, si id fecerit cum debito moderamine. Vide Sotum lib. 5. quæst. 1. art. 8. Et Couarr. in Clement. *Si furiosus*, p. 3. §. *vlt.*

Quæst. 8. *An pro defensione pudicitiæ & honoris liceat inuasorem occidere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Licitum est mulieri, adolescenti, & cuiuis alteri, pro defensione pudicitiæ inuasorem occidere. *Est communis DD.* quamuis *D. August. lib. 1. de lib. arb. cap. 5.* videatur dubitare. Ratio est, quia pudicitia pluris meritò æstimatur, quam multæ opes. *Secundo*, quia in hac re est periculum pec-

cati. Idem Ethnici senserunt. Nam vt scribit Cicero in orat. pro Milone: Adolescens, qui Tribunum occiderat volentem vim inferre eius pudicitiæ, à Mario exercitus Imperatore absolutus fuit.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Licitum est etiam viro honorato occidere inuasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari non potest. Ita *Sotus art.* 8. Sylu. V. *Homicid.* 1. quæ. 5. *Nauarr. c.* 15. *num.* 3. *Lopez cap.* 62. *Gomez.* 4. 3. *ca.* 3. *num.* 23. *& Iul. Clarus. §. homicidium*, numero 26. Ratio est, quia hæc ignominia, quæ fuste vel alapa infertur, censetur maius malum quam damnum multarum pecuniarum: ergo si potes occidere inuasorem, ne damnum hoc accipias, poteris etiam, ne ignominiam cogaris sustinere.

Quæst. 9. *An pro defensione alterius liceat occidere inuasorem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Quilibet potest vitam proximi tueri, quæ ab alio priuata authoritate impetitur etiam cum interfectione inuasoris, si aliter defendi nequit. Est communis, vt refert *Clarus nu.* 27. Ratio est. *Primo*, quia sicut quisque potest tueri vitam suam, ita etiam proximi: præsertim, cùm charitas ad hoc obliget, quando commodè fieri potest. *Secundo*, quia talis censetur innocens, quando iniustè inuaditur. Atqui licitum est defendere causam innocentis.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Nemo tamen tenetur tueri vitã hominis priuati cum probabili periculo vitæ suæ, etiãsi iure posset, si velit. Ratio est, quia nõ teneor exponere vitam meam pro vita proximi: possum enim vitam meã diligere præ vita cuiusuis alterius priuati.

3. TERTIA CONCLVSIO. Qui non defendit vitam vel fortunas proximi, dum cõmodè potest, peccat quidem mortaliter contra Charitatem; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex iustitia teneatur defendere. Prima pars per se patet. Secunda probatur,

quia peccata quæ solum sunt contra charitatem, non obligant ad restitutionem. Tertia probatur, quia qui ex iustitia tenetur, si omittat, peccat contra iustitiam: ergo tenetur ad damnum ex omissione illa secutum.

Quæst. 10. *An in aliquo casu liceat occidere innocentem, v. g. si Tyrannus persequeretur innocentem, & minaretur urbi excidium, nisi illum occidat?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Non licet eum occidere, vt patet ex illo Exod. 23. & 7. *Infantem & iustum non occides, quia auersor impium.* Ratio est, quia cum nullus hominum habeat dominium vitæ alterius, non potest eam tollere, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminis punitionem.

2. DICES *primo.* Respublica potest exponere vitam suorum ciuium ob communem salutem: ergo etiam potest vitam alicui eripere, quando id necessarium est ad communem salutem. Respondeo ad antec. Rempu. id posse facere imperando iustam defensionem necessariam ad patriæ salutem, ad quam defensionem ciues iure naturæ obligantur, quod longè aliud est, quam ipsam vitam directè eripere. Nam eripere vitam innocenti, nihil per se confert ad defensionem Reipu. sed tantum ex malitia tyranni. Itaque cum per se malum sit, non fit licitum, eo quod referatur ad talem finem, alioqui licitum esset Sacramenta profanare, & hæreticas cæremonias inducere si tyrannus id præciperet sub comminatione excidij ciuitatis.

3. DICES *secundo.* Potest quis ad obtinendam victoriam dirigere tormentum in locum vbi videt multos innocentes, quod nihil aliud est, quam eos occidere. Respondeo. Hoc non est directè & ex intentione occidere innocentes, sed præter intentionem; intendit enim demoliri turrim, quod licitè potest ad obtinendam vrbem.

4. DICES *tertio.* Viri Samariæ occiderunt 70. filios

Achab timore belli, quod Iehu illis minabatur *lib. 4. Reg cap.* 10. & factum illud Deo placuit: ergo ob commune bonum licet interficere innocentes. Resp. Deus mandauerat Iehu, vt deleret domum Achab, *vt patet 2. Paralip.* 22. Est autem verisimile Iehu indicasse hanc Dei voluntatem ciuibus Samariæ, alioqui peccasset inducendo eos ad peccatum.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Potest tamen Respublica cogere innocentem, vt tyrannum accedat; & si ire nolit, potest eum tyranno tradere. Ita *Lopez ca. 60. Pet. Nau. lib. 2. cap. 3. nu.* 120. quamuis Sotus *lib. 5. q. 1. ar. 7. & quidam alij negent.* Ratio est, quia ille innocens ex charitate & pietate in patriam, & ex iustitia legali tenetur egredi, & se morti exponere, si certum sit calamitatem communem auersum iri: ergo etiam ad hoc potest cogi. Nam legitimus Superior potest ad ea cogere, ad quæ iure naturali obstringimur. Respondet Sotus eum non teneri ex Iustitia particulari, ac proinde non posse cogi. Contra, quia ad multa cogi possumus per magistratum, ad quæ ex Iustitia particulari non obligamur, vt v.g. ad dandam Eleemosynam in magna fame, ad vendendum frumentum, ad vitandos sumptus immoderatos in vestes & conuiuia, ad vitandam ebrietatem, fornicationem, blasphemiam, & similia.

DICES *primò*, Tradere innocentem tyranno in hoc casu, est ipsi cooperari ad mortem innocentis: ergo est illicitum. Antecedens patet, quia si satellites ipsius caperent & traderent innocentem, verè cooperarentur: ergo similiter si Respub. id faceret. Resp. Nego Antec. est enim dispar ratio inter satellites tyranni & Rempubl. Nam illi nullam authoritatem habent in innocentem, ac proinde inferunt illi iniuriam: Respub. vero habet authoritatem, quia iure naturæ est superior singulorum. Vnde potest cogere ad id, ad quod ille iure naturæ erat obstrictus.

7. DICES *secundo*. Si tyrannus in hoc casu peteret sibi tradi virginem ad violandum, non posset Respub. illam inuitam tradere. Similiter, si peteret Codices sacros ad comburendum, vel sacramenta ad profanandum: ergo idem est de innocente. Resp. Non est eadem ratio, quia virgo ob periculum animæ non tenetur ire, vnde nec Respub. potest eam cogere vel tradere. Quod ad sacros codices & Sacramenta attinet, in illis nulla est obligatio, vt tradi debeant, neque Deus tenetur sustinere illam iniuriam, vt homines non occidantur.

Quæst. II. *An liceat seipsum occidere?*

1. DOnatistæ, qui dicti sunt Circumcelliones, putarunt esse genus martyrij seipsum interficere, vnde passim variis modis se occidebant, *vt refert Aug. hæresi 69. & alibi, contra quos disputat totoferè lib. secundo quem scripsit contra Epistolam Gaudentij, & 5. ciuit. à c. 17. vsque ad 28.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Sine diuina authoritate non est licitum seipsum directè, & ex intentione interficere. Est communis, & colligitur ex illo Exod. 20. *Non occides*. Ratio sumitur ex triplici capite. *Primo*, quia, qui se occidit, facit contra præceptum illud charitatis: *Diliges proximum tuum sicut seipsum. Secundo*, facit iniuriam Reip. Nam illa inuita veluti quoddam ipsius membrum abscindit. *Tertio*, facit iniuriam Deo, quia rem soli Deo subiectã absque authoritate destruit.

4. PRIMA OBIECTIO. Quidam coluntur vt martyres, qui tamen directè seipsos occiderunt, vt fœminæ illæ, quæ cum ad tyrannum essent adducendæ se in flumen præcipitarunt, ne pudicitiam amitterẽt, de quibus *Eusebius lib. 8. cap. 12. & D. Ambros. lib. 3. de virginibus*. Item S. Apollonia seipsam in ignem coniecit, *vt refert idem Euseb. lib. 6. cap. 31. Similiter Palladius in hist. Lausiaca 6. decimoquinto*, laudat aliam quandam fœminã,

quæ

quæ secum accerseretur à tyranno seipsam interfecit. Resp. hæ & similes dupliciter possunt excusari. *Primo*, quod id diuina inspiratione fecerint; ita excusat illas D. *Aug. loc. cit.* Simili modo etiam excusat Samsonem *l.* 1. *eiusd. c.* 21. quamuis hic etiam facilè aliter possit excusari, *vt infra dicam. Secundo*, possunt excusari per ignorantiam inculpabilem. Nam se occidere ob patriæ salutem, aut pudicitiæ custodiam non est ita euidens esse malum, quin inculpabiliter possit ignorari, & putari licitum, cum non solum Ethnici, sed etiam multi Christiani, & quidem doctissimi videantur ita sensisse. Nam D. *Hieron. in c.* 1. *Ionæ* apertè insinuat in periculo castitatis licere se occidere. Item *Ambrosius & Eusebius locis citatis* laudant mulieres illas, quod se occidissent, ne violarentur, neque id tribuunt diuinæ inspirationi, sed laudant factum tanquam honestum ob talem finem. *Palladius* quoque non meminit vllius reuelationis. Denique *Dom. Sotus* simili modo excusat S. Apolloniam, & excusari potest Razias, *de quo* 2. *Machab.* 14.

4. DICES. Quomodo coluntur vt Martyres, si se illicito modo occiderunt, cum martyr ab alio debeat occidi? Respondeo. Quia propter fidem Christi ad hoc fuerunt quodammodo compulsæ. Vnde cum ipsi in eo facto non peccauerint, secundum moralem æstimationem censentur ab ipsis persecutoribus occisæ, & sic sunt martyres.

2. SECVNDA OBIECTIO. Quando aliquis legitimè condemnatus est ad mortem, potest cuius à Iudice committi executio; ergo etiam ipsi reo: ergo saltē in hoc casu poterit seipsum directe interficere. Cōfirmatur, quia tunc omnes rationes supradictæ cessant: non enim tunc agit contra charitatem sui, neque contra Remp. à qua authoritatem habet, ac proindè neque contra Deum. Denique nulla videtur posse adferri ratio, cur non liceat, saltem absque peccato mortali. Si

dicas esse contra naturalem inclinationem, ac proindè nimium crudele. Hoc quidem probat reum non teneri se occidere, quia non tenetur contra naturalem inclinationem; non tamen euincit, reum sponte non posse hanc executionem suscipere. Propter hoc argumentum hæc sententia non omnino est improbabilis, eamque insinuat *Franc. Victoria in relect. de homicid. num. 30.* Vbi docet eum qui damnatus est, vt veneno pereat, posse illud haurire; imò posse ad illud obligari. *Idem docet Arrag. quæst. 69. art. 4. & Cordub. l. 1. quæst. 36.* addens esse eandem rationem aliarum pœnarum. Sed contraria sententia tenenda est *Primo*, quia est communis à qua in rebus practicis non est facilè recedendum. *Secundo*, quia sicut nemo idoneus est executor sententiæ mortis in parentem, partim ob reuerentiam illi debitam, partim ob naturalem coniunctionem; ita multò minus in seipsum: est enim actio directè pugnans cum inclinatione communis naturæ: nulla enim res seipsam vllo casu perimere intendit. Ex quo fundamento soluenda sunt contraria argumenta.

6. Secvnda Conclvsio. Etsi non liceat seipsum directè occidere, licitum tamen est, quando iusta causa subest, aliquid facere, vel omittere, vnde certo mortem secuturam constat. Ita *passim authores infra citandi.* Ratio est, quia non est prohibitum homini, ne vitam suam periculis vnquam exponat, aut vt eam conetur semper seruare; sed tantum, ne ex intentione illam quasi exosam auferat, & ne absque causa illam periculo exponat, aut conseruare omittat. Potest hoc explicari multis casibus. *Primo.* Miles potest & tenetur non deserere stationem in periculo communi, etsi certus sit se occidendum. *Secundo*, reus potest non fugere ex carcere, quamuis certò sciat se morte plectendum, vt multi martyres fece-

runt. Imo potest malefactor zelo iustitiæ & exempli publici se offerre iudici puniendum, vt docet *Petr. Navar. l. 2. c. 3. num. 73.* quia ob iustam causam potest aliquis desiderare mortem, & eam procurare legitimo modo, sicut alteri, ita & sibi. *Tertiò*, condemnatus ad mortem per famem potest abstinere à cibo clanculum oblato, vt docet *Henricus quodlib. 5. quæst. 31. Sotus lib. 5. quæst. 6. art. 4. Lopez c. 36.* quod mirum est negari ab *Arragon. & Victoria*, cùm doceant reum teneri bibere venenum, si ad hoc condemnetur: qui enim haurit venenum, positiuè sibi infert aliquid directè interimens: qui autem non comedit, nihil sibi infert, sed permittit calore interno vitam absumi. *Quarto*, potest se quis obijcere telo ad conseruandam vitam principis, & etiam ad conseruandam vitam amici. Imo si amicus sit condemnatus ad mortem potest se pro illo occidendum offerre, *vt inquit Toletus*; quod intellige, si iniustè sit condemnatus: si enim iustè, alliceret alterum ad peccatum. *Quinto*, potes seruire infectis peste, etsi putes te moriturum. *Sexto*, potes inijcere ignem in puluerem tormentarium ad euertendam turrim hostilem, etsi certum sit momento te dissipandum, neque enim tu te interficis propriè sed ignis impetus, vel ruina turris, quibus te, ob iustissimam causam exponis, non secus, ac is, qui se obijcit telo, vt corpus principis saluet; sic Eleazarus interfecit Elephantem, à quo videbat se occidendum, qui laudatur 2. *Machab.* 8 sic Samson, *Iudic. 16.* Nec obstat, quod *D. Aug. 1. ciu. 21.* dicat Samsonem non excusari, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, quia alij hic nullam talem iussionem censent necessariam. *Vide Caiet.* in illum locum, *& D. Amb. 1. offic. 40.* vbi factum Eleazari, quod est omnino simile, valde laudat. Idem tenet *Lopez cap. 65.* & multi recentiores, estque res in bellis ferè quotidiana, alioqui non liceret cum periculo vitæ suffodere turres & mœnia.

Quæst. 12. *An homicidium casuale sit peccatum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Homicidiũ, quod omnino casu fit, non est peccatum. Vnde nec propriè homicidium vocatur, sed occisio simplex. Dicitur autem casu fieri, quod nec in se, nec in causa sua est voluntarium. Tale est *primo*, quando causa non erat efficax, ita vt ex ea non soleat vt plurimum talis effectus sequi, sed aliunde, nempe ex eo quod per accidens coniungitur, vt si alicui inflixisti vulnus non lethale, sed mors secuta est, vel malitia medici, qui noxia apposuit; vel temeritate læsi, qui opportuna remedia adhibere noluit. Hæc occisio censebitur tibi fortuita. Vnde non eris reus homicidij; nec teneberis ad restitutionem, vt homicida; sed solum vt vulnerans. Ita *Sotus l. 5. q. 1. art. 9. & Gomez tomo 3. c. 3. num. 25. Et est communis Iurisp. ex l. qui occidit. §. ad l. Aquil. & colligitur ex c. significasti 2. de homicidio.* Vbi Innocentius Tertius indicat talem occisorem non esse irregularem. Ratio est, quia etsi vulnus sit aliqua occasio; non tamen est reuera causa mortis, sed malitia, vel negligentia medici, aut læsi: vterque enim tenebatur adhibere diligentiam. Vnde illi, qui neglexit, imputandus est effectus. *Secundo*, si dans operam rei licitæ vel illicitæ, adhibuisti sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequeretur: tunc etsi fortè secuta sit mors alicuius, non tibi imputabitur, quia nec in se, nec in causa erit volita. Nec obstat, quod causa fuerit periculosa, quia diligentia abstersit periculum. Vnde Clericus dans operam venationi cum armis, quod ipsi est vetitum, si casu hominem interficiat, peccat quidem contra dignitatem status Ecclesiastici, non tamen peccato iniustitiæ vel homicidij.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si occisio non omnino casu fiat, eò quòd in opere periculoso non sit præstita cautio necessaria, erit peccatum iniustitiæ, &

homicidij, mortale, vel veniale, pro ratione negligentiæ. Ita *Caiet. hic, art. 8. & alij passim.* Ratio est, quia erit voluntarium in causa, nempe in omissione diligentiæ & cautionis debitæ, sicut submersio nauis est voluntaria in negligentia gubernatoris. Vnde non censebitur omnino casualis. Quod tamen non sit maius peccatum, quam negligentia illa, probatur, quia non est voluntaria, nisi ratione illius negligentiæ. Vnde non potest, nisi ratione illius imputari ad culpam: si ergo negligentia sit grauis, erit culpa mortalis: Si leuis, erit venialis: Si nulla, culpa quoque erit nulla.

## QVÆSTIO LXV.

### *De mutilatione.*

DIuus Thomas disputat *Primo*, de mutilatione. *Secundo*, de verberatione. *Tertio*, de incarceratione. Ac *primo* de mutilatione certum est potestati publicæ licitum esse mutilare peccatores sicut & occidere. At quædam dubia sunt, de quibus breuiter.

Quæst. 1. *An pro salute corporis licitum sit se mutilare, vel membrum abscindere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Licitum est se mutilare, quando id necessarium est ad corporis salutem, vt si cancer membrum occuperet, fraspis, vel vipera momorderit, nec aliud remedium præsto sit. Ratio est, quia membra sunt ob bonum totius: ergo quando aliquod membrum est toti corpori perniciosum, ius naturæ dictat posse abscindi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Homo tenetur permittere sibi membrum secari, si medici id iudicent necessarium, nec magni dolores sint perferendi. Ita *Sotus l. 5. quæst. 2. art. 1.* Ratio est, quia tenetur vitæ suæ periclitanti succurrere per media ordinaria, non admodum difficilia.

7. TERTIA CONCLVSIO. Si tamen ingentes

cruciatus essent tolerandi non tenetur permittere, neque etiam potest ad hoc cogi. Ratio est; quia non tenetur quisquam cum tanto cruciatu conseruare vitam incerto euentu. Excipiuntur tamen duo casus. *Primò*, quando vita alicuius censetur bono communi necessaria: tum enim ob bonum publicum tenetur, & posset cogi à Republica. *Secundo*, si esset Religiosus, qui se totum constituit in potestate sui Superioris, quamuis de hoc casu dubitari possit, quia non videtur Superior rem tam heroicam inferiori imperare posse, *vt docet Salon. hic art.* 1.

Quæst. 2. *An ob salutem animæ sit licitum se mutilare: v.g. An ad carnis tentationes vitandas, vel superandas, liceat sibi membrum abscindere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nunquam id licet, vt patet ex *can.* 2. *Apost. & can.* 1. *concil. Niceni*, vbi id expressè prohibetur. Ratio est quia id nunquam est medium necessarium ad animæ salutem: non enim membra afferunt homini perniciem, sed malitia & negligẽtia liberæ voluntatis. *Secundo*, quia neque est conueniẽs, aut vtile remedium. Nam abscissio seu castratio, de qua præcipuè est quæstio, non tollit tentationes carnis, sed solũ impedit generationem, quin potius illi, qui castrãtur, præsertim in virili ætate, magis incitantur libidine, vt multis rationibus & exemplis probat *Basil. l. de virg. circa finem. Chrysost. hom.* 63. *in Matth. & Aug. l.* 6. *contra Iul. c.* 5. Vnde passim reprehenditur Origenes, de quo *vide Euseb. l.* 6. *hist. c.* 6. *& Baro. t.* 2. *ad annum Christi* 208.

2. DICES. S. Marcus Euãgelista dicitur sibi pollicem præscidisse ex humilitate, ne cogeretur sacris initiari: ergo ob similẽ casum licebit. Resp. Hic nõ fuit Marcus Euãg. *vt probat Baron. t.* 1. *ad ann.* 45. sed alius quidã Marcus Anachoreta, qui nisi diuina inspiratione id fecerit, vel ignorãtia probabili excusetur, laudãdus in eo nõ est. Tali inspiratione putatur fecisse adolescens ille, qui lin-

guam sibi mordicus præscidit, & in faciem meretricis expuit, vt se ab eius impuro contactu defenderet. *De quo vide Hieronym. in vita Pauli.*

Quæst. 3. *An ob comminationem mortis licitum sit se mutilare, v.g. An iubente tyranno possis tibi manũ abscindere, si alioquin esses ab eo mox interficiendus?*

1. DOminicus Sotus putat non posse, quando necessitas prouenit ex alterius imperio: posse autem, quando prouenit ab intrinseco, vt à morbo, vel saltem, quando id per se est necessarium ad salutem corporis, vt si esses manu alligatus intra ædes accedente incendio vel hoste.

2. CONCLVSIO. Probabilius est etiam tunc licere, quando tyrannus vel Iudex hoc imperabit. *Ita Toletus l. 5. c. 6.* Ratiò est, quia pars naturaliter est propter totum: ergo ad conseruationem totius licebit partem abscindere, quando totum aliter conseruari non potest. *Secundo.* Ideò non est licitum priuata authoritate se interficere, quod occisio sui nunquam possit esse medium necessarium ad saluandum aliquid in ipso homine præstantius vitâ. Atqui in homine est aliquid præstantius membro, ad quod conseruandum aliquando est necessarium amputare membrum, ergo est licitum. Nec refert illam necessitatem prouenire ab extrinseco, quia necessitas est in ipso homine, siue proueniat à natura, siue ab ipso tyranno. Vnde licet peccet is, qui hanc necessitatem imponit; non tamen peccat, qui tanta necessitate pressus eo modo ad finem suum naturalem vtitur. Cætera, quæ disputat D. Th. de verberatione & incarceratione facilia sunt.

## QVÆSTIO LXVI.

### *De Furto & Rapina.*

Quæst. 1. *Quid sit furtum & rapina?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Furtum est occulta rei alienæ acceptio inuito Domino. *Ita D. Thom. a. 3.*

& 4. & alij passim. Hinc patet hæc duo partim conuenire, partim differre. Conueniunt in eo, quod vtrumque sit acceptio rei alienæ inuito Domino. Differunt, quod furtum fiat occultè, rapina vi & apertè. Hinc colligit D. Thom. art. 4. differre specie ratione iniuriæ. Nam rapina includit nouam quandam iniuriam, quam furtum non includit, nempe violentiam factam domino scienti & renitenti.

2. Secunda Conclvsio. Acceptio rei alienæ inuito Domino potest tribus modis contingere. *Primo* occultè, vt in furto. *Secundo* vi & apertè, vt in rapina. *Tertio* fraude, vt in contractu iniquo.

3. Qværes. An hæc postrema differat à furto. Respond. si is qui damnum patitur in contractu iniquo sciat iniquitatem contractus, & tamen malit hoc damnum iniustè pati, quam contractum omittere, tunc iniuria illius contractus est distincta ab iniuria furti, quia hæc est omnino inuoluntaria; illa partim voluntaria, partim inuoluntaria. si autem ignoret iniquitatem contractus, erit furtum.

## Quæst. 2. *Quotuplex sit furtum?*

1. Prima Conclvsio. Furtum solet diuidi in varias species ratione materiæ: nempè in Sacrilegium, Peculatum, Abigeatum, Plagium, raptum, & simplex furtum. Nam si id quod iniustè accipitur, sit res sacra, vel in sacro loco tanquam asylo deposita, dicitur sacrilegium. Si possessio Reipub. dicitur Peculatus: si fit de grege dispersо, dicitur abigeatus ab abigendo: si homo liber, vel vendatur, vel mancipium fiat, dicitur Plagium, vel crimen Plagiatus: si fœmina ad fruendum, dicitur raptus: si nihil horum, dicitur furtum.

2. Secvnda Conclvsio. Definitio tamen furti non conuenit his omnibus: non enim conuenit

plagio & raptui, quia furtum est acceptio rei alienæ inuito Domino: ergo res quæ accipitur debet habere Dominum, à quo possideatur. At homo liber non habet talem Dominum, alioqui liber non esset.

3. DICES. Quid si sit mancipium vel ancilla? Resp. si quis furetur mancipium vel ancillam, vt vendat, erit verum furtum, quia est acceptio rei alienæ, quatenus aliena est: intendit enim eam accipere ratione vtilitatis temporalis, quæ est Domini: si autem furetur ancillam, vt ad tempus abutatur, non erit furtum, quia ancilla secundum illum actum non subest dominio alterius.

Quæst. 3. *Quale peccatum sit furtum*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ex genere suo est peccatum mortale. Ratio, quia infert proximo nocumentum, quod est contra iustitiam & charitatem. Nota tamen ex genere suo furtum esse minimum peccatum, quod contra proximum committitur, quia bona fortunæ sunt infirma. Ratione tamen incommodorum, quæ inde sequuntur, potest aliquando maius aliis esse.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Fieri tamen potest, vt ex inde liberatione, vel ex materiæ paruitate sit tantum peccatum veniale. Primum patet, quia voluntas furandi potest carere plena & sufficienti aduertentia, vt v. g. cum quis tentatur ad furtum. An autem hæc voluntas possit exire in opus externum sine plena aduertione dubium est. Puto fieri posse: præsertim in iis, qui ex consuetudine sunt propensi ad furandum, vel qui subitâ & vehementi tentatione ad furtum incitantur. Secundum per se patet.

3. TERTIA CONCLVSIO. Vt furtum sit peccatum mortale, requiritur vt materiæ quantitas sit notabilis.

QVÆRES. Quæ censenda sit notabilis? Nauarr. putat dimidium regalem ad hoc sufficere. Toletus vnum

regalem, vel duos. Sotus vnum vel duos aureos. Alij 100. aureos: Alij putant non posse in generetaxari, quæ quantitas sit notabilis, sed eam statuendam, arbitrio prudentum pro varia personarum & locorum conditione. Ita *Ioannes Medina C. de rest. q. 10. & Petrus Nauar. l. 3. c. 1. n. 35.* Ratio est: quia quod respectu vnius censetur notabile: respectu alterius non censetur tale. Iuxta hanc sententiam.

4. Dico *primo*: Respectu omnium etiam Regis & prædiuitis hominis vnum aureum videri quid notabile, ac proindè furtum vnius aurei esse peccatum mortale. Nec obstat, quod hæc quantitas respectu Regis modica videatur. Nam etsi modica sit ad donationes pro regia magnificentia faciendas, non tamen est modica spectatis omnibus Regis oneribus, ad quæ subleuanda hæc quantitas notabiliter iuuat, vt patet cum militi soluendum est, qui per vnum mensem pro vno aureo vitam exponit. Deinde censetur notabilis cum agitur de iniuria subeunda, non enim minus Rex sua omnia vult esse tuta ab iniuria, quam alius quilibet.

5. Dico *secundo*. Respectu mediocriter diuitum quatuor regales, siue vnum florenum censeri quid notabile, iuxta P. Nau. quia sufficit illis ad victum vnius diei.

6. Dico *tertio*. Respectu Mechanicorum duos regales sufficere iuxta Med. indè enim commodè victitant, & hæc summa ferè æquat mercedem diurnam.

Dico *quarto*. Respectu pauperis vnum regalem, vel etiam dimidium sufficere.

Dico *quinto*. Quamuis ipsa res quæ furripitur, non sit notabilis pretij, tamen si auferatur ei, qui inde graue incommodum accipiet, est peccatum mortale; quamuis non sit mortale in specie furti. Ac *primo* esse peccatum mortale probatur, quia notabile damnum proximo irrogatur; vt si sutori surripias setas, vel sartori acum, nec possit aliundè habere. Quod autem non sit

mortale in specie furti probatur, quia res quæ surripitur secundum se non est notabilis: ergo non est materia furti mortalis.

7. Qværes. Ad quam speciem ergo pertinebit hoc peccatum quatenus est mortale? Resp. si sequatur damnum v.g. lucrum cessans, erit in specie damnificationis iniustæ, quæ proprio nomine caret, quia huius damni causam iniustè dedit: si autem sciat fur talem solere peierare, imprecari, blasphemare, erit peccatum scandali, pertinens ad eam peccati speciem, cuius sciebat se furto suo fore causam.

8. Ex dictis sequitur, eum, qui surripit minima cum animo maiora surripiendi, si posset, peccare quidem mortaliter non illo actu, quo vult furari hoc minimum, sed alio huic coniuncto. Talis enim habet duos actus voluntatis. Primum absolutum, quo vult hanc rem paruam furari; & hæc voluntas exit in actum externum, estque solum peccatum veniale. Alterum, Conditionatum, nempe, vellem auferre maiora si possem. Et hæc velleitas est peccatum mortale, sed non exit in actum externum. Vnde talis fur non incurreret excommunicationem latam in eos, qui rem notabilem furati essent.

Quæst. 4. *An multa minuta furta faciant peccatum mortale?*

1. DVo quæri possunt. *primò.* An is qui per furta minuta intendit surripere quantitatem notabilem peccet mortaliter. *secundò.* An is, qui per furta minuta non intendit acquirere quantitatem notabilem, sed ex occasione ea committit, peccet mortaliter.

2. Prima Conclvsio. Qui per furta minuta intendit ditescere aut acquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortaliter illa intentione, & quouis externo furto minuto, ex eius vi procedente. Est communis. Prima pars patet, quia intendit accipere rem alienam magni momenti inuito Domino.

3. DICES. Intendit accipere à diuersis, & nemini cupit facere notabilem iniuriam: ergo non peccat mortaliter. Resp. nego Cõsequentiam, quia etsi iniuria respectu singulorum non sit notabilis, est tamen respectu communitatis. Confirmatur, quia alioqui non peccarent mortaliter, qui vtuntur ponderibus vel mensuris iusto minoribus, quod est contra illud Deut. 25. v. 13. *Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor: abominatur enim Deus eum, qui hoc facit.* Et Prouerb. 11. v. 1 *statera dolosa abominatio est apud Deum.* Secunda pars probatur, quia singula externa furta procedunt ex intentione mortali; quidquid autem fit ex intentione peccati mortalis est peccatum mortale.

4. QVÆRES. An in singulis sit nouum peccatum mortale. Respond. Non est nouum, sed continuatur iam cœptum: omnes enim ipsæ acceptiones & detentiones acceptorum censentur vna continua executio prauæ illius voluntatis.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Qui per furta minuta non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, non peccat mortaliter, antequam perueniat ad quantitatem notabilem: peccat tamen simul atque ad eam pertingit, nisi per inaduertentiam excusetur. Prima pars per se patet. Secunda probatur, quia iam incipit detinere alienum in notabili quantitate, voluntariè.

6. QVÆRES. An illud vltimum furtum complens quantitatem notabilem sit peccatum mortale. Multi affirmant. Resp. per se non est nisi veniale, sicut cætera præcedentia. Cæterum detentio voluntaria rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, est peccatum mortale.

7. DICES. Hoc vltimo furto infert iam notabile damnum: Ergo peccat per illud mortaliter. Respond.

damnum illatum incipit tum quidem esse notabile, sed tamen non infertur per vltimum furtum, sed per hoc & præcedentia collectim sumpta, quorum vnumquodque est solum veniale.

8. QVÆRES. An hæc conclusio habeat etiam locum in esculentis & poculentis. Resp. furta esculentorum, & poculentorum, quæ committuntur à famulis & ancillis, etiamsi sensim perueniant ad notabilem quantitatem, non sunt peccatum mortale, si furentur, vt ipsimet consumant (secus verò, si vt vendant) & si sint ordinaria, quæ non solent accuratè concludi. *Ita Nau. c. 17. n. 138.* Ratio est, quia Dominis non omnino displicet vt hæc capiantur, cuius signum est, quod etsi sciant ista passim fieri, tamen non impediunt & si rogarentur, facilè concederent. Vnde non tam displicet ipsa acceptio, quam modus accipiendi. Atqui non est peccatum mortale accipere aliquid ab eo, cui non displiceret acceptio, si res ab eo peteretur, quamuis modus accipiendi displiceat, vt docet *Caiet. in summa V. furtum*, & *Nauar. l. cit.* quia Dominus non est inuitus circa substantiam acceptionis, sed solum circa modum. Hoc notandum est propter furta famulorum, filiorum, vxorum, amicorum, qui per verecundiam, aut timorem, non audent petere.

• Quæst. 5. *An filius peccet mortaliter accipiendo & expendendo bona paterna?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Peccat mortaliter in his duobus casibus. *Primo*, si accipiat notabilem summam occultè ex bonis parentum ipsis merito inuitis. Est communis, & colligitur ex illo Prouerb. 28. v. 24. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Ratio est, quia est verũ furtum in notabili quantitate. *Secundò*, peccat mortaliter, si expendat in res turpes, aut vanas, notabilem summam contra voluntatem parentum, ex iis pecu-

niis, quas parens ei dedit ad honestos vsus v. g. emendos libros, vestes. Ita *Nauarr. c. 17. n. 146.* Ratio est, quia parens non concessit ei pecunias ad tales vsus, sed ad alios, neque intendit illas simpliciter donare, sed cum restrictione ad vsum determinatum: ergo filius non accipit earum dominium, nisi ad talem vsum; ergo si aliter eas expenderit, tenetur ad restitutionem, cum ad alium vsum ius non habuerit. Quod si non posset restituere, tenetur adducere in diuisionem, nisi fortè constet alios tantumdem expendisse, vel nisi parens condonauerit, vel putetur facilè condonaturus, si filius auderet rogare. Et quamuis donatio patris facta filio non valeat, nisi in certis casibus: tamen morte confirmatur, nisi excedat eam summam de qua parens potest disponere. *Vide Nauar. c. 17. nu. 158.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Non peccat mortaliter in his casibus. *Primo*, si quantitas pro conditione status & personarum non cēseatur notabilis; plus autem requiritur ad quantitatem notabilem in filio, quam extraneo. *Secundo*, si putet parentem rogatum facilè concessurum: tunc enim non videtur inuitus circa substantiam acceptionis, sed tantum circa modum. *Tertio*, si dum versatur in studiis, vel extra domum paternam, expendat more aliorum suæ conditionis in eleemosynas, ludum, & honestam recreationem: præsumitur enim parens id permittere, nisi constet de contraria voluntate. *Quarto*, si in extrema, vel graui necessitate proximi furripiat aliquid ad Eleemosynam: tum enim parens non potest esse rationabiliter inuitus, quia ipsemet tenetur dare. *Quinto*, si accipiat ex bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus: hæc enim non pertinent ad patrem, sed ad filium. *Sexto*, si parens vendicet sibi castrensia vel quasi castrensia bona filij vltra eius alimenta, potest filius tantumdem repetere. Quod si non audeat, potest occultè vti compensatione, vel re-

petere à cohæredibus. Quod valdè notandum confessariis, ne cogant filium ad restitutionem, cuius fructus beneficij percipiuntur à parente. *Septimo*, si parens sit hæreticus, bona aduentitia filij, in quibus ille habebat vsumfructum, redeunt ad filium, & vsusfructus consolidatur cum proprietate. Vnde filius potest ea sibi vendicare. Quod si non audeat, vel non possit, potest occulta compensatione ex aliis bonis paternis sibi consulere. *Octauo*. Si filius gerit negotia patris, potest deductis expensis, quas pater facit in illo agendo, pro suo labore & industria tantumdem accipere, quantum daretur extraneo, nisi intendat facere gratis. *Ita Nauarr. cap. 17. num. 144. & alij.*

Quæst. 6. *An vxor peccet mortaliter accipiendo & expendendo bona mariti?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Peccat mortaliter in vno casu, quando scilicet accipit summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ipsius est, ipso rationabiliter inuito. Ratio est, quia accipit illud, cuius dominium, vel certè administratio & vsusfructus est alterius. Itaque tenetur ad restitutionem, etiamsi ex dote, vel ex bonis communibus accepisset. Nam licet tota dos, & dimidia pars bonorum communium ad ipsam pertineat, quod ad proprietatem attinet: tamen administratio, & dimidia pars emolumentorum, seu vsusfructus inde proueniens, sunt mariti, quibus iniquè illum priuat. Hinc patet falsum esse, quod ait *Palud. in 4. dist. 15. quæst. 3. a. 6.* Vxorem ex facultatibus communibus posse facere eleemosynas, quantum rediret ad eam, vel ad liberos, eius nomine, soluto matrimonio; sic enim totam suam partem posset dare, & priuare maritum eius administratione, quod falsum est. *Vide Nauarr. c. 17. nu. 155.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Non peccat mortaliter in his casibus. *Primo*, si quantitas iudicio prudentis,

spectato statu, & cæteris circumstantiis, non sit notabilis. *Secundo*, si maritus rogatus concederet. *Tertio*, si det in extrema, vel grauì necessitate proximi. *Quarto*, si det ex suis, quorum habet liberam administrationem, vt ex paraphernis, vel ex lucris suæ industriæ: præsertim, si attulit dotem sufficientem ad se alendam, *vt docent Nauarr. Sylu. & alij.* Quod est verum iure communi Cæsareo. Nam quibusdam locis hæc lucra censentur communia. *Quinto*. Si faciat eleemosynas & donationes secundum consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum. Quod si maritus prohibeat, videtur tantum prohibere excessum. *Ita Palud. supra Sylu. v. Eleemos. qu. 5. Angelus ibid. num. 7. & alij.* Si tamen constet illum omnino prohibere, putat Nauarr. & quidam alij illam non posse quidquam dare. Sed contrarium est verius, quod etiam tenet *Molina disp. 274. & Petr. Nauar. lib. 3. cap. 1. num. 83.* Et colligitur ex ratione, quam Syluester, Paludanus, Angelus, & alij Doctores afferunt, quia consuetudo tribuit ius, non secus ac priuilegium, vel lex: quo iure maritus illam priuare non potest: præsertim, cùm ius positiuum magnam vim habeat circa bonorum administrationem, vt eam vel restringat marito, vel laxet. *Sextò*, si det ad impediendum damnum mariti, siue temporale, sicut fecit Abigail 1. Reg. 25 siue spirituale largiendo eleemosynas, ne Deus illum ob flagitia puniat, vel vt ad fidem conuertat, *vt docent Ang. & Sylu. supra, Nauarr. num. 154 & alij.* Ratio est quia vtilissimè gerit negotium mariti, nec ipse potest rationabiliter esse inuitus. *Septimo*, si pro rebus familiæ, vel ubi necessariis accipiat vt pro vestibus, pro victu, pro medicamentis quia maritus non potest iustè recusare. *Octauo*, si maritus est amens, vel fatuus: tunc enim administratio ad illam deuoluitur, nisi aliter à magistratu sit prouisum. *Nono*, si maritus est absens, quia tunc etiam pertinet ad eam administratio,

stratio, nisi aliud à marito sit præscriptum. Nauarr. tamen putat, eam in his duobus casibus non posse amplius dare quam maritus præsens, vel compos mentis solitus erat. Sed verius est eam posse dare prout ratio dictabit, quia potest secundum suam prudentiam administrare. Vnde alij DD. non addunt eam limitationem, *vt Palud. Sylu. Angelus. Decimo*, si maritus est dissipator, qui rem communem in compotationes, largas donationes, & similia profundat: tunc enim facit vxori iniuriam, partem ipsius sine eius consensu profundens. Nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum est vxoris, & dos tota. Vnde soluto matrimonio, tenetur maritus, vel eius hæredes, ad restitutionem vxori, & hæredibus eius. Quare si vxor difficultates metuit, potest occultè compensatione vti accipiendo ex bonis mariti, vt sibi vel liberis consulat, quantum opus est vt sua pars salua sit, vt rectè docet *Pet. Nauarr. l. 3. c. 1. n. 114. contra Nauarr.* qui putat maritum non teneri ad restitutionem, si malè expendat lucra communia. *Vndecimo*, si pater, vel mater vxoris sint pauperes, ita, vt miserè secundum suum statũ viuant, tunc enim si maritus nolit illis succurrere, potest vxor ex bonis communibus, vel ex sua dote subtrahere, vt illis det. Idem dicendum, si habeat proles ex alio matrimonio, quæ similiter egeant. Ita *Petr. Nauarr. n. 159. & Cordub a quæst.* 125. Ratio, quia iure naturæ tenetur illis succurrere, si potest, & illi ius habent alimenta ab ea petendi. Vnde maritus non potest iure id ægrè ferre. Tenetur tamen vxor omnia quæ sic dederit, referre in suam partem, cùm ad portionem cum hæredibus viri ventum erit. *Duodecimo*, si frater vel soror vxoris simili paupertate conflictentur, probabile est vxorem posse illis simili ratione succurrere. Ita *Pet. Nau. n. 161.* Ratio est, quia maritus iure communi tenetur fratribus suis subuenire, vt docent communiter DD. cum Glossa in *l. qui filium ff.*

vbi pupillus educari debeat, ergo idem dicendum est de vxore, vt latius colligitur ex l. mutuus, ff. de iure dotium.

## QVÆSTIO LXVII.

*De iniustitia iudicis.*

1. PRæterea, quæ dicta sunt quæstione sexagesima, pauca huius loci tractanda sunt hîc.

Quæst. 1. *An Iudex possit condemnare reum secundum allegata & probata, quem tamen certo scit esse innocentem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Iudex in tali casu tenetur omnes vias & rationes inire, quibus possit illum liberare, vt v.g. impediendo accusationem, si potest: sæpè & per interualla examinando testes, an nihil varient, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, si commodè & sine scandalo fieri potest. Si hac ratione non potest eum iuuare, debet Iudex inferior causam remittere ad superiorem, & deposita Iudicis persona assumere officium testis apud superiorem, si putet eum hac ratione liberari posse, *vt docet Caiet. hic. art. 2.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si his modis non possit illum liberare, & pars aduersa vrgeat condemnationem, probabile est posse eum tunc condemnare secundum allegata & probata. Ita docet *D. Thom. hic art. 2. & eius Discipuli cum plerisque Theologis. Et Couarr. l. 1. variar. resol. capit. 1. num. 6. & alij multi, quos ipse citat.* Fundamentum præcipuum est, quia Iudex non iudicat, vt persona priuata, sed vt publica: ergo non debet sequi priuatam, sed publicam scientiam.

3. TERTIA CONCLVSIO. Verius tamen videtur Iudicem nullo modo posse talem innocentem ad mortem condemnare, sed potius debere officium dimittere, etiamsi hoc modo nihil esset reo profuturus. Ita *Nicolaus Liranus in cap. 23. Exodi, Adrian. quodlib. 6. art. 3. Angel. v. Iudicare num. 7. Petr. Nauarr. c. 3. n. 161. Hostiensis, Calderinus, Panorm. in c. pastoralis, de offic. deleg. Et multi alij, quos citat Couarr. l. cit.*

Probatur *Primo*, quia interficere innocentem est per se malum, ac proinde nullo modo licet. Vnde & iure naturali & diuino prohibetur. Exod. 23. v. 7. *Insontem & iustum non occides.* Respondent aliqui illum, qui conuictus est per testes, non esse innocentem, quia publica opinione habetur nocens & improbus. Sed contra, quia opinio & calumniæ aliorum non possunt facere nocentem, qui reuera innocens est: alioqui Susanna fuisset damnanda nocens, quam tamen scriptura vocat innocentem; non debet admittere falsos testes, iuxta illud Exodi 23. v. 1. *Non suscipies vocem mendacij, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ; vt à vero deuies.* Respondent secundò alij: non quidem licere interficere innocentem directè, sed benè indirectè: vt cum in oppugnatione vrbis tormentum dirigitur in locum, vbi multi sunt innocentes. Atqui in nostro casu innocens occiditur indirectè, quia Iudex non intendit illum occidere: sed seruare præscriptum legis, & procurare bonum publicum. Sed contra, quia est dispar ratio. Nam qui vrbem oppugnat, habet ius dirigendi tormenta in quamuis partem vrbis, quæ ei visa fuerit: quo iure non potest priuari per hoc quod aliqui innocentes ibi constituantur. Deinde datur hic actus distinctus ab occisione innocentis, quem actum ille directè intendit, cui solum indirectè, & per accidens coniuncta est occisio innocentis: qui autem condemnat innocentem, non habet ius ferendi sententiam in hunc hominem, cùm hoc ipsum sit directè occidere hominem innocentem, neque intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui ipsa per accidens sit coniuncta, sed ipsammet occisionem.

4. DICES *primo*. Intendit seruare ordinem iudiciorum & bonum publicum, cui per accidens coniuncta est occisio innocentis, sicut qui alterum occidit causa

defensionis sui, intendit conseruationem sui, cui per accidens & indirectè coniungitur occisio inuasoris. Respondeo. Seruare ordinem iudiciorum & bonum publicum in hoc casu non est quid distinctum ab occisione huius hominis. Nam directè per huius occisionem intenditur hæc conseruatio. Imò occisio huius hominis putatur esse conseruatio ordinis iudiciorum. Nec est simile de inuasore, qui reuera nocens est. *Secundo.* Probatur, quia Iudex non habet authoritatem occidendi innocentem Nam vita innocentis soli Deo subiecta est. At Iudex à Deo non habet hanc authoritatem; ergo à nullo habet.

5. Dices *secundo.* Habet authoritatem à Repub. occidendi illum, qui probatus est nocens Respondeo, auctoritas, quam habet à Repub non est, nisi propter bonum Reip. sed propter nullum bonum Reipub. licitum est, directè occidere innocentem, vt supra ex communi sententia probatum est.

3. Probatur, quia ratio naturalis ideò dictat iudicem debere sequi notitiam publicam per allegata & probata, ne facilè abetret & discedat à veritate & iustitia in iudicando: Hæc enim est ratio illius legis & obligationis: ergo quando est ei euidens iudicium fore iniustum, si sequatur allegata & probata, non debet ex illis iudicare; nulla enim lex seruari debet, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est intentioni & fini legis contrarium. *Quarto.* Si lex statueret, vt qui per calumniam oppressus est, damnaretur, etiamsi Iudex sciat illum esse innocentem, talis lex esset iniqua & æquas aures offenderet; ergo illud ipsum opere exequi est iniquum. *Quinto.* Fieri potest, vt ipse Iudex accusatorem & falsos testes subornauerit, & postea non possit illos impedire, poteritne etiam tunc illum condemnare?

6. Prima Obiectio. Lex diuina vult vt Iudex sequatur testes. Deut. 17. versu 6. *In ore duorum vel*

*Trium testium peribit, qui interficietur*, & Matth. 18. ver. 16. *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Respondeo. Lex diuina solum vult non sufficere vnum testem, sed requiri vt minimum duos, vt quis possit interfici. Vnde Deut. 17. post verba cit. sic subiungitur. *Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.* Hinc tamen non sequitur Iudicem debere interficere innocentem, quandocunque sunt duo testes.

7. SECVNDA OBIECTIO. D. Ambrosius *serm. 20. in Psal. 118.* sic habet: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & iura pronuntiat.* Respond. nihil facit ex arbitrio suo, non quod non debeat vti magna industria, examinando testes seorsim, minando, promittendo, differendo iudicium, mittendo ad superiorem, quæ omnia ex priuata sententia facit: sed debet pronuntiare sententiam ex legum præscripto, non contra. Vt si lex irritat contractum, debet pronuntiare irritum: si iubet esse ratum, debet pronuntiare ratum: si constituit crimini certam pœnam, non debet eam mutare, præsertim in grauiorem.

8. TERTIA OBIECTIO. Iudex non iudicat, vt persona priuata, sed vt publica: ergo non potest sequi scientiam priuatam, sed tenetur sequi publicam. Resp. Hinc benè concluditur Iudicem ex priuata scientia non posse authoritate iudiciaria condemnare & absoluere (nisi fortè aliquo casu, de quo infra) non tamen concluditur eum teneri sequi scientiam in condemnando, quando certo nouit illam scientiam nihil aliud esse, quam iniquum errorem & calumniam; cùm hac enim rationabili exceptione intelligendæ sunt huiusmodi generales sententiæ, ne id quod pro iustitia seruanda introductum est, detorqueatur ad iniuriam.

9. QVARTA OBIECTIO. Innocentius III. c. *Pastoralis de officio & potestate Iudicum deleg.* sic habet. *Attendentes, quod non cognitio, sed executio tantùm demandatur*

*eidem. Respondemus, quod cum ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam illam esse iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem.* Resp. *primò*, Pontifex loquitur de causis Ecclesiasticis, in quibus agitur de iis rebus, quæ subsunt Ecclesiasticæ dispositioni; non autem de supplicio capitis innocentis, quod illi minimè subiectum est. *Secundo*, Pontifex loquitur de eo, qui est merus executor, & nullam habet causæ cognitionem, hic tenetur exequi sententiam delegati, quam scit esse iniustam, id est, contra ius litigatoris; quia cum litigator non appellet, videtur cedere suo iure, vel agnoscere crimen. Si enim putet sibi fieri iniuriam per sententiam delegati, debet ab eo appellare ad Papam: non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullam, vt si esset lata, auctoritate falsarum literarum, vel per falsa instrumenta, vel per dolum aduersarij: tunc enim debet supersedere executioni: Ita Glossa.

10. Quinta Obiectio. Si hæc sententia vera est facilè possunt Iudices corrumpi pecunia, vt dicant se certo scire reum esse innocentem, & sic eum absoluant, vel certè non puniant, quod cedet in magnum Reip. damnum. Resp. Rarissimè, vel nunquam accidet, vt Iudices velint subire magnum illud discrimen, quod illis impendet, si verum criminosum, qui iuridicè probatus est talis; liberauerint. Nam difficile est sustinere tam apertum mendacium, quod tantoperè attingit honorem Accusatoris & testium: Si tamen id aliquando contingeret, non esset tanti momenti, vt ad illud euitandum etiam innocentes sint damnandi. Melius enim est decem nocentes absolui, quam vnum innocentem damnari. Adde Iudicem præsertim inferiorem, ex priuata sententia non posse absoluere vel damnare, vt dictum est: quamuis enim debeat non damnare, non tamen potest ex authoritate absoluere: sed potest illum detinere in carcere, donec habeat opportu-

hitatem dimittendi, aut certe remittere ad superiorem.

11. DICES. Quid si fiat cum magno populi scandalo? Resp. hoc facilè caueri potest vel certe curari, vt careat iusta ratione, si videlicet vel reus detineatur ad tempus in carcere, vel remittatur ad superiorem, vel si Iudex sit supremus Iudex, poterit interposito iureiurando apud populum eius innocentiam testari.

Quæst. 2. *An idem sit dicendum de causis ciuilibus?*

1. HOc interest inter causas ciuiles & criminales, quod in his agatur de vita & capite, in illis de pœna pecuniaria, exilio, priuatione beneficij, vel officij. Est ergo quæstio: An sicut Iudex non potest in criminalibus damnare reum secundum allegata & probata, quem scit esse innocentem: ita etiam non possit in ciuilibus. Liranus, Angelus, Panormitanus, & quidam Canonistæ putant esse eandem rationem in vtrisque.

2. PRIMA CONCLVSIO. In causis ciuilibus, quando Iudex certò scit, alteram partem falsis probationibus niti, tenetur quidem omni industria curare, vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur: tamen si id non potest efficere, potest ex illis probationibus sententiam ferre. Ita ferè reliqui DD. Probatur. *Primo*, quia Respub. habet authoritatem disponendi de fortunis suorum ciuium, easque de vno in alium transferendi, prout bono publico expediens fuerit, vt ex LL. *Vsucapione*, ergo quando est iusta causa, potest id facere. Atqui hic est iusta causa, tum ne forma publicorum iudiciorum cum populi scãdalo peruertatur: tum, quia non suppetit ratio incommodum huius hominis auertendi: ergo Respublica potest statuere vt Iudex in tali casu publicam iudiciorũ formam sequatur, etiamsi innocens suis fortunis priuandus sit. Confirmatur, quia nemo ciuium id merito potest ægrè ferre, aut queri iniuriam sibi esse factam à Iudice per talem sententiam, cum videat se ab illo iuuari non posse: neque par esse, vt Iudex

officium potius deserat, quam sententiam ferat. *Secundo*, quia hæc bona non possunt recuperari. Nam innocens non ita per sententiam illis priuatur, vt dominium amittat, vt rectè docet *Arragon. quæst. 60. art. 5. & Sotus l. 3. de iust. quæst. 4. art. 5. & alij*: non enim ea mens est Reipub. nec esse iustè potest, cùm sententia falsis probationibus nititur. Itaque potest innocens ea occultis modis recuperare ab eo, cui sunt adiudicata. Hoc tamen intellige de re pecuniaria, non autem de beneficiis & officiis: cùm enim aliquis per sententiam legitimo iuris ordine his priuatur, verè amittit dominium, & possunt alteri validè conferri, *vt docet Sotus supra, Panorm. in c. 1. de concessione præbendæ, Innocentius in c. Quia plerique de immunitate Ecclesiæ, & alij*. Ratio est, quia beneficia & officia sunt bona publica, de quibus Ecclesia vel Respub. liberiùs potest dispensare quam de priuatis. Itaque quando causa subest, potest non solum eorum possessione, sed etiam dominio priuare.

5. Secunda Conclusio. Hinc patet magnam esse differentiã inter causas ciuiles & criminales. Nam Respub. potest disponere de rebus, de quibus sunt causæ ciuiles: non autem de vita & mẽbris, de quibus sunt potissimum causæ criminales. Vnde mirum non est si possit statuere in illis, vt seruetur forma iudiciorum contra priuatam scientiam: non autem id possit in his.

Quæst. 3. *An Iudex possit aliquem ex priuata scientia condemnare?*

1. Prima Conclusio. Inferior Iudex nullo modo id potest Ratio est, quia non potest dispensare in legibus superioris: vna autem illarum est, vt nemo condemnetur sine testibus.

2. Secunda Conclusio. Probabile est supremum principem posse ex priuata scientia etiam contra fidem actorum sententiam proferre, tam condemnatoriam, quam absolutoriam. *Ita Conarruuias libro 1. variar.*

*resol.c.1.num.7. Bartolus & alij in l.1.* C. vt quæ desunt aduocatis partium, Iudex suppleat, *Albericus in l. illicitus §. de off. præsidis, & Felin. in c. Pastoralis.* Probatur *primo*, quia est iuris positiui, vt ex allegatis & probatis sententia feratur. At supremus princeps potest dispensare in iure positiuo. *secundo*, quia principi supremo non minus credendum est, quam duobus vel tribus testibus, ac proinde ipsius iudicium & sententia æquiualet sententiæ publicæ, quæ censetur esse in duobus vel tribus testibus.

3. TERTIA CONCLVSIO. Probabilius est eum id facere non posse. *Ita Caiet. V. Homic. Nauarr. c. 25. n. 9. Sotus l. 5. quæst. 1 art. 3.* Probatur *primo*, quia quod solus Iudex vidit, censetur adhuc occultum in iudiciis humanis, ergo non potest publicè condemnare.

Confirmatur *Primo*, quia tollitur reo iusta sui defensio: potest enim se defendere, quamdiu crimen non est probatum, & maximè si probari nequeat. *Secundo*, quia vsurpatur in illum potestas iudicandi, cum solus Deus sit occultorum iudex, vt passim canones tradunt c. *Erubescunt d. 32.* & cap. *consuluisti 2. quæst. 4. & c. Tuanos. de simonia.* Quibus locis est sermo de occulto, quod testibus probari nequit, etsi in opus externum prodijt.

*Secundo* probatur, quia Iudex sicut ex potestate publica, ita etiam ex scientia publica iudicare debet. Nam actus publicus debet procedere à potestate publica, notitiaque tanquam à causa sibi commensurata, vt rectè Caietanus suprà. *Tertio*, quia Princeps non habet maiorem potestatem, quàm sit ea, quam Respub. in illum transtulit. Atqui Respub. nusquam gentium, vbi non est tyrannicum regimen hanc potestatem principi dedit vt pro suo iudicio reos posset absoluere tanquam innocentes, vel damnare tanquam nocentes, contra publicas probationes. Id enim esset dare licentiam

exercendi tyrannidem, & omnia pro suo arbitrio administrandi.

4. Ad *primum* Arg. contrarium Resp. Vt sententia feratur ex publicis probationibus non esse merè iuris positiui in quo princeps possit dispensare, sed esse iuris gentium, quod apud omnes est receptum, & sub cuius onere & obligatione Respublica censetur suam potestatem in Principem transtulisse, ita vt si princeps non obseruet id, manifestè videatur declinare in tyrannidem.

Ad *secundum* Resp. Etsi principis assertio in testamentis & contractibus possit æquiualere pluribus testibus, non tamen in causis criminalibus, quando agitur de condemnando: maximè si sunt probationes in contrarium. Vnde nec absoluere nec condemnare potest, auctoritate priuata, quia iudicat, & testatur non esse condemnandum, & habenda est ei fides, vt qui sit fide dignissimus.

5. Qvarta Conclvsio. Respub. posset Principi concedere auctoritatem, vt priuata scientia absoluere & condemnare possit. Ratio est, quia potest cedere suo iure quod habet ad famam circa occulta. Item iure, quod habet, vt de occultis non possit ab homine puniri, & totum hoc ius potest conferri in Principem, ergo tunc Princeps absque vlla iniuria poterit de occultis punire. Confirmatur, quia in quibusdam Religionibus subditi cedunt suo iure, vt à superioribus suis ex priuata scientia puniri possint, saltem pœnis modicis: ergo idem potest fieri in Republica.

Quæst. 4. *An iudex possit aliquem non citatum & auditum condemnare?*

1. EX dictis suppono inferiorem id non posse, quia lex superioris est, vt nemo condemnetur inauditus. De supremo quæstio est.

2. PRIMA CONCLVSIO. Princeps quamuis sit certus de crimine, non potest ordinariè condemnare, nisi citatum, & auditum. Est communis. Ratio, quia si contra faceret, offerret reo arma, quibus se iure potest defendere, vel negando crimen, si occultum est; vel certè excusando eo modo, quo poterit. Vnde iure gentium receptum est, vt id ita fiat.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Extraordinariè tamen in quibusdam casibus non est necesse hoc seruare. *Primò*, si crimen est publicum, vt docet *Nauarr. c. 25. num. 10.* Sic latrones reperti in crimine interdum è vestigio suspenduntur, sine vlla defensione, aut processu. Ratio, quia factum notorium, seu publicum, est loco accusatoris & testium, nec relinquit reo vllum ius defendendi se in iudicio. *Secundo*, quando esset periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, si iuridicè procederetur, vt docet *Nauarr. & Sylu. v. Homic. quæst. 2.* vt si v. g. esset persona valde potens: tunc enim debet eius causa priuatim discuti, nisi sit omnino euidens. *Tertio*, quando quis machinatur Reipub. vel priuatis perniciem, quæ aliter auerti nequit, quanquam hoc non tam est punire crimen commissum, quam impedire malum impendens. *Quarto*, si crimen soli Principi, & tribus alijs notum sit; ita vt iuridicè probari possit: tunc enim posset occultè interfici reus, sine citatione & probationibus, si publicè absque graui aliquo incommodo puniri non possit. Ratio est, quia quando crimen sic est probabile, tunc constat reum non habere iustam sui defensionem in iudicio. Ita *Petr. Nauarr. art. 192. Arragon. quæst. 67. art. 2. Couarr. l. 1. variar. resol. c. 1. num. 7. & Iurisp. supra citati.*

Quæst. 5. *Quot modis Iudex iuridicè procedat aduersus criminosos?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Solèt communiter assignari tres modi: vel enim procedit via accusa-

tionis, vel denunciationis, vel inquisitionis, vt expresse habetur c. *Qualiter & quando. 2. de accusationibus.* Via accusationis procedit, quando est aliquis actor, qui spondet se obiecta probaturum. Denunciationis verò, quando aliquis detulit crimen, qui non vult suscipere onus probandi. Hoc enim differunt accusator & denunciator, quod illi incumbat onus probandi; huic minimè. Est autem duplex denuntiatio. Altera dicitur Euangelica, quæ tendit ad emendationem proximi, & fit superiori tanquam patri de qua in materia de correptione fraterna. Altera est iudicialis, quæ spectat vel punitionem criminum ob bonum commune, vel certè mali alicuius aut damni impeditionem, & fit superiori tanquam Iudici. Via inquisitionis proceditur; quando Iudex seu superior ex officio procedit ad purgandam prouinciam, vel aliquem locum suæ iurisdictioni subiectum reformandum, vel ad inuestigandum criminis commissi auctorem.

2. Dices. Iudex non potest aliquem condemnare sine accusatore, vt docet *D. Thom. quæst. 97. art. 3.* ergo potest tantum procedere via accusationis. Resp. Iudex non potest condemnare sine accusatore generatim accepto. Nam semper requiritur accusator formalis, vel virtualis. Virtualis dicitur, qui supplet vicem accusatoris. Vicem eius supplet in criminibus contra bonum publicum simplex denunciatio. In priuatis si sint notoria, ipsa facti euidentia; præsertim si de auctore constet.

3. Secvnda Conclvsio. Illi tres modi possunt ad duos reuocari: vel enim Iudex procedit ex officio, vel ad instantiam partis. Ex officio procedit, quando præcedente aliqua infamia, vel denunciatione capit informationes, & format inquisitionem contra auctorem, vt sic ad plenam probationem & scientiam perueniat. Ad instantiam partis procedit, quando pars of-

fensa, vel alius ad quem iure spectare potest, accusationem porrigit, & Iudex ea admissa secundum probationes procedit. Quando ergo Iudex agit ex officio, procedit per inquisitionem: quando vero ad instantiam partis, per accusationem: Denunciatio vero non est aliqua via procedendi per se distincta, sed est quoddam præuium vt Iudex procedat ex officio, siue per viam inquisitionis.

4. TERTIA CONCLVSIO. Modus procedendi ex officio, siue per inquisitionem, extendit se ex dispositione iuris canonici ad omnia crimina, secundum *Archidiac. in c. Felicis, de pœnis in 6.* In omni enim genere criminum possunt Iudices per inquisitionem procedere. Idem ex consuetudine seruatur in foro ciuili. Vnde in quibusdam regnis via inquisitionis est adeò ordinaria, vt altera, nempe accusationis, non admittatur nisi in paucis casibus. Nam in regno Neapolitano nemo admittitur ad accusandum, nisi suam, vel suorum iniuriam exequatur. Similiter in regno Franciæ prohibita est omnis accusatio, quæ tendit ad vindictam publicam, & solum permittitur pro interesse ciuili. Vnde in omnibus casibus criminalibus procedituir per viam inquisitionis, *vt docet Iulius Clarus lib. 5. quæst. 3. num. 6.*

Quæst. 6. *An quando Iudex procedit viâ inquisitionis generalis, debeat præcedere infamiâ personæ delictum?*

1. TRiplex est inquisitio, *prima* est omnino generalis, quâ in genere inquiritur. An subditi seruent leges? An non committantur crimina? An de nullo sit fama vel suspicio alicuius criminis. Hâc vtuntur prælati & superiores in visitatione prouinciæ, & locorum subiectorum. *Secunda*, est omnino specialis, qua de certa persona, & de certo crimine quæritur, v. g. An Petrus commiserit furtum, vel simoniam? *Tertia*, est mixta, quãdo vel solũ crimen est speciale, vel sola persona;

vt v.g. Qui fecerit istud homicidium. An Petrus seruet ordines Synodales. De *prima* hic agitur, de *secunda & tertia* in sequent.

2. PRIMA CONCLVSIO. Vt Iudex faciat inquisitionem omnino generalem, non est necesse vt aliqua infamia præcesserit. Est communis, & colligitur ex c. *Perniciosam, de officio Iudicis ordinarij*, & ex c. *Romana, de censibus in 6.* Ratio est, quia talis inquisitio est necessaria ad purgandam Remp. & ad mores reformandos. *Secundo*, quia per eam nulli fit iniuria, cum de nemine in particulari fiat inquisitio.

DICES. Per eam deteguntur occulti peccatores. Respondeo: Hoc fit præter intentionem inquirentis, vt in sequentibus explicabitur.

3. SECVNDA CONCLVSIO. In hoc tamen casu interrogati subditi non tenentur patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant. Est communis, & colligitur ex cap. *qualiter & quando supra*. Ratio est, quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur. Atqui potestas Iudicis non extendit se ad occulta eliciendà, quia indè sequerentur maxima incommoda in Repub. Itaque etiamsi sub iuramento vel sub pœna excommunicationis præcipiat, vt dicas veritatem de eo, quod nosti, tamen non teneris, sed potes cum restrictione mentali, dicere te nescire quidquam, intelligendo tacitè te nescire eo modo, vt tenearis patefacere.

4. TERTIA CONCLVSIO. Imò non licet subditis patefacere occultos criminosos ad punitionem, vt colligitur ex c. *Qualiter supra*. Et peccant contra iustitiam si patefaciant: præsertim, quando crimen est tam occultum, vt probari non possit. Ratio est, quia nullum ius habent patefaciendi occulti criminis. Nam si probari non potest, non potest etiam puniri, ac proinde

non poteſt ex eius reuelatione aliud ſequi, quam infamia.

5. QVARTA CONCLVSIO. Excipio tamen duos caſus quibus poteſt ſuperiori patefieri, etſi omnino occultum ſit. Prior eſt, quando id putatur eſſe neceſſarium ad illius emendationem: tunc enim aperiendum eſt ſuperiori, non vt Iudici, ſed vt patri, vt ſua prudentia & auctoritate illum emendet. Poſterior eſt, quando aliquod malum vel ſpirituale, vel temporale impendet ab aliquo, quod commodè auerti non poteſt, niſi opera ſuperioris. Hinc ſequitur occultum crimen tribus modis poſſe manifeſtari. *Primò*, ad punitionem. *Secundò*, ad emendationem. *Tertio*, ad auertendum malum. Primus modus eſt illicitus; reliqui duo liciti.

Quæſt. 7. *An ad inquiſitionem neceſſe ſit infamiam præcedere?*

1. DIfficultas eſt, an quando crimen eſt publicum, ſed auctor ignoratur, poſſit Iudex inquirere, quis fecerit. *Negat Caiet. quæſt. 69. art. 1. & 2. & Dom. Soto in tract. de ſecreto memb. 2. quæſt. 6. dub. 4.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Quando manifeſtum eſt, licitum eſt Iudici quærere in genere, quis fecerit: non tamen in particulari: An Petrus fecerit, niſi de eo ſit aliqua fama, vel indicium. Ita *Sylu. v. Conceptio num. 6. Nau. c. 18. num. 40. Innocent. in c. Bonæ 1. de electione. Panorm & Imola ibid.* Probatur *primò*, ex communi praxi iudicum Eccleſiaſticorum & ſæcularium. *Secundo*, quia niſi fierent tales inquiſitiones, duo grauiſſima mala in Repub. ſequerentur. Nam & populus grauiter offenderetur, videns Iudicem non inquirere authorem aperti criminis: & malefici ſpe impunitatis inualeſcerent. *Tertiò*, quia nemo poteſt queri ſibi factam iniuriam per hanc generalem inquiſitionem: imò tota Reſpub. illam deſiderat.

3. DICES. Canones prohibent, ne procedatur

per inquisitionem, nisi de auctore sit fama, vel certè indicium. c. *cum oportcat, de accusationibus, & c. Inquisitionis & c. Qualiter & quando. 2. ibidem.* Resp. Canones illi loquuntur expresè de inquisitione speciali, qua inquiritur de Petro vel Paulo: non autem de ea, qua generatim quæritur, quis fecerit.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Etsi superior in hoc casu vt officio suo satisfaciat, possit sub iuramento generatim inquirere à subditis, quis fecerit: subditi tamen non tenentur patefacere authorem, si nulla laboret infamia, & nihil mali in posterum timeatur. Prima pars patet ex dictis. Secunda est communis sententia & colligitur ex canon. supra dictis. Ratio est, quia superior non potest obligare subditos, vt reuelent occultos peccatores, sed solum vt eos, qui infamia aliqua laborant: multo minus occultus peccator tenetur seipsum prodere.

5. DICES *primo*. D. Thom. in capitulo generali apud Paris. dicitur respondisse, occultum authorem teneri se prodere ad præceptum prælati, quando crimen est notorium. Resp. Tunc solum erat Baccalaureus, & cæteri magistri eidem contradixerunt, vt refert *Sylu.* v. *Correctio, num* 6.

6. DICES *secundo*. D. Greg. interdixit cuidam sacra concione, qui libellum famosum sparserat nisi se proderet, & excommunicat eundem, si se non prodens accedat sacram communionem, vt habetur 5. *quæst.* 1. c. *quidam maligni*. Resp. Infamator ille, qui scripserat libellum famosum, tenebatur alterius famam reparare, vel certè probare, quæ in libello habebantur, quorum neutrum sine sui patefactione facere poterat.

Quæst. 8. *An ad inquisitionem specialem necesse sit infamiam præcedere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vt Iudex possit contra aliquē instituere inquisitionē specialē, tēdētem ad puni-

ad punitionem criminum, debet præcedere aliqua infamia authoris. Est communis: & colligitur ex c. *Inquisitionis* & ex c. *Qualiter, supra*. Ratio est: quia iudex quando ad punitionem criminum procedit, debet ex sententia publica procedere: sententia autem publica est, quæ habetur per accusationem, vel confessionem rei in iudicio, vel per infamiam, vel per facti euidentiam in conspectu Iudicis, & aliorum. Confirmatur, quia meritò quisque posset queri sibi fieri iniuriam, nisi in vitam eius iuridicè inquireretur, cuius fama alioquin est integra. NÃ per talẽ inquisitionẽ redditur suspectus.

2. QVÆRES. Quanta debeat esse ista infamia? Resp. non sufficit, vt duo, vel plures etiam iurati affirment se vidisse crimen illud committentem, vt expressè habetur c. *inquisitionis*, quia adhuc res est occulta, ac proindè minimè per publicam inquisitionem prodenda: sed requiritur, vt rumor de eo sparsus sit per maiorem partem viciniæ, vel Collegij, vel vniuersitatis, in qua commoratur, vt dicatur ibidem infamia laborare, vt docet *Sotus tract. de secreto memb. 2. q. 6.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Excipiuntur tamen aliqui casus, quibus non requiritur ad specialem inquisitionem infamia præuia de illo crimine.

PRIMVS est, si quis confessus sit crimen occultum in iudicio etiam coram paucis, vt coram solo Iudice & Notario, vt colligitur ex c. *de accusation. in 6.* Nam talis confessio inducit notorium iuris. Idem dicendum, etiamsi solum incidenter illud confessus sit, vt communiter tradunt *Iurisp. cum Bartolo in l. 2. §. ad L. Iuliam de adult.* Non tamen sufficit confessio extra iudicium, etiamsi coram multis facta sit, nisi ex ea orta sit infamia, vt *vult Nauarrus*, etsi contrarium inuenitur in praxi, de quo infrà, neque ea, quæ facta est metu tormentorum, si postea tanquam metu facta reuocetur: neque ea, quæ facta est coram Prælato incogitanter, aut in aliqua Epi-

stola secreta, quam Prælatus aperuit, *vt docet Sotus loco citato.*

4. SECVNDVS est, quando Iudici per generalem inquisitionem [illegible] præcedenti patefactus est author, tunc enim potest contra eum procedere, vt docet *Nauarr. supra n. 87. contra Sotum, & est communis Iurisp. in l. 2. §. de adult.* Nec refert, quod testis fortè peccarit reuelando, eo quod nulla esset infamia, quia ex quo crimen deductum est in publicam Iudicis notitiam, siue benè, siue malè, ille tenetur contra illud procedere per particularem inquisitionem, & punire, vt docet idem Nauarr. Nota tamen hos duos casus non esse propriè excipiendos à regula illa generali, qua dicitur, absque infamia non esse speciatim inquirendum: quia notorium iuris vel facti plus est, quam infamia. Vnde si præcedente infamia licet, etiam licebit, cum res est notoria.

5. TERTIVS est, quando delictum commissum est in iudicio, vt si testis falsum deponat in iudicio: si accusator calumnietur, aut præuaricetur, aut tergiuersetur. Ita *Nauarr. n. 88.* Ratio est, quia hæc crimina censentur valde noxia bono publico, eo quod iustitiam iudiciorum publicorum vel euertant, vel impediant. Vnde merito ex indiciis & vehementi suspicione contra ea procedi potest.

6. QVARTVS est in crimine hæresis & apostasiæ. In his enim sine accusatore vero vel ficto (id est qui vicem accusatoris suppleat) etiam sine infamia inquiri potest, vt docet *Nauarr. n. 93. & c. & c. Excommunicamus de hæreticis, & L. Apostatarum. C. de Apostatis.* Ratio est, quia hæc crimina sunt maximè noxia Reipub. cum ab iis semper impendeat aliis periculum euersionis: requiritur tamen aliqua suspicio orta ex indiciis non leuibus.

7. QVINTVS est omni crimini læsæ Majest. humanæ, vt constat per *extrauag. Frederici Imp. quæ incipit ad reprimendum: & habetur post lib. feudorum* in hoc crimine

ante illam *extrauag.* non poterat procedi sine infamia, vel notorietate: post eam potest, vt ait *Bartolus in dictam extrauag.* quod *Nauarr. num.* 94. sic intelligit ante illam non potuisse procedi ad inquisitionem illius criminis iam perpetrati, nisi quis de eo esset infamatus, vel manifestus; post illam posse procedi etiam ex suspicione, vt si vnus vel plures suspicentur de aliquo, & id Iudici nuncient.

8. SEXTVS est, quando inquiritur de morte Domini contra seruos, vt si Dominus inueniatur occisus, & nesciatur auctor, iuxta *L. 2. ff. ad senatus consult. Silanianum*, & contra nautas nauis submersæ, iuxta L. *Quoties C. de naufrag.* quia etsi nulla aliquorum hominum fama sit contra illos seruos vel nautas: tamen est quædam populi de illis suspicio.

9. QVÆRES. An in aliis casibus licitum sit Iudici ad inquisitionem specialem procedere, & consequenter, an probanda sit praxis Iudicum secularium, qui ex denuntiatione publici officialis ad id munus deputati, vel alicuius priuati, aut ad querelam partis offensæ, quæ tamen onus probandi in se suscipere non vult, procedunt ad capiendas informationes & indicia, quibus habitis formant libellum inquisitionis. Nam hæc praxis videtur damnari ex communi sententia *Theolog. & Canonist.* qui docent, sine præuia infamia, vel æquipollente, non posse procedi ad inquisitionem: & probatur *Primo*, ex *canon. citatis. Secundò.* Probat Nauarr. quia lege diuina & naturali prohibemur inordinatè detrahere proximo, aut dare causam detrahendi: Eadem lege prohibemur scandalizare proximum: at publicatio peccati est proximi scandalizatio.

Verius tamen est illam praxin non esse damnandam si circumspectè, & iuxta leges, vel consuetudines in prouinciis receptas, fiat: idq; in grauibus casibus, vt in furtis, homicidiis, sacrilegiis, incestibus, aliisque criminibus

Remp. turbantibus; & non ad nudam punitionem, sed quod censetur necessarium Reipub. bono. Hæc sententia sic limitata probatur. *Primo*, quia est praxis Iudicum sæcularium Deum timentium in omnibus penè prouinciis, & maximè per Italiam recepta, vt testatur *Iulius Clarus q.3.* neque tamen à summo Pontifice, vel Episcopis ideò reprehenduntur, aut in malo statu esse censentur. *Secundo*, quia ita sentiunt doctissimi Iurisp. *cum Bartolo in* L. 2. *ff. ad* L. *Iuliam de adult. Tertio*, quia non est iuris diuini, aut naturalis, vt non fiat inquisitio sine infamia authoris præuia, sed est iuris humani, vt fatetur *Sotus in tract. de secreto membro 2. q. 6. dub. 2.* Atqui ius humanum potest contraria consuetudine legitimè præscripta aboleri: ergo hoc merito potest videri abolitum in sæcularibus tribunalibus, si tamen vnquam fuit ibi receptum. *Quarto*, etiamsi esset iuris naturalis, vt non fiat inquisitio sine præuia infamia: id tamen esset intelligendum, nisi Respub. cesserit suo iure. Atqui videtur cessisse, quia probat tales inquisitiones & eas cupit fieri.

9. Ad *primum* Resp. Canones loquuntur de Ecclesiastico Iudice.

Ad *secundum* prohibemur quidem iure naturali inordinatè aliquem infamare, aut dare causam infamandi, sed negamus illos Iudices inordinatè id facere. Nam sicut qui accusat aliquem de crimine occulto, quod testibus sufficienter probare potest, non infamat illum inordinatè: sic neque Iudex, qui ex denunciatione informationes capit. Habet enim iustam causam id faciendi.

Ad *tertium*. Publicatio peccati alicuius, maximè secularis, non est scandalizatio, quando sequitur punitio: imò cedit potius in exemplum toti populo.

Quæst. 9. *Quibus modis aperiatur via Iudici sæculari ad inquisitionem?*

CONCLVSIO. Multis modis id fieri potest, de quibus iam ex parte dixi. *Primo*, si delictum sit notorium, & author occultus: sed tunc potest solum generatim inquirere quis fecerit. *Secundo*, si auctor sit notorius. Probatur autem aliquid esse notorium per duos testes, vt docet Glossa in c. *Deus omnipotens* 2. q. 1. *tertio*, si sit fama de authore. *Quarto*, si sit communis suspicio. *Quinto*, si sint indicia iudicialiter probata, *Sexto*, si sit semiplena probatio, vt si crimen ipsum sit notorium: & accedat vnus testis omni exceptione maior de authore. *Septimo*, si pars offensa querelam offerat, & indicia, vel testes, à quibus informari possit, Iudici insinuet; tunc enim Iudex potest ab illis informationes de plano, vt dicitur, & absque strepitu accipere, quibus vbi satis instructus fuerit, poterit citare criminosum, & contra eum inquisitionis libellum formare. *Octauo*, si publicus officialis, vel alius denunciat iudicialiter, & testes, vel indicia significet. *Nono*, quando pars impingit crimen testi, vt contra illum excipiat, & illud probat, etsi non omnino plenè: tunc enim iudex de eo inquirere potest, si ad eius iurisdictionem pertinet. *Decimo*, quando quis intentat actionem ciuilem, vt sibi damnum farciatur ex delicto, v.g. ex incendio, homicidio, furto, illatum: tunc enim potest Iudex etiam contra illud delictum procedere, quia iam factum est quasi notorium. *Vndecimo*, si delictum sit commissum in iudicio. *Duodecimo*, si reus vel testis incidenter confessus sit in iudicio.

Quæst. 10. *Ex quibus indicijs possit Iudex reum subijcere torturæ?*

1. NOTA *primo*. Indicia à Iurisperitis generatim vocari omnia ea, ex quibus potest aliquo modo colligi, quis sit auctor criminis, vt fama, suspicio publica testimoniũ vnius vel plurium; cõfessio rei, & similia.

2. NOTA *secundo*. Distingui quinque gradus indiciorum. In *primo* sunt leuia, probabilia tamen, quæ probabilem suspicionem de auctore criminis commouent. In *secundo* sunt leuia probabiliora, quæ faciunt præsumptionem, id est, valdè probabilem suspicionem. In *tertio* sunt indicia grauia, quæ & legitima, & indicia iuris vocari solent. In *quarto* est probatio semiplena, quæ amplius quid est, quam indicium legitimum. In *quinto* sunt indicia grauissima, quæ & indubitata dicuntur. Indicia primi & secundi generis sufficiunt ad capiendas informationes, & etiam ad capturam, spectata conditione personæ, & causæ, & cæteris circunstantiis. Huiusmodi sunt assertio vulnerati morientis, vt si dicat à Petro se vulneratum: grauis inimicitia præcedens: assertio socij, qua socium criminis detegit. Hæc tamen indicia non sufficiunt ad formandum libellum inquisitionis contra aliquem, neque ad torturam, quia ad hæc requiruntur indicia grauia, & maximè ad torturam, quæ est graue malum, ac proinde sine graui causa irrogari non potest.

3. NOTA *tertio*. Torturam esse introductam, non in pœnam criminis commissi (hoc enim cum nondum plenè probatum, non potest puniri) sed in subsidium probationis, vt, quia sufficiens & plena probatio deest, ipse reus confitendo veritatem suppleat, quod ad plenam probationem requiritur, vt docet *Couarr. in qq. pract. q. 23. ex communi sententia*.

4. NOTA *quarto*. Torturam tantum adhibendam esse in criminibus grauioribus, quæ pœna corporali castiganda sunt: non autem in iis quæ exilio, vel pecunia. Ita *Gomez t. 3. c. 13. c. in 2.* Ratio est, quia reo nondum conuicto non potest irrogari pœna maior, quam sit ea, ad quam est condemnandus.

5. NOTA *quinto*. Iudicem non posse reum subiicere torturæ ad extorquendam criminis confessionem,

quando legitimè est conuictus per testes, etiamsi nolit fateri crimen, vt docet *Nauarr. c.18.n.59.* Ratio est, quia cum tortura adhibenda sit in subsidium ob defectum plenæ probationis, frustra inferretur reo conuicto, quia confessio non est necessaria ad condemnandum. Excipe tamen duos casus. Alter est, quando reus malitiosè appellat ad superius tribunal, vt executionem iustæ sententiæ impediat; quod in Italia & regno Castiliæ permittitur, si non sit confessus crimen, vt testatur *Nauarr.* tunc enim si crimen esset atrox, & expediret reum ibi puniri, posset torqueri ad eliciendam confessionem, vt iniqua appellatio impediatur. Alter est, quando putatur habuisse socios, vel commisisse alia crimina; hinc enim etiam per torturam potest de his interrogari, moderatè tamen pro ratione causæ indiciorum. Ita seruat tota Italia & Francia teste *Claro quæst. 64. num. 8.*

6. PRIMA CONCLVSIO. Ad torturam sufficit semiplena probatio: si tamen persona talis sit, vt torqueri possit. Est communis sententia teste *Claro quæst. 21. n. 2.* tunc autem est semiplena probatio, quando vnus testis, contra quem nulla est exceptio, deponit se vidisse hunc, tali loco & tempore, committentem homicidium, furtum. Quod si non viderit, sed audiuerit à fide dignis, vel si contra illum sit aliqua exceptio, vt si sit mulier, aut minor 20. annis, aut infamis, aut excommunicatus; aut inimicus, tunc eius depositio non facit sufficiens indicium ad torturam. Vnde grauiter reprehendendi sunt Iudices, qui ex tali indicio, absque vllo alio probationis adminiculo, torquent: quia ius id illis non permittit. Dixi *si reus possit torqueri*, quia quidam iure prohibentur torqueri, vel ob ætatem, vt impubes: vel ob debilitatem, vt senex, vel ob periculum abortus, vt mulier prægnans: vel ob priuilegiũ, vt vir illustris, aut in dignitate constitutus, eiusque filij, & Doctor eiusque liberi, & miles, de quibus *Gomez ca. 13. n. 2. & Clarus quæst. 64.*

Hi ne leuiter quidem torqueri possunt, etiamsi semiplenè probati sint, nisi in hæresi, proditione, vel simili crimine læsæ maiestatis; si in aliis torti fuerint, & confessi, quamuis postridie confessionem suam ratificent; non possunt tamen condemnari, quia confessio fuit irrita, vtpote per iniuriam extorta, & consequenter ratificatio, quæ ex illa sequitur, vt ex multis iuribus probat *Gomez num.* 4.

7. SECVNDA CONCLVSIO. Præter semiplenam probationem, etiam alia indicia minora, quam semiplena probatio, sufficiunt ad torturam, quorum præcipua sunt hæc. *Primum* est fama publica de auctore criminis: præsertim, si aliquibus aliis adminiculis iuncta sit, vt si ei accedat aliquis testis minus idoneus, v. g. assertio socij, vel minoris, vel si appareat vestigium facinoris vt teste, vel armis. Quidam putãt solam famam sufficere per duos testes probatam. Sed verius est non sufficere sine aliis indiciis. Ita *Clarus quæst.* 21. *n.* 1. Ratio est, quia fama in criminalibus non probat, sed habet se instar accusatoris.

8. NOTA tamen, si quis esset malæ famæ de similibus criminibus ante commissis, & publica etiam fama grauaretur in præsenti delicto, hic posset torqueri, quia fama prior adiuncta posteriori facit vehementem præsumptionem, vt *ibidem docet Clarus.*

9. *Secundum* est confessio rei extra iudicium, vt si apud aliquos se iactauerit de crimine, vel dixerit se authorem. Est communis, vt docet *Felin. in c. olim de restit. n.* 5. *& Gomez. n.* 8. Debet tamen hoc probari per duos testes omni exceptione maiores, si neget se dixisse, quia debet omnino de tali indicio constare. Nam cum ipsum crimen non certo concludatur ex tali indicio, etiamsi de indicio constet; multo minus procedendum est ex indicio dubio. Idem dicendum est de confessione facta coram Iudice incompetente, id est, qui non habet pote-

statem cognoscendi in causa, eo quod vel reus non sit illi subditus vel causa sit exempta; etsi enim ex tali confessione reus non possit condemnari à proprio Iudice, vt patet ex capit. *Ac sic clericis, de iudiciis*, potest tamen torqueri tãquam ex indicio, quod maximam præsumptionem criminis ingerit. Quod autem multi Iurisp. cum *Bartolo in l. 1. ff. de qq.* docent confessionem extraiudicialem ita valere ad torturam, vt si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari, etiamsi postea non ratificet confessionem, falsum est, si de condemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur: quia confessio in tormentis præcedentibus indiciis facta semper requirit perseuerantiam & ratificationem: alioqui est nullius momenti, cum vi tormentorum censeatur expressa

10. *Tertium* est assertio duorum vel trium sociorum: quando enim duo vel tres capti fatentur crimen & produnt aliquem socium criminis, potest hic capi, & torturæ subiici: & hoc seruatur in regno Neapolitano & Galliæ, *vt docet Clarus q. 21. num. 10.* debent tamen tunc cum iuramento deponere, quia agunt vt testes. Hoc tamen intelligi debet, quando non est iusta suspicio, id ex maleuolentia proficisci. Dictum vnius socij, etiamsi iuramento confirmetur, non sufficit ad torturam, nisi alter simul infamia, vel graui suspicione illius criminis laboret, quia per se est testis minus idoneus, qui tamen cum fama potest vehementem præsumptionem parere. Similiter assertio vulnerati persistentis in ea vsque ad mortem non sufficit ad torturam, vt expressè habetur *L. si quis in graui. ff. ad senatus cons. Silan.* Ratio est, quia præsumitur ex aliqua offensione, vel errore dixisse.

11. *Quartum* est fuga statim patrato delicto inita, vt habetur *l. Corn. ff. eod. tit.* si tamen citatus compareat, abstergit omnẽ suspicionẽ. Aliqui addũt solam fugam nõ sufficere, nisi præuia aliqua suspicione. *Vide Cler. n. 23.*

12. *Quintum* est inimicitia grauis non sola, sed cum aliis indiciis ex ea pendentibus, vt si ante minatus est, & minas suas solitus sit exequi: si parauit arma, & visus est circa illum locum eo tempore, quo homicidium putatur commissum. *Ita Bartol. & alij l. finali ff. de quæstionibus.*

13. *Sextum* est inconstantia & titubatio rei, dum examinatur circa principalia causæ, iuncta aliis indiciis, vt docet *Clarus num.* 39. sola tamen titubatio, vel solum mendacium non sufficit, quia aliqui ita perturbantur in illo examine, vt vix sciant, quid dicant.

14. *Septimum* est si quis visus sit exire domo, vel ex aliquo loco ense stricto, & ibi reperiatur aliquis interfectus. Ita *Gomez num.* 11. *& multi Iurisp. quos citat.*

15. *Octauum* est, si res sublata reperiatur apud reum, nisi docere possit, vnde eam habeat. Ita communiter DD. teste *Gomez n.* 12. qui hoc limitant, si est persona vilis, & de qua non sit bona opinio.

16. *Nonum* est, si commisso aliquo magno furto cuius nescitur author, aliqua vilis persona, quæ sæpe versari ibi solet, apparet repentè diues. Nam illis circumstantiis concurrentibus nascitur magna præsumptio aduersus eam, quæ sufficiens sit ad torturam, vt ex communi sententia docet *Gomez n.* 13. Hæc ferè præcipua sunt indicia à DD. explicata, ex quibus cætera prudenter æstimari poterunt.

17. QVÆRES *primo*. An sit sufficiens indicium ad capturam & torturam, quod recens occisus vel vulnus sanguinem emittat ad præsentiam huius, & non ad præsentiam aliorum? Aliqui affirmant, sed contrarium est probabilius cum *Gomez n.* 15. quia hoc indicium est nobis incertum, vtpotè ex causis nobis ignotis: non enim constat, an id fiat operatione diuina in detestationem homicidij, & vt sic homicida occultus patefiat: an ex aliqua causa naturali: an fraude aliqua diaboli. Idem di-

eendum videtur de probatione illa per aquam, qua iudices aliqui fœminas sortilegij suspectas solent in aquã certo modo ligatas iniicere, quæ si mergantur, absoluuntur: si mergi nequeant adiudicantur torturæ, quasi hoc sit indicium sufficiens ad torturam, cum tamen sit incertum. Nam si id opera dæmonis agitur, vt omnino agi videtur, incertum est: An ille non permittatur aliquando hanc calumniam struere innocentibus.

18. QVÆRES *secundo*. An reus possit sæpius torqueri, Resp. si nihil confessus est, non potest sæpius torqueri, nisi indicia sint grauissima, quia per illam constantiam videntur indicia elisa. *secundo*, si noua tamen indicia superueniant, repeti potest quæstio, vt habetur *l. vnius ff. de qq. Tertiò*, si quæ confessus est in confessione postridie reuocet, verius est rursum posse subiici, etiamsi noua indicia non superuenerint, quia per talem reuocationem indicia non sunt elisa: imo illa variatio videtur feciſſe nouum indicium.

Quæst. 11. *An iudex condemnans reum præter ordinem iuris teneatur ad restitutionem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Tenetur ad restitutionem, si condemnet non subditum, aut in crimine exempto. Ratio, quia facit ei manifestam iniuriam. Nam etsi alter dignus sit morte, tamen Iudex non habet authoritatem illum puniendi. Atqui ex iniuria nascitur obligatio restituendi, si ex ea damnum secutum sit. Nota tamen si proprius Iudex qui legitimè poterat reum condemnare, ratum habeat factum alterius, illum liberari ab obligatione restituendi. Ratio est, quia hoc ipso, quod proprius Iudex habeat ratum alterius iudicium, vult illud ex hoc tempore censeri tanquam à se factum.

2. SECVNDA CONCLVSIO: Etiam iudex proprius, qui condemnat reũ, vel ex priuata sententia, vel cognitione per iniuriam extorta, tenetur ad restitutionem. Ita

*Nauarr. cap. 18. num. 59. & alij.* Ratio est, quia quando ex priuata sententia condemnat, facit iniuriam reo tanquam Iudex minimè competens: non enim concessa est illi talis authoritas, vt ex priuata sententia progrediatur: quando autem per iniuriam extorquet crimen, dat iniustè causam damni: ergo tenetur ad reparationem damni, quod ex illa cognitione iniustè parta sequitur. Nota tamen, si iudici suppetebant aliæ rationes, ex quibus reum iuridicè damnare poterat, non teneri ad restitutionem, quia solum in modo inferendi damni iniuria commissa est, cùm idem damnum alia ratione iustè potuisset inferre.

## QVÆSTIO LXVIII.

### DE ACCVSATORE.

Quæst. 1. *Quid sit accusatio, & quas requirat solemnitates?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Accusatio propriè est delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta. *Ita Syl.* Finis accusationis est vindicta publica ad exemplum populi, vt omnes ab huiusmodi criminibus sibi caueant.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Ad eam iure communi requiruntur sex. *Primum*, vt fiat in scriptis. *Secundum*, vt exprimatur dies & annus quo intentatur. *Tertium*, nomen accusatoris & accusati. *Quartum*, species delicti. *Quintum*, locus & etiam tempus, nempe annus & mensis quo delictum commissum est. *Sextum*, inscriptio accusantis. Hæc omnia habentur l. *libellorum ff. de accusationibus.*

3. QVÆRES. An omnia planè necessaria sint. Resp. *Primum*, requiritur ex lege: consuetudine tamen receptum est, vt accusatio possit fieri verbaliter, modo Notarius eam statim in scriptum redigat. *Secundum*, iam non est necessarium, vt testantur DD. *Tertium* & *Quartum* & *Quintum*, nunquam debent omitti. *Sextum*, nempe

inscriptio accusantis, qua accusator se obligat ad pœnam talionis, modo non est necessaria in foro sæculari: imò nec in vsu; tum, quia id retraheret homines ab accusando: rari enim reperirentur, qui vellent suscipere onus probandi cum tanto periculo: tum, quia hoc tempore Iudex potest procedere ex officio, si accusator defecerit. In foro tamen Ecclesiastico, vbi seruatur ius canonicum, necessaria est: vt colligitur ex c. *Qualiter & quando 2. de accusationibus.*

Quæst. 2. *An accusationem debeat præcedere secreta monitio?*

1. Prima Conclvsio. Quandocunque crimen est probabile in iudicio, non tenetur accusator ex iustitia præmittere secretam monitionem, sed potest sine iniuria accusationem instituere. Ratio est, quia in tali casu propter bonum publicum concessa est accusatio, vel saltem denunciatio, vt crimina in exemplum aliorum puniãtur, & sic alij à malo deterreantur. Vnde reus non potest queri de iniuria sibi facta, quod ante monitus non fuerit.

2. Dices. Qui Euangelicè denunciat', tenetur prius monere peccatorem, si putet illum emendandum, idque ex iustitia, vt multi volunt: ergo etiam qui iudiciuliter denuntiat, vel accusat. Resp. Non est par ratio, quia qui euangelicè denunciat, nullam habet causam denunciandi, nisi fratris emendationem: ergo si priuatim emendari potest, non debet denunciare: quia non debet sine causa fratrem infamare: qui autem accusat, vel denunciat iuridicè, spectat punitionem ob bonum publicum. Vnde etiamsi frater esset priuatim emendandus, tamen subest iusta causa illud accusandi, nempe vt eius punitione alij terreantur.

3. Secvnda Conclvsio. Sæpe tamen fieri potest, vt priusquam accuses, vel denũcies iuridicè, tenearis lege charitatis proximum monere, vt desistat à crimine:

præsertim, si sit occultum, & speretur priuatis monitis esse emendandus, & ad debitam satisfactionem inducendus; maximè si persona habeatur honesta: tunc enim contra charitatem esset tantum malum irrogare.

4. Nota tamen, quando crimen est contra bonum publicum, & adhuc pendet, vel continuandum putatur in futurum, charitatem ordinariè non postulare vt monitio secuta accusationem vel denuntiationem præcedat; sed debere statim deferri Iudici, vt malo occurrat, vt v. g. si occultè aliquis hæreticus in vrbem irrepserit, si quis cum hoste occultè tractet, si consilia Principis significet, si falsam monetam cudat. Ratio est, quia periculum quod impendet est minoris momenti quam infamia & damnū quod alter ex accusatione incurrit.

Quæst. 3. *An accusator possit desistere ab accusatione incepta, & quas ob causas?*

1. Prima Conclvsio. Certum est posse & debere etiam desistere in his tribus casibus. *Primo*, si deprehendit se errasse; quia scilicet putauit hunc esse auctorem criminis, qui non est. *Secundo*, si res incipit esse dubia, & post diligentem inquisitionem maneat dubia. *Tertio*, si videt se probare non posse, tunc enim pergere in accusatione esset calumniari.

2. Secvnda Conclvsio. Certum est posse desistere, si Iudex accusationem refutet, nolendo eam admittere, vel si rescindat admissam. Hoc autem potest facere Iudex *primo*, si videt libellum habere aliquem defectū substātialē. *Secundo*, si accusatur aliqua persona, quæ non potest sine magna Reip. perturbatione puniri: tunc enim supremus Iudex potest accusationē inchoatā abolere; etiamsi accusator priuata causa, vt suas iniurias persequatur, accusaret. Ita *Caietanus a. 3.* Ratio est, quia Principis est primario gerere curam boni communis, ad quod refertur bonum priuatorum, ac proinde ipsius est cauere damnum publicum, etiam cū incōmodo priua-

torum. Iudex autem inferior ob eandem causam potest accusationem ab initio non admittere & repellere, idq; nõ ordinario iure & potestate, sed ex tacita quadã Principis voluntate: admissam tamen non potest ex authoritate abolere, sed potest suspẽdere, & dissimulare, & interim totũ negotiũ Principi exponere. *Tertio*, si persona illa bono publico cẽsetur necessaria, vel valde cõducibilis: tunc enim supremus Princeps potest accusationem abolere: inferior autẽ Iudex potest eã nõ admittere, & admissã impedire ex quadã æquitate; si nõ agitur de iniuria partis: si autem agitur de iniuria partis, non potest; quia ad ipsum non spectat principalis boni publici promotio, sed officij iniuncti administratio. Itaque tenetur parti ius dare, nec potest se prætextu maioris boni publici eximere. Alioqui hac arte sæpe Iudices liberarent, quos vellent.

2. TERTIA CONCLVSIO. In causa ciuili potest actor à lite recedere, siue per gratiam, siue per transactionem; si tamen actio sit famosa, qualis est furti, non potest in ea transigere post litis contestationem sine Iudicis authoritate, alioqui notatur infamia, vt patet L. *furti ff. de his qui notantur infamia.*

4 QVARTA CONCLVSIO. In causa criminali ante litem inchoatam licitum est desistere per gratiam, (si accusator non tenetur accusare vel denunciare,) post litem inchoatam non est licitum sine Iudicis authoritate, neque etiam sine consensu rei, si fuit subiectus tormentis, vel ex accusatione infamatus. Quod si aliter desistiterit, incurrit pœnam senatus cõsulti Turpiliani, quo punitur infamia, & quinque libris auri si crimen erat publicum quod accusauerat; vt patet L. 1. c. *ad Turpilianum*: si autem erat priuatum, punitur pœna extraordinaria, arbitrio Iudicis L. *si quis ff. eod. tit.*

5. QVÆRES. Quod crimen dicatur priuatum, quod publicum? Resp. priuatũ dicitur, cuius accusatio solum concessa est ei, qui iniuriam vel damnum passus est, vt

crimen furti, iniuriarum, stellionatus, vt patet ex L. si quis ff. ad Turpilianum. & *L. finali*, ff. *de priuatis delictis*. Publicum dicitur cuius accusatio cuilibet concessa est, quia ad publicam vtilitatem maximè pertinet illud puniri, vt patet ex l. 1. & seqq. ff. *de publicis iudiciis*. Tale est *Primo*, omne illud, quod directè fit contra Deum, & res diuinas, vt hæresis, blasphemia, euersio templorum & imaginum, & similia sacrilegia. Colligitur ex l. 4. c. *de hæreticis*. *Secundo*, tale etiam est, quod fit contra Majestatem Principis, vel Reipub. vt omnia crimina læsæ Majestatis. *Tertio*, quod fit contra priuatam personam, tunc demum censetur publicum, si lege statutum sit, vt publicum habeatur, vt crimen homicidij, parricidij, adulterij, peculatus, falsi, vis publicæ, vel priuatæ, ambitus, repetundarum, annonæ, vt patet L. 1. ff. *de publicis iudicijs*.

6. QVINTA CONCLVSIO. Licitum est transigere in crimine publico capitali, præterquam in crimine adulterij, quia hic transactio est turpis, si autem est crimen publicum non capitale, non est licitum transigere, nisi in crimine falsi, vtrumque habetur L. *Transigere* C. *de transactionibus*. In criminibus priuatis generatim transactio est licita. Quod tamen intellige ante accusationem. Nam post accusationem non potest fieri sine auctoritate Iudicis. Porrò in his omnibus videndæ sunt leges, & consuetudines prouinciarum. Nam hæc quæ ex iure allata sunt, supponunt accusationem fieri cum inscriptione, quæ tamen iam vix est in vsu.

## QVÆSTIO LXIX.

### DE REO.

Quæst. 1. *An reus à Iudice non iuridicè interrogatus teneatur fateri veritatem?*

1. PRIMA CONCLVSIO Reus nō tenetur veritatē fateri, aut iurare de calumnia id est, se in omni parte litis veritatem dicturum si iuridicè nō interroget

Iudex, aut iuris ordine seruato. Est communis, & colligitur ex c. *Qualiter & quando* & c. *cum oporteat*, & c. *inquisitionis de accusationibus*. Ratio est, quia tunc non potest reo vllam obligationem imponere ad crimen aperiendum, aut ad iurandum; cum ius ei hanc potestatem non concedat: Vnde sequitur reum non teneri ad eius mentem respondere, aut iurare; sed artificio eludere.

2. QVÆRES. Quando Iudex dicitur interrogare reum non seruato ordine iuris? Respondeo. Quando de crimine occulto interrogat, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena. Vt enim reo possit obligatio imponi à Iudice ad fatendum crimen; requiritur, vt iam aliquo modo deductum sit ad notitiam publicam.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non tenetur etiam crimen fateri, quando dubitat, an Iudex iuridicè interroget. *Ita Caiet. hic art. 1. Dom. Sotus tract. de secreto mēb. 3. quæst. 2. conclus. 2.* Probatur *primò*, quia nemo tenetur parere superiori cum graui suo vel alterius incommodo, nisi constet eum legitimè præcipere, & habere authoritatem obligandi; cur enim tantum onus teneatur suscipere ab eo, de quo dubitat, an possit imponere? *Secundo*, In dubio fatendum est reo. Hinc sequitur Iudicem teneri reo aperire statum causæ, probationes, indicia & testes, vt videat iuridicè contra se procedi, sequeinterrogari posse, & vt si quid contra habeat, possit opponere, & excipere.

## Quæst. 2. *An iuridicè interrogatus reus teneatur fateri Veritatem?*

1. ALiqui putant non teneri, si inde pœna temporali plectendus foret, teneri tamen si tantum pœna spirituali, vt excommunicatione. Ita *Panorm. in Cum super, de confessis, & alij in 2. concil. citandi.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Si iudex Iuridicè interroget, & hoc reo notum sit, tenetur veritatem fateri, etiamsi capite plectendus esset. *Ita D. Th. art. 3. Cajet. ibid. Henr. quodli. 1. quæst. 33. Palud. d. 19. quæst. 4. Nau. c. 25. num. 53.* Qui omnes generatim loquuntur, nec distinguunt inter pœnas. Probatur *primo*, quia quisque tenetur obedire superiori legitimè præcipienti. Atqui superior legitimè præcipit, quando secundum ordinem iuris interrogat reum, aut iuramentum defert: ergo reus tenetur parere dicendo veritatem. *Secundo*, in hoc casu Iudex habet ius eliciendi veritatem ob bonum publicum: ergo si reus eam occultet, facit contra ius & auctoritatem superioris. Hinc colligunt citati authores, reum non solum teneri, quia iurauit: sed etiam absque iuramento, ex vi solius præcepti superioris.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non est tamen improbabile reum non peccare mortaliter negando crimen; præsertim in causa capitali, quamdiu est spes euadendi, etiamsi iuridicè interrogetur. *Ita præter Panorm. Angelus v. Confessio delicti nu. 1. Sylu. ibidem quæst. 1. Fumus ibidem num. 8. Sa, v. Reus, & quidam alij recentiores.* Probatur *primo*, quia quãdiu est spes euadendi, eo quod nondum sit plenè probatum, præceptum illud fatendi criminis videtur nimis difficile, neque satis accommodatum humanæ imbecillitati: vix enim vnus è centum reperietur, qui si speret hac ratione se posse euadere mortem, non sit crimen negaturus. Atqui præcepta vt obligent, debent esse consentanea conditioni humanæ, vt & leges. *Secundo*, lex humana non potest obligare cum periculo mortis, nisi aliquando magnitudo negotij aliud postulet, vt verior sententia tenet, & plerique docent: ergo nec præceptum humanum: eadem est enim vtriusque ratio, si cætera sunt paria; Atqui ex confessione criminis incurrit certissimum periculum mortis: ergo cum tali periculo non tenetur

confiteri. *Tertio*, Nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine iunctum, vt patet ex l. 4. ff. *de testibus*: ergo multo minus ad testificandum contra seipsum. Confirmatur ex l. *Nimis graue*, ff. *de testibus*. Vbi dicitur neminem teneri contra se exhibere id, per quod sibi negotium fiat. Hinc sequitur *Primo* non teneri iurare ad mentem Iudicis, sed posse vti amphibologia, vel mentali restrictione. *Secundo*, eandem sententiam etiam in causis non capitalibus in quibus valdè grauis pœna imponitur, vt est damnatio ad triremes, vel perpetuum carcerem, vel confiscatio bonorum, non videri improbabilem. *Tertio*, sacerdotem non debere cogere reum vt veritatem fateatur, quamdiu est spes euadendi, quod etiam notat *Sa loc. cit.*

4. Ad *primum* contrarium Respondeo. Fieri posse vt Iudex habeat ius interrogandi causa boni publici, vt officio suo fungatur; & tamen, alter non teneatur respondere ad eius mentem, idque propter summum ius vitæ suæ tuendæ, per quod licitum est ei tegere & abscondere per ea, quæ vita ipsi eripietur, sicut qui est in periculo vitæ, potest fugere ex carcere, etsi Iudex & leges præcipiant ne fugiat, & fugientem puniant. Item citatus potest non comparere, quamuis Iudex præceperit, vt compareat. Item seruus bello captus potest fugere, etiamsi dominus præceperit, ne fugiat. Nihil enim repugnat, Iudicem habere ius inquirendi veritatem à Reo, & Reum habere ius celandi; quo casu etiamsi possit præcipere, præceptum tamen eius non obligat, neque fit ad obligandum, sed inducendum, vel terrendum Reum, vt veritatem fateatur.

5. Dices. L. 2. c. *de iureiurando*, propter calumniam dando, dicitur partes debere iurare de calumnia. Vnde sequitur reum debere iurare de dicenda veritate. Resp. *primo*, aliqui authores notãt fore valde expediens,

si summus Pontifex, vel supremi Principes conderent legem, ne Iudex in causis capitalibus posset à reo exigere iuramentum de dicenda veritate, propter euidentem occasionem periurij, sicut in c. *clericos, de cohab. Cleric. & mulier.* dicitur, clericos, qui tenent concubinas, non esse compellendos ad eas abiurandas, propter periculum periurij, sed censuris cogendos. Respondeo *secundo*, per iuramentum calumniæ eo loco non intelligi iuramentum de dicenda veritate, sed de non agendo calumniosè, seu quod non committet calumniam in causa, vt patet ex ipsis verbis legis.

Quæst. 3. *An reus, condemnatus secundum allegata & probata, teneatur obtemperare?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Quando sententia est, reipsa iniqua, vt quia nititur falsa præsuptione, aut falsis propositionibus, non obligat in conscientia; quamuis secundum ordinem iuris sit lata. *Ita plerique authores.* Ratio est, sententia est veluti lex quædam alicui priuatim imposita. At lex non obligat, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est contrarium fini legis. Vnde cum finis sententiæ sit, vt cuique tribuatur quod suum est, si ex eius obseruatione contrarium eueniret, non obligat. Hinc sequitur, *Primo* eum, qui per talem sententiam aliquâ re priuatus est, vt legato, hæreditate pecuniaria, non teneri in conscientia ad solutionem, nisi maius malum aut scandalum timeretur. *Secundo* sequitur, illum cui talis res est applicata, si sciat sententiam falso fundamento niti, non posse eam retinere, sed obligari restituere, quia illa res est alterius. *Ita Innoc. in c. Quia plerique, de immunitate Eccles. & alij.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Reus tamen in hoc casu non potest se per vim defendere contra Iudicem, aut ministros, he sententiam talem exequãtur. *Ita D. Thom. art. 4. Et est fere communis sententia.* Probatur

*primo*, quia Iudex habet ius exequendi talem sententiam, imò authoritate Principis, aut Reip. ad hoc compellitur: ergo reus non potest ei resistere, alioquin daretur bellum vtrimque iustum absque ignorantia. *secundo*, quia nasceretur inde graue scandalum & perturbatio in Repub. Hæc vera sunt in causis ciuilibus, & quando Iudex procedit seruato iuris ordine. Nam si non ita procedit, potest reus se defendere, vt fatetur *D. Thom.* quod vero ad causas criminales attinet, aliqui putant licitum esse Reo vti mera defensione, si scandalum absit & alioquin innocens plectendus esset morte, *Ita nonnulli Iurisp. apud Couar. l. 1. par. resol. c. 2. num. 13.*

Quæst. 4. *An reus possit fugere ex carcere?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ante sententiam potest fugere, nisi fortè iurauerit se permansurum. Est communis, quam vsus omnium gentium confirmat. Ratio est, quia non conijcitur in carcerem, vt ibi sponte maneat (hoc enim nemo vel certè perpauci facturi sunt) sed vt ibi detineatur interim, dum eius causa excutitur.

2. DICES. Ex fuga illius potest obuenire damnum custodi carceris. Respond. Hoc custos debet tribuere suæ negligentiæ. Nam alter vtitur suo iure.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Etiam post sententiam fugere potest, si damnatus sit ad pœnam mortis, vel mutilationis. *Ita D. Th. a. 4. Caiet. ibid. Soto l. 5. q. 6. a. 4.* Ratio est, quia non potest ei præcipi cum obligatione, vt cum tanto damno suo ibi maneat; hoc enim præceptum esset nimis difficile, & quodammodo superans humanam conditionem.

Quæst. 5. *An possit carceres & vincula effringere?*

1. NEgant Couar. *l. 1. var. resol. c. 2. num. 14. Sylu. V. Accuso. num. 12. & Henr. quodli. 9. quæst. 25.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui licitè potest fugere, potest etiam vincula rumpere & carcerem per-

tundere. Ite *Caiet. & Sotus supra Nauarr. c. 27. num. 102. & passim recentiores.* Probatur *primo*, quia cui licitus est finis, licita etiam sunt media: ergo cui licita est fuga, licitum etiam est eius impedimenta remouere. Neque hoc est, vim inferre potestati publicæ, quia hæc non est in vinculis & lapidibus sed in Iudice & ministris, quibus non licet vim inferre, quando iusta est condemnatio. Secus est de vinculis & carcere: sicut si quis obijceretur leoni deuorandus, posset se viribus contra eum defendere. *Secundo*, Reus non tenetur ibi manere, sed Iudicis est curare, vt vi maiori detineatur: ideo enim catenæ & compedes sunt ferreæ, & carceres firmissimi; alioqui si vinculis stupeis constrictus esset, non posset ea disrumpere, quod est ridiculum. *Tertio*, illud præceptum oblata occasione euadendi, nimis esset durum, & humanis moribus minimè accommodatum.

3. Dices. Effractores carceris grauissimè à legibus puniuntur, vt probat *Couar.* ex 4. legibus: ergo peccant effringendo carcerem: si enim non peccarent, illa punitio esset iniusta. Resp. legislatores illi fortè secuti sunt alteram sententiam, quæ etiam est probabilis; vel certè procedunt ex præsumptione, quod effractores custodibus vim attulerint, quod ipsa verba legis insinuant, vt patet *l. 1. de effractoribus.*

2. Secunda Conclusio: Damnatus ad pœnam carceris temporariam, non potest fugere, vel carcerem effringere. Probabile tamen est damnatum ad carcerem perpetuum præsertim grauem, posse fugam capere. Prima pars est communis, quia hæc pœna non est ita grauis, quin reus, qui ob sua crimina iustè ad eam est damnatus, debeat eam sponte subire; sicut soluere multam pecuniariam, concedere in exilium, seruire ad tempus in hospitali, manere ad tempus intra monasterium, & similia. Secunda pars de perpetuo carcere, præsertim graui, *est Salonij, & quorundam recentio-*

*rum, contra Caiet. Sotum & Couarr.* Ratio est, quia non tam condemnatur vt ibi sponte maneat, quam vt detineatur: esset enim nimis graue obligare in conscientia ad sponte manendum in perpetuo carcere graui.

*Quæst. 6. An alij possent Reo auxilium ferre ad fugam vel effractionem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Cuicumque est licitum fugere, ei possunt alij fugam & vinculorum disruptionem suadere, modo non sint publicæ potestatis ministri. Ita *Caiet. & Sotus supra, & alij passim.* Ratio, quia quod tibi licitum est facere, id possum suadere tibi vt facias, nisi ratione officij prohibear, quo modo prohibentur ministri iustitiæ: cum enim ex officio teneantur curare, vt reus detineatur, contra officium facerent fugam suadendo.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Probabile etiam est licitum esse iisdem captiuo porrigere instrumenta, quibus vincula incidat, & carcerem effringat. *Ita Caiet. & Salon. contra Sotum.* Probatur *primo*, quia si potes alicui consulere finem, cur non etiam disponere media necessaria ad illum consequendum; præsertim cum cõsilium non videatur aliud esse; quam speciale quoddam instrumentum. *Secundo*, licitum est ostendere illi viam & modum, quo possit elabi; vt fatetur Sotus. Atqui hoc non minus est opitulari, quam præbere instrumenta. *Tertio.* Nulla est ratio, cur non possim præbere instrumentum ei, qui licitè vtetur, nisi ob peculiarem aliquã causam id mihi sit prohibitum; neque id est violare publicam custodiam, quia non iuuo effringere; neque porrigo instrumenta ei, qui iniustè vsurus est.

3. TERTIA CONCLVSIO. Non tamen possumus iuuare reum effringendo exterius carceres, & rumpendo vincula. Est communis. Probatur *primo*, quia solus reus habet ius ad id propter maximũ incõmodum,

quod ipsi imminet. *Secundo*, alioqui nihil posset esse Iudicibus satis firmum & tutum ad custodiam reorum, quod cederet in maximum Reip. damnum.

## QVÆSTIO LXX.

### *De Testibus.*

Quæst. 1. *Quot testes requirantur in causis criminalibus?*

1. SVppono crimen tribus modis legitimè constare posse Iudici. *Primo*, si ipse cum tribus vel quatuor aliis deprehendat reum in flagranti delicto. *Secundo*, si reus in iudicio confiteatur crimen. *Tertio*, si testibus conuincatur. Hic 3. modus est ferè ordinarius, de quo hic agimus.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quando per testes veritas inquiritur, in causis criminalibus, requiruntur & sufficiunt duo testes legitimi. Est communis, iure gentium recepta. Et colligitur ex l. *vbi numerus*. ff. *de testibus* Et c. *licet vniuersi*, De testibus.

3. QVÆRES. An etiam requirantur iure diuino? Resp. in veteri testamento requirebantur iure diuino, vt patet Deut. 17. v 6. *In ore duorum aut trium peribit qui interficietur*. At in nouo testamento hoc ius non obligat, quia omnia iudicialia abrogata sunt per mortem Christi.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Quamuis in causis criminalibus requirantur & sufficiant duo testes, fieri tamen potest, vt iure ciuili, vel canonico requirantur aliquando plures in aliqua causa. Sic iure canonico ad condemnandum Episcopũ Cardinalem requirũtur 72. testes. Ad presbyterum Cardin. 64. Ad Diaconum Card. 27. ad reliquos Clericos 7. vt patet ex Sylu. Papa c. *Præsul*. 2. *quæst*. 5. sic etiam iure ciuili in testamentis clausis requirũtur 7. testes. In codicillis & apertis testamentis 5. In criminalibus tamen hoc Iure sufficiunt duo: quia in testamentis plures sunt insidiatores, & testator mortuus non potest suam mentem interpretari.

Quæst. 2. *Quales debeant esse hi duo testes, vt legitimè probent.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vt plenè probent requiruntur 4 *Primum*, vt deponant iurati, vt patet ex c. *Nuper*, de testibus. *Secundum*, vt testentur de eodem facto, alioqui non essent duo testes eiusdem facti. *Tertium*, vt sensu externo factum ipsum, de quo testantur, perceperint, v.g. vt viderint occidentem, aut audiuerint blasphemantem, vt habetur l. *solam* c. *de testibus*. *Quartum*, vt sint idonei, & omni exceptione maiores, id est, contra quos nihil potest iure opponi, quo minus fides illis adhibenda sit, vel cur non sint ad testificandum admittendi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Multi repelluntur in causis criminalibus tanquam minus idonei ex dispositione iuris, iure canonico repellitur mulier ob fragilitatem sexus, & ingenij mutabilitatem. c. *Eorum*, de verborum significationibus & c. *Mulierem* 33. *quæst.* 5. Iure tamen ciuili in omni causa admittitur l. *Ex eo* ff. *de testibus*, Præterquam in testamento l. *qui testamento*, ff. *de testamentis*. *Secundo*, repellitur minor 20. annis *l. In testimonium ff. de testibus*. *Tertio*. Inimicus eius, contra quem testimonium dicitur: hic repellitur etiam in criminibus exceptis, in quibus alij minus idonei admittuntur vt in probanda Simonia, hæresi, & aliis similibus c. *Per tuas*, de Simonia. *Quarto*. Ascendentes & descendentes accusatores, & laterales, sed hi tantum vsque ad quartum gradum. Non tamen consanguineos & affines Rei interdum admitti posse ad Reum defendendum, eiusque innocentiam probandam, vt habet vsus teste Claro. *Quinto*, domestici ipsius producentis. *Sextò*, infamis infamia iuris, qualis est omnis, qui de aliquo crimine est damnatus. Infamia autem facto, etiam regulariter repellitur. *Septimo* periurus. *Octauo*, Socius criminis l. *fin.* c. *de accusationibus*. In criminibus tamen

exceptis admittitur socius, vt idoneus testis, vt in hæresi, crimine majestatis, falsæ monetæ, maleficio seu sortilegio, Sodomia, & furto famoso. *Nono.* Persona vilis & inops, de qua suspicio est, facilè posse pecuniâ corrumpi. Vide *l.3. & 4. ff. de testibus*, vbi ferè hæc omnia habentur. Nota tamen testes minus idoneos admitti tanquam idoneos, quando delictum est commissum eo loco vel tempore, vbi copia testium haberi nequit, vt in campo, silua, monte, cubiculo, vel nocturno tempore, vt patet c. *fin. de testibus.*

Quæst. 3. *An quis semper teneatur testari ad præceptum Iudicis?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Subditus tenetur denunciare, & testari, præcipiente Iudice, in his casibus, *Primo*, si auctor laboret infamia delicti. *Secundo*, si de eo est semiplenè probatum. *Tertio*, si ab eo impendeat aliquod damnum bono publico, vel graue malum alicui priuato, quod aliter nequeat impediri. *Quarto*, si procedatur via accusationis, & delictum plenè probari possit, tunc testis citatus tenetur testari. Colligitur ex l. *inuitus de testibus*, & ratio est, quia nisi hoc casu posset testis cogi, nemo auderet accusare, quia non potest probare nolente teste, & sic videretur calumniator.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Multis tamen casibus non tenetur denuntiare, vel testari. *Primo*, si nouerit ex confessione sacramentali. *Secundo*, si illi sub secreto patefactum est consilij vel auxilij petendi causa, ad salutem animi vel corporis miseri delinquentis; vt si sit medicus, aduocatus, obstetrix: tunc enim non potest denunciare, nec testimonio suo confirmare, etiamsi de auctore esset infamia, vel semiplena probatio, *Ita Nau. c.25. n.46. Cordub. 1.q.43. & Petr. Nau. l.2. c.4. num. 222.* Ratio est, quia non debet misero homini obesse, quod auxilij vel consilij petendi causa se alteri bona fide patefecerit, alioqui peccatores à consilio petendo

auerterentur. *Tertio*, si auctor non laborat infamia; nec timetur damnum in futurum; (vt si speretur emendandus priuatis monitis) non teneris denunciare, neque testari contra eum, quãdo proceditur per inquisitionem, etiamsi tu cum duobus vel tribus aliis scias. *Quarto.* Quando proceditur via accusationis, si testis videt rem probari non posse, eo quod ipse solus, & accusator sciant, non tenetur testari. *Quinto*, Quando Iudex quærit quis acceperit, non tenetur subditus patefacere eum qui accepit causa iustæ compensationis, eo quod aliter obtinere non poterit. *Sexto*, si ex denunciatione, vel testificatione, aliquod notabile damnum mihi immineret. *Septimo*, si cognoui ab eis, qui non sunt fide digni, Hoc enim perinde est, ac si nescirẽ. *Vide Na. c. 25. n. 46.*

Quæst. 4. *An testis teneatur ad restitutionem si nolit testari, vel si veritatem occultet?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Certum est non teneri ad restitutionem ex eo, quod se non obtulit, quia non tenetur ex iustitia se offerre, quamuis aliquando teneatur ex charitate.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Nec tenetur ad restitutionem, si nolit testari, quando graue damnum ei impenderet inde, quia non tenetur tunc testari, nec superior potest eum obligare, nisi bonum publicum id exigat. Sed difficultas est, si nullum damnum immineat, & a Iudice citetur, vel iussus sit citari, an tunc teneatur restituere, si non obtemperet; Resp. *primo*. Probabilius est eum, qui se occultat, vel fugit, antequam Iudicis præceptum, aut citatio ei legitimè denuncietur, non teneri ad restitutionem damni, quod sequitur ex defectu testificationis. Ratio est, quia nemo obligatur præcepto superioris; priusquam id ei debito modo imponatur. Sicut si inferior vitet conspectum superioris ne ab eo mandatum aliquod accipiat, non obligatur præcepto, etsi malè faciat tali vtens artificio. Respon-

deo *secundo*. Non videri quoque improbabile, si post quam citatio Iudicis per ministrum publicum ei est intimata, fuga, vel fraude testificandi actum declinauerit, non teneri ad restitutionem. Ita *Molina disp. 83.* Ratio est, quia citatio illa & præceptum non imponit illi obligationem iustitiæ ad se sistendum & testandum, sed solum obedientiæ: non enim censetur iniustus, si non compareat, sed inobediens & contumax. Confirmatur, quia obligatio, qua quis ex iustitia tenetur in gratiam proximi aliquid facere, non oritur præcisè ex præcepto Superioris, sed ex acceptatione eius, qui vult aliquid facere in gratiam proximi Nam acceptando implicitè promittit, & alteri ius tribuit ad hoc exigendum.

Quæst. 5. *An Testis teneatur restituere si falsum testatus sit?*

1. Prima Conclvsio. Si vel sciens, vel ex crassa ignorantia dixit falsum testimonium, ratione cuius alter iniustè damnum acceperit, tenetur ad restitutionem damnorum in solidum. Ratio, quia per iniuriam est efficax causa totius damni.

2. Secvnda Conclvsio. Qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non culpabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, non tenetur ad restitutionem damni secuti. Ita *Caiet. art. 4.* Ratio est, quia neque ratione rei acceptæ; cum nihil indè habeat; neque ratione iniustæ damnificationis, quia non peccauit mortaliter, vt supponimus. Atqui probabile est est non teneri ad restitutionem ex damno illato eum, qui non peccauit mortaliter.

## QVÆSTIO LXXI.

*De Aduocato.*

Quæst. 1. *An aduocatus possit causam dubiam tueri?*

1. Prima Conclvsio. Si vtraque pars est quasi æquè probabilis, potest suscipere patrocinium vtriusuis, id est, siue Rei, siue actoris. Ratio est, quia

tunc vterque habet ius iudicio experiundi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si causa rei minus quidem sit probabilis, quam actoris, absolutè tamen sit probabilis, potest aduocatus eam tueri. Ita *Sotus l. 5. quæst. 8. art. 3.* Ratio est, quia Reus tunc potest se tueri: ergo & aduocatus reum. Sed difficultas est, si causa actoris sit minus probabilis, quam Rei. Sotus existimat aduocatum tunc non posse causam actoris suscipere, si inde graue damnum Reo immineret, quia id esset contra charitatem. Quod interdum locum habere potest, quando causa potiri parum interest actoris. Ordinariè tamen, quando causa est verè probabilis, suscipi potest, siue sit actoris siue rei, quia non semper id quod videtur probabilius, est verius: Imo sæpè id, quod minus videtur, verius est. Vnde etiamsi aduocato videatur causa Rei probabilior, potest tamen bona fide suscipere causam actoris, quæ etiam probabilis sit; & subiicere se Iudicis determinationi, allatis eis, quæ pro ea faciunt.

DICES *primo*. Ea pars est iure potior, cuius causa est probabilior: Atqui iniquum est agere contra eum, qui maius ius habet: ergo: Resp. ille, cuius causa est probabilior, videtur quidem iure potior; non tamen semper est reipsa. Vnde is, cuius causa est probabilis non tenetur eam deserere, quod aduersæ partis videatur probabilior, sed potest afferre quæ pro sua faciunt; & totam determinationem Iudici relinquere, cui fortè aliter videtur.

4. DICES *secundo*. Cuius causa est minus probabilis, non potest alteri bellum inferre, vt suppono: ergo nec litem aduersus eum suscipere. Respondeo. Non sequitur. Ratio est, quia per litem fit inquisitio veritatis, vtri reipsa plus iuris conueniat, & decisio relinquitur Iudici, cuius est vtriusque partis momenta expendere. At vero belli illatio est executio sententiæ. Vnde

supponit sententiam esse latam; vel debere ferri in fauorem eius, qui bellum infert: cuius autem ius est minus probabile, non debet sententia pro illo, sed potius contra illum ferri; ac proinde potest bellum mouere.

Qu. 2. *Quando Aduocatus teneatur ad restitutionem parti?*

1. PRIMA CONCLVSIO. quando negligentia, vel imperitia eius cliens iusta causa excidit, tenetur de damno, quod ipsi inde obuenit. Ratio est, quia lege iustitiæ tenetur suo clienti pro causæ conditione diligentiam præstare, vt si sit difficilis, vel magni momenti, tenetur magis laborare, quam si sit facilis, vel parui momenti. Similiter ex officio tenetur esse instructus conuenienti peritia; cùm pro idoneo aduocato se gerat, & vt talis stipendia exigat.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Quando tuetur causam, quam aduertit esse iniquam, tenetur ad restitutionem omnium dammorum, quæ parti obueniunt ratione illius patrocinij, vt expensarum factarum, & eorum omnium, quæ per litem amisit, tenetur etiam suo clienti; sic cum bona fide procedentem non monuit de causa iniusta. Ratio est, quia horum omnium est causa, vel committendo, vel omittendo contra debitum officii.

3. QVÆRES *primo*. An quando aduertit causam esse iniquam, possit cum altera parte transigere. Resp. non potest, quia transactio solum habet locum in causa dubia. Vide *Nauarr. c. 25. n. 28.* Vnde grauiter peccant aduocati & consiliarij, qui dum in successu litis aduertunt, alteram partem tueri causam iniquam, inducunt alteram ad compositionem.

Qu. 3. *An aduocati teneãtur pauperibus patrocinari gratis?*

1. PRIMA CONCLVSIO. In extrema necessitate pauperis, quando nemo alius putatur illi patrocinium præstiturus, quiuis aduocatus tenetur ei succurrere, etiam gratis. Ita *D. Thom. art. 1. & alij*. Dicitur autem in extrema necessitate esse; quando v. g. imponi-

tur ei crimen, ob quod plectendus sit capite, vel spoliandus omnibus bonis, nisi defendatur. Ratio est, quia quiuis tenetur extremè egenti illud impendere, quo ipse instructus est, si ipse similiter non eget.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Probabile est etiam teneri in graui necessitate pauperis, vt v. g. si iniustè damnandus putaretur ad triremes, vel ad publicam flagellationem, vel ad durum carcerem. Ita Sylu. v. *Aduocatus n.* 11. *Sotus l.* 5. *quæst.* 8. *art.* 1. *& alij contra Nauar.* Ratio sumitur ex dictis de Eleemosyna, quia qui quodammodo superfluum habent, tenentur in graui necessitate proximi sub peccato mortali.

## QVÆSTIO LXXII.

*De Contumelia.*

## QVÆSTIO LXXIII.

*De Detractione.*

*Quæst.* 1. *Quid sit detractio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Est *alienæ famæ occulta & iniusta denigratio, seu violatio.* Ita passim ab omnibus definiri solet. Differt autem dupliciter à contumelia *primo*, quod detractio lædat famam: contumelia autem honorem. *Secundo*, quod detractio fiat occultè, siue in absentia, sicut furtum: contumelia autem coram, sicut rapina.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Detractio fit 4 modis directè. *Primo* imponēdo crimen falsum. *Secundo*, amplificando crimen verum. *Tertio*, patefaciendo crimen occultum. *Quarto*, sinistrè interpretando alterius factum.

3. TERTIA CONCLVSIO. Indirectè fit totidem modis. *Primo* negando rectè facta, vel dotes alterius. *Secundo* ea extenuando. *Tertio* tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo tuum silentium alij interpretabuntur tacitam, vituperationem. *Quarto* simulatè & frigide laudando, vt quando quis simulat se velle laudare aliquem, & tamen nihil adfert laude dignum.

Quæst. 2. *Quale peccatum sit detractio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si intendas famam alterius lædere, erit formalis detractio, & ex genere suo peccatum mortale. Ratio est, quia lædit proximum in re graui. Est autem hoc peccatum grauius furto, & leuius homicidio, quia lædit proximum in maiori bono, quam furtum, & in minori, quam homicidium. Dixi *ex genere suo*, quia ratione paruitatis materiæ potest esse veniale, vt si de industria paruam alterius imperfectionem narres.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Quod si non intendas lædere famam, sed ex quadam loquacitate narres peccata vel defectus alterius, est detractio materialis, & peccatum mortale, si id, quod narratur, grauiter proximi famam lædat. Ratio est, quia etsi expresè non intendas lædere, tamen intendis implicitè; dum vis illud, vnde per se læsio sequitur.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si id quod narratur parum lædat, erit veniale. Hinc fit *primo*, vt narrare defectus veniales proximorum, non sit nisi veniale, vt docet *D. Antonin. p. 2. tit. 8. c. 4.* Ratio est, quia cum nemo ferè ab his sit liber, non notabiliter lædunt famam, nisi fortè cõditio personæ talis esset, vt in ea huiusmodi defectus censeantur magni momenti, vt si quis diceret de viro graui & Religioso crebro illum mentiri. *Secundo*, ob eandem causam ordinariè non est peccatum mortale reuelare defectus naturales (nisi inde aliquod notabile damnum sequatur) siue illi defectus sint animi, vt si dicas aliquem ignarum, parui iudicij aut ingenij: siue corporis, vt esse cæcum, gibbosum. Idem habet locum in defectibus naturalium, vt docet *Pet. Nauarr. l. 2. c. 4. num. 307.* nisi fortè propterea putaretur valdè contemnendus in animo eorum, quibus dicitur. Ratio est, quia ob hæc non censetur quis infamis. *Tertio*, quando ratione conditionis personæ peccata etiam mortalia

lia non censentur notabiliter lædere famam, vt si dicat militem commisisse duellum, habere concubinam, decepisse puellam. *Quarto*, idem dicendum si generalibus nominibus peccatorum mortalium aliquem infames, vt si dicas superbum, auarum, iracundum, vt docet *Antonin. supra*. Ratio est, quia hæc nomina ordinariè non ita sumuntur, vt sonent peccatum mortale; sed vt naturalem inclinationem, vel veniales defectus denotent. Fieri tamen potest vt ratione dignitatis personæ peccetur mortaliter. *Vide Nauarr c.* 18. *num.* 24.

Quæst. 3. *An auditor detractoris peccet mortaliter?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui ita audit, vt inducat, vel excitet ad detrahendum, non minus peccat, quã ipse detractor, sed potius magis. Similiter, qui detrahentem verbis vel gestibus animat ad prosequendum. Ita *D. Th. art.* 4. *& alij*. Ratio est, quia non solùm ipse in se peccat effectu detractionis, sicut detractor; sed etiam est alteri causa detrahendi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui audiendo detractorem lætatur, non tamen inducit, nec animat ad continuandum, peccat mortaliter contra charitatem, quia scilicet, alieno malo lætatur, & etiam cõtra iustitiam quatenus gaudet eo opere, quo alteri iniustè damnum datur: non tamen tenetur ad restitutionem, quia non est causa damni.

3. DICES. Tenebatur impedire, & non impediuit: ergo est causa. Respondeo. Non tenebatur ex iustitia, sed solum ex charitate; vnde saltem non est causa per iniuriam.

4. TERTIA CONCLVSIO. Qui nec inducit nec lætatur, tamen audit, nec resistit cum possit, aliquando peccat mortaliter, aliquando venialiter. Mortaliter peccat, si infamia sit grauis, & facilè possit eam impedire. Ratio est, quia charitas obligat, vt graue damnum proximi impediamus, si commodè possumus. Venialiter pec-

cat *Primo*, si detractio est leuis. *Secundo*, si nimia verecundia, vel animi pusillanimitate non audeat resistere, quia tunc valdè difficile est efficaciter impedire. *Tertio*, si putet detractorem sponte reuocaturum, vel emendaturum, quod dixit, idque breui, vel efficaciter. *Quarto*, si putet auditores non credere. Nullo autem modo peccat, si vel non putet profuturam suam monitionem: vel metuat aliquod magnum damnum, vt cõtumeliam, aut verbera: vel si rationabilis verecundia obstet, vt si sit famulus, vel nullius authoritatis: debet tamen tunc, si commodè possit, vel discedere, vel faciem tristiorem ostendere, vel sermonem aliò diuertere.

Quæst. 6. *An peccet mortaliter, qui refert dicta sine assseueratione.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Non est peccatum mortale, si ita referat, vt ei probabile non sit vllam inde infamiam orituram, eo quod alij non sint credituri. Ita *Scotus d. 15. quæst. 4. Nauarr. cap. 18. num. 50. & multi alij.* Ratio est, quia tunc non est probabile damnum proximi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si quis audita referat coram iis, quos probabile est ex sua leuitate credituros, etiamsi ipse sufficientem ad hoc occasionem non dederit, peccat mortaliter contra charitatem: non tamen contra iustitiam, & proinde non tenetur ad restitutionem. Prima pars probatur, quia qui aduertit ex suis dictis, vel factis, alium grauiter lædendum, siue in fortunis, siue in fama, siue in corpore, tenetur ex charitate abstinere, si commodè possit. Secunda pars probatur quia non est efficax causa damni, sed merè per accidens, ex ipsius narratione sequitur: ergo non tenetur ad restitutionem.

3. TERTIA CONCLVSIO. Qui refert audita eo modo, vt audiẽtes merito possint induci ad opinandum malum de proximo, peccat contra iustitiam, & tene-

tur ad restitutionem. Ratio est, quia dat sufficientem causam aliis malè opinandi, ex qua reipsa sequitur mala opinio.

Quæst. 5. *An sit peccatum mortale infamare seipsum?*

1. AFfirmat *Caietan. art.* 2. quia putat hominem non esse dominum suæ famæ. Vnde colligit grauius esse peccatum infamare se, quam proximum, sicut grauius est occidere se, quam proximum.

2. PRIMA CONCLVSIO. Seipsum infamare non est peccatum mortale ex genere suo, neque contra iustitiam, neque contra charitatem. Ita *Sot. l. 5. quæst.* 10. *art.* 2. *& alij passim.* Prima pars probatur, quia homo est Dominus suæ famæ, sicut suarum opum: ergo illam dissipando nulli facit iniuriam: ergo non peccat contra iustitiam. Secunda pars probatur, quia charitas non obligat hominem ad conseruandam bonam famam, si ipse secundum se consideretur. Confirmatur, quia prodigalitas non est peccatum mortale ex suo genere, neque contra charitatem, sed tantum veniale contra liberalitatem: ergo idem dicendum de prodigalitate famæ.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Ratione tamen alicuius circumstantiæ nempe damni, quod nobis, vel aliis contingit, ex nostra infamia, potest esse peccatum mortale se infamare. Est communis *primò*, si ex mea infamia sequatur notabile scandalum vel mihi, vel proximo. Mihi quidem, vt si ex infamia fierem effrænatior ad peccandum. Proximo vero, vt si ille sciens me aliquando tale peccatum admisisse, inde caperet occasionem idem patrandi. *Secundo*, si inde mihi immineat periculum vitæ. *Tertio*, si mea fama sit necessaria officio quod gero, vt si sim Episcopus, Parochus, Consul. *Quarto*, si mea infamia redundat in alios, vt in familiam, libetos, vel ordinem religiosum.

Quæst. 6. *An eum, qui vno loco propter crimen publicum infamis est, liceat alibi infamare?*

1. CRimen tribus modis dicitur publicum. *Primo*, si sit notorium iure. *Secundo*, si facto. *Tertio*, si famosum.

2. PRIMA CONCLVSIO. Reuelare alicuius crimen, quod aliquo trium istorum modorum sit publicum, eo loco, vbi ignoratur, non est contra iustitiam. Ita *Caietanus opusc. 31. resp. 9. Nau. c. 18. num. 26.* Ratio est, quia quando hoc modo crimen est publicum, auctor amisit ius ad famam. Nam ipsa facti euidentia, & iusti iudicij ratio ei repugnat, ne possit queri sibi fieri iniuriam narratione factorum, quæ iam in propatulo sunt posita. Et quidem si per sententiam sit publicum, non potest esse dubitatio. Nam vna ex pœnis, qua Iudices afficiunt reos est hæc, quod eos publico loco & tempore condemnent, vt ab omnibus videantur. Si verò publicum sit euidentia facti, vel indiciorum, iam sponte videtur cessisse suo iure, quod ad famam habebat. Nam hoc ipso, quo non est veritus in publico crimen admittere, vel eius manifesta indicia dare; non videtur curasse, vt quis sciat, vel non sciat: eo enim loco & modo fecit, vt quiuis videre posset.

3. DICES *primo*. Is, qui hic amisit famam, non ideo alibi non est infamis: ergo cum ibi adhuc retineat bonum nomen, non potest eo spoliari. *Petr. Naua. & alij quidam* putant eum retinere ius ad famam in locis remotis, ac proinde si quis crimen, quod hic publicum est, ibi referat, peccaturum contra iustitiam. Resp. retinet quidem in aliis locis famam reipsa, & facto, non tamen iure: postquam enim crimen publicum factum est, amisit ius famæ, ita vt nemo ex iustitia teneatur amplius retinere priorem existimationem de illo. Sed quid si per iniuriam factum sit publicum? Respondeo. Non refert. Nam hoc ipso, quo factum reuera est publicum,

amisit ius, vt homines aliter sentiant, vt si confessus sit crimina sua occulta per tormenta.

4. DICES *secundo*. Per iniuriam nemo amittit ius. Respond. non amittit ius precisè per iniuriam, sed per id, quod ex iniuria sequitur, quod est esse publicum, & in propatulo.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Est tamen contra charitatem. Ratio, quia regula charitatis hæc est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Atqui nemo vellet suam famam lædi eo loco, vbi adhuc est integra: ergo.

Quæst. 7. *An eum, qui eo crimine infamis est, liceat de alijs infamare?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si illa alia sint valde affinia, & ordinariè coniuncta grauiori crimini, quod iam publicum sit, non erit peccatum mortale illa aperire apud eos, qui principale norunt, vt si narres de adultero publico scripsisse litteras amatorias, misisse munera. Si de ebrioso non rectè curare familiam, rixari cum vxore. Si de illo, qui insigne furtum commisit, referas, alia minora fecisse. Ratio est, quia non censetur noua infamia.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si crimina illa non sint ita connexa, non solum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam illa patefacere: præsertim, si sint alterius generis. Est communis contra *Paluld.* Probatur *primo*, quia qui est infamis in vno genere vitij, non ideo amisit ad famam ius, quam famam habet in aliis virtutibus: potest enim quis haberi ebriosus, & tamen esse & haberi iustus in contractibus, fidelis vxori, Catholicus, ergo non potest infamari de aliis occultis. *Secundo*, Sicut diuersarum virtutum diuersa laus est, alia maior, alia minor, ita etiam diuersorum criminum diuersa est infamia. Et alia pluris, alia minoris æstimatur. Multi enim parum curant infamiam

fornicationis, vel ebrietatis, qui tamen maximi faciunt infamiam furti, vel homicidij: ergo nullo modo qui amisit ius famæ in vna virtute, censetur amisisse in aliis, sicut qui læsus est in vno membro, non ideo amisit integritatem in aliis.

Quæst. 8. *An licitum sit iniuriam ab alio sibi factam deferre amico.*

CONCLVSIO. Si faciat intentione detrahendi, vt se hoc modo vindicet, sine dubio peccat, & aliquando mortaliter: si autem vt consolationem accipiat ab amico, siue vt querela exposita dolo mitigetur, non est peccatum mortale, quia iure suo vti videtur. Ita *Petr. Naul. l. 2. c. 4. n. 345.* Ratio est, quia est nimis graue, & præter humanam consuetudinem, vt quis cogatur iniurias acceptas solus in silentio concoquere, nec posse eas cum amico communicare. Nam hac ratione magna parte earum veluti pondere quodam leuatur.

## QVÆSTIO LXXIV.

*De Susurratione.*

SICVT Detractio est peccatum contra iustitiam, quia aufert famam proximi, ita etiam susurratio, quia aufert amicitiam, quæ est inter proximos. Potest autem sic describi. Susurratio *est peruersus sermo ad dissoluendam quorumdam honestam amicitiam.* Conuenit cum detractione ex parte modi, quia vtraque occultè loquitur de proximo. Differt ex parte finis, & nocumenti. Nam detractor conatur famam denigrare: susurro amicitiam dissoluere. Potest tamen fieri vt susurro simul etiam detrahat, si mala, quæ de proximo ad dissoluendã amicitiam dicit, sint verè detractoria famæ.

## QVÆSTIO LXXV.

*De Irrisione.*

DERISIO est speciale peccatum à præmissis distinctum, quia habet distinctum finem, nempe erubescentiam & ruborem proximi: hic enim spectat de

risor, vt alter suffundatur rubore. Differt autem derisor à contumelioso, quod licet vterque coram obiiciat proximo aliquo vitium, tamen derisor id facit quasi ioco, & in re parui momenti; Contumeliosus vero serio, & in re grauiori.

## QVÆSTIO LXXVI.

*De Maledictione.*

DVPLEX est Maledictio. Altera formalis, qua quis imprecando, vel imperando vult alicui malum euenire, vt malum est. Hæc est illicita & peccatum contra iustitiam, Altera materialis, qua quis imprecando, vel imperando, vult alicui euenire malum sub ratione boni iusti. Hoc modo Deus Prophetæ, & Iudices dicuntur maledicere eis, quibus iubent pœnam inferri. *Secundo*, si optes alicui euenire malum sub ratione boni vtilis, vt cum optamus alicui peccatori morbum, vt à peccato abstineat. Quærit hic Diuus Thom. An liceat maledicere creaturæ irrationali? Respond. cum distinctione. *Primo*, blasphemum est maledicere illi, vt Dei creatura est. *Secundo*, otiosum & vanum est maledicere illi secundm se spectatæ. *Tertio*, licitum est illi maledicere, vt refertur ad hominem, quando licitum est homini maledicere: Non est autem licitum illi maledicere, quando homini non licet maledicere.

## QVÆSTIO LXXVII.

*De emptione & venditione.*

## QVÆSTIO LXXVIII.

*De Vsura.*

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit vsura?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vsura sumitur dupliciter *Primo*, pro contractu vsurario, seu actione vsuraria. *Secundo*, pro lucro vsurario. Priori modo sic definitur. *Vsura est mutuatio cum pacto accipiendi aliquid supra sortem ratione mutui.* Posteriori sic: *Vsura est lucrum*

*immediatè ex mutuo proueniens. Primo*, dicitur *lucrum*, id est, acquisitio rei supra sortem, pecuniâ æstimabilis, & aliàs indebitæ. Vnde si mutuem tibi mille, vt desinas iniquè nocere, vt soluas debitum, vt reddas depositum, non erit vsura, quia nihil acquiro supra sortem, nisi quod alio titulo mihi erat debitum. Similiter, si mutuem, vt consequar amicitiam, vel fauorem, non erit vsura, quia amicitia non æstimatur pecunia. *Secundo*, dicitur *immediatè*, quia debet hoc lucrum prouenire ex vi pacti mutuationis. Si enim immediatè proueniat ex amicitia, vel gratitudine, vel ex spe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, non erit vsura: vt autem censeatur ex vi mutui prouenire, requiritur, vt mutuator intenderit mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare obligatione stricta, vel iustitiæ, qualis per acta induci solet: vel certè vt mutuatarius putet hanc mutuantis fuisse mentē. *Tertio*, dicitur *ex mutuo proueniens*, si enim vendas rem tuam supra iustum pretium, lucraris quidem, sed hoc lucrum non est vsura, quia non prouenit ex vi mutui, sed ex iniqua venditione. Idem dicendum est de locatione, conductione, & similibus contractibus. Vnde talis non incurrit pœnas vsurariorum.

2 Secvnda Conclvsio. Solet distinguitriplex vsura. Vna mentalis, Altera exterior implicita, siue palliata. Tertia exterior explicata. Mentalis est, quæ fit, quando quis hac intentione mutuat, vt ex mutuo lucrum vltra sortem accipiat; non tamen manifestando vllo signo suam intentionem. Exterior implicita est, quando in ipso mutuo intercedit pactum implicitum de lucro ratione mutui, v. g. si dicas: Ego mutuo tibi 100. tu autem scis vsum communem. Exterior explicita est, quando manifestè fit pactum de lucro ratione mutui.

Quæst. 2. *Quo iure prohibita sit vsura?*

1. IVdæi putarunt esse licitam, sicut & quidam hæretici apud *Alfon. à Castro v. Vsura. Carolus Molinæus tract. de commere. num.* 7. docet, vsuram non repugnare iuri naturali, neque diuino, & in Euangelio non esse prohibitam, & si moderata sit licitè permitti à iure ciuili. *Abulens. in c.* 25. *Matth. quæst.* 172. docet *primo*, vsuram non esse vetitam, nec primariis præceptis legis naturalis, sed secundariis, quæ deducuntur tanquam conclusiones ex primis. *Secundo*, aliquo modo tamen repugnare cum ratione naturali, quamuis non ita, quin possit aliqua ratione fieri licita.

2. PRIMA CONCLVSIO. Vsura est prohibita lege humana, & qui eam exercent genere suo peccant mortaliter. Probatur, quia *Conc. Nic. primum can.* 18. seueriſſimè illam prohibet. Item *Conc. Vien. sub. Clem. v.* docet hæreticos esse, qui docent vsuram peccatum non esse. Item *Conc. Later. sub Innoc. III.* non solum prohibet, sed etiam vult Iudæos compellendos esse ad restitutionem. Vide plura *in decr. causa* 14. *quæst.* 4. 5. *& in decretal. tit. de vsuris & in* 6. *eodem tit.*

3 SECVNDA CONCLVSIO. Est etiam prohibita iure diuino vtriusque testamenti. Prob. exillo. Ps. 14. v. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Hinc Psal. 54. v. 12. *Inter mala ciuitatis refertur, quod in plateis non defecerint vsura & dolus* Similiter Ezech. 18. v. 13. *numeratur vsura inter opera, quæ mortem animæ adferunt. Secundo.* Probatur ex illo Luc. 6. v. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Hoc loco vtuntur Pontifices & Concil. in canon. titul.

4. DICES In illis verbis (*Mutuum date*) continetur consilium, non præceptum. Resp. continetur cõsilium & præceptum simul, consulitur enim vt mutuo demus, & præcipitur, ne vltra sortem accipiamus. Sic

Rom. 12. v. 14. cum dicitur (*Benedicite & nolite maledicere*) consulitur, vt benedicamus, & præcipitur ne maledicamus. Et Psalm. 75. num. 12. *Vouete, & reddite.* Prior pars est consilij: posterior præcepti.

5. TERTIA CONCLVSIO. Est quoque prohibita iure naturali. Ratio est, quia contra ius naturæ est, vt idem bis, seu duplici pretio vendatur. Item vt vendatur id quod non est vendentis. Atqui is qui vsuras accipit vendit idem bis, & vendit id quod non est suum: ergo peccat contra ius naturæ. Minor probatur, quia qui vsuras accipit, vel accipit eas pro sorte, & sic pro eadem re duplex pretium accipit: nempe summam sorti æqualem, & præterea vsuram; vel accipit eam pro vsu sortis, & sic vendit alteri vsum rei non suæ, sed ipsius. Nam per mutuum transfertur dominium in mutuatarium, & consequenter etiam vsus rei. Item vsus illius rei non distinguitur à substantia ipsius, si æstimationem spectes: ergo pro vsu & substantia rei non potest distinctum pretium recipi.

6. DICES. Non desunt alij tituli vsurarijs, ratione quorum videntur posse accipere aliquid supra sortem, vt ratione temporis, quo alter pecunia vtitur: ratione obligationis, quâ se obligat ad non repetendam sortem intra certum terminum: ratione carentiæ pecuniæ, quia interim priuat se facultate ea vtendi: denique ratione laboris mutuandi, scribendi, numerandi. Resp. Titulus, quo vsura accipitur, propriè est vsus pecuniæ ad certum tempus concessus, cæteri tituli propriè & per se non sunt vsurarij, sed tantum quatenus implicitè in illum recidunt, quod fit dum exceditur in æstimatione. Itaque ratione temporis nihil accipi potest, quia hoc nihil esset aliud, quam accipere ratione vsus tanti temporis. Ratione laboris scribendi seu numerandi, dum datur & restituitur mutuum, aliquid exigi potest. Ita *Sylu. verb. vsura 1. num. 32. Nauarr. cap. 17. num. 209.*

Ratio est, quia hoc totum fit in gratiam mutuatarij, estque nauatio operæ pretio æstimabilis: si tamen iusta æstimatio excedatur, præsumetur vsura. Ratione non repetendi & ratione carentiæ pecuniæ, quæ duo parum differunt, aliquid accipi possit dicemus infrà. Ex his patet vsuram eodem iure vetitam, quo furtum: sicut enim intrinsecè malum est accipere rem alienam inuito rationabiliter domino, ita etiam intrinsecè malum est exigere lucrum suprà sortem, ex pacto mutui, seu titulo mutui.

7. PRIMA OBIECTIO. Deut. 23. v. 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*, & c. 28. v. 12. *Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.* Hinc conceditur Iudæis, vt exigant vsuras ab infidelibus. Resp. in priori testimonio, vel permittuntur vsuræ erga infideles, tanquam minus malum ad euitandum maius; ne videlicet suos fratres vsuris exhaurirent, vt exponit *D. Thom. 1. ad 2.* vel conceduntur vsuræ erga infideles, qui erant hostes Iudæorum, quos iure poterant suis rebus spoliare, siue vi, siue artificio. Ita *Ambr. l. de Tobia c. 8.* In posteriori testimonio non agitur de vsura, sed tantum significatur tantas fore opes Iudæorum, vt multis gentibus possint dare mutuum, & non opus habituri sint petere ab ijs mutuum.

8. SECVNDA OBIECTIO. Ius ciuile permittit vsuras & ad eas concedit actionem, si tamen per stipulationem de eis conuenerit, vt patet. *L. 1. & seq. C. de vsuris.* Atqui si iure naturali non fuissent licitæ, id non latuisset acutissimos illos Iurecons. Resp. vsuræ ob bonum Reipubl. possunt permitti, vt & prostibula, qua parte tamen Ius ciuile videtur eas approbare tanquam licitas, & cogit ad solutionem, eatenus est abrogatum per ius Canonicum, quia Canones damnant eas tanquam illicitas, & insuper excommunicant Iudices

cogentes ad earum solutionem, vt patet *Clement. vnica de vsura.* Quod ad Iurisconsult. attinet, puto eos facilè intellexisse vsuras fuisse similiter illicitas; tamen concessisse quasdam moderatas, tum ob bonum publicum; Tum quia sæpe aliqui iusti tituli intercedunt. Quamuis in eo sententia illorum non sit admittenda, quod generatim tales vsuras tamque licitas & iustas concedant.

Quæst. 3. *An ratione damni emergentis liceat aliquid supra sortem exigere.*

1. DAmnum emergens dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet, vel quæ ipsi debentur, vt cum quis ratione mutui, quod alteri præstitit, cogitur ipse pecuniam fœnore accipere, & vsuram soluere, vel res suas minoris vendere. Hoc posito Scotus *in 4. d. 15. quæst. 2.* putat esse illicitum exigere aliquid ratione damni emergentis. Ratio est, quia lex diuina præcipit, vt nihil exigatur supra sortem. Quod si quis ex mutuo, inquit, metuit damnificari, reseruet pecuniam suam, quia non cogitur facere.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quando mutuatarius est in mora, si inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur ad illius compensationem. Est communis. Dicitur autem mutuatarius, & quiuis alius debitor, esse in mora, quando elapso iam termino non soluit, cum tamen possit, aduertens explicitè vel implicitè creditorem sibi velle solui, neque necesse est, vt creditor eum interpellet de solutione, quia ipsa dies satis interpellat virtute pacti ab initio conuenti. Probatur conclusio. *Primo*, quia mutuatarius per omissionem solutionis est causa damni: cum ergo hæc omissio sit contra iustitiam; erit etiam causa damni contra iustitiam; ac proinde tenebitur ad compensationem. *Secundò*, quia quando in contractibus constituitur terminus so-

lutionis, vel rei exhibendæ, initur tacitum pactum, vt non soluens teneatur ad interesse defectu solutionis obueniens, vt colligitur *l. 2 & 4. ff. de eo quod certo loco dari oportet.* Hoc tamen intelligendum est, nisi absque omni culpa redditus sit impotens solutionis, vt si incendio res eius sint consumptæ: vel si ipse abreptus sit in captiuitatem: vel inciderit in tantam paupertatem, vt non possit soluere. His enim casibus non videtur obligandus ad interesse. Nam præterquam quod omni culpa vacet tali tempore nõ soluere, non videtur etiam tacitum illud pactum se ad hos casus extendere, quia esset nimis durum, & contra humanam consuetudinem.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Licitum est etiam paciſci de aliqua pecunia vltra sortem reddenda, vel ratione periculi, damni ex mutuatione impendentis, etiam ante terminum & moram mutuatarij; vel ratione ipsius damni, si quod euenerit. Ita *D. Th. art. 2. ad 1. & alij.* Ratio est, quia illa pecunia, quæ mihi necessaria est ad aliquod damnum impediendum, non solum mihi valet, quanti ipsa nuda considerata æstimatur, sed etiam quanti est carere tali damno. Non enim tantummodo æstimatur res secundum seipsam, sed etiam quatenus Domino est causa certi boni consequendi, vel mali vitandi. Vnde licitè potest vendi pluris quam per se valeat, cum in ipsa illud etiam commodum vendi censeatur. Requiruntur tamen hic tres conditiones. *Prima* est, vt mutuum sit causa damni, sine qua non eueniret, vt si per mutuum efficeris impotens illius impediendi. *Secunda*, vt mutuatarium de illo admoneas, ne decipias. Nam fortè nollet accipere cum tanto periculo mutuum. *Tertia*, vt non cogas illum paciſci de periculo potius, quam de damno, sed relinquas ipsius arbitrio: etsi enim periculum illud damni probabiliter euenturi sit ab initio æstimabile pretio (quamuis minori quam

ipsum damnum) non tamen potes alterum cogere, vt pro ipso periculo aliquid promittat. Nam si mutuatarius paratus est sarcire omne damnum, quod reipsa eueniet, mutuator seruatur indemnis: si tamen ipse sit indifferens, vtro modo paciscatur, vel malit pro periculo paciscí certo pretio, quam pro incerto damno manere in ancipiti, potes acceptare pactum, & quamuis damnũ post non euenerit, poteris tamen conuentũ exigere. Nã periculũ quod subiisti, erat pretio æstimabile.

4. NOTA tamen, si neque damnum ipsum, neque periculum damni deduxisti in pactum, mutuatarius non tenetur quidquam pro eo soluere, etsi post euenerit, modo ipse non fuerit in mora soluendi, quia nec tenetur ratione pacti, nec ratione culpæ, sed mutuans hoc ipso, quod non deduxit in pactum, censetur illud in se recepisse.

Quæst. 4. *An ratione lucri cessantis liceat vltra sortem accipere.*

1. LVcrum cessans dicitur, quando quis impeditur ab aliquo bono consequendo, seu à lucro, quod illi non erat debitum. Suppono si quis metu, vel fraude, vel principis iussu compulsus sit mutuare, & indè lucrum cesset, posse ab authore exigere huius lucri compensationem, *vt docet Sot. art. 3.* quia talis est ei causa damni. Sed difficultas est, si absit omnis coactio, vtrum liceat de lucro paciscí. Quidam negant, vt *Durand. in 3. d. 17. quæst. 2. ad 1. Sotus l. 6. quæst. 1. art. 3. Ioan. Andr. & Innoc. IV. in c. Nauiganti de vsurp. & quidam alij.* Sed contraria sententia est fere communis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Licitum est paciscí ab initio de lucro cessante cum mutuatario, quamuis ab eo vi vel fraude non sis inductus, seruatis tamen quibusdam conditionibus. Probatur *primo*, quia pecunia illa quam mutuas alteri quatenus subest industriæ tuæ ad lucrum ex ea faciendum pluris tibi valet, quam ipsa

per se considerata, est enim veluti semen fœcundum lucri per industriam, in quo lucrum ipsum virtute continetur; ergo plus pro ea exigi potest, quam ipsa per se valeat. Probatur consequentia, quia dum illam tradis, etiam lucrum in illa latens tradere censeris. *Secundo*, quia cùm priuas te hac pecunia lucro destinata, non solum illa te priuas, sed etiam spe lucri. Atqui hæc spes est pretio æstimabilis: ergo pro ea potest aliquid exigi. *Tertio*. Hæc spes lucri non est minoris æstimanda, quam metus damni. Atqui cum metuitur damnum ex mutuatione licitum est de eo paciscì: ergo etiam dum speratur lucrum.

3. Secvnda Conclvsio. Vt hæc pactio sit licita, requiruntur 3. conditiones. *Prima* est, vt hæc mutuatio sit causa lucri cessantis, vt si pecuniam destinatam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, subtraham illi destinationi, vt tibi mutuem, & ita amittam spem illius lucri. *Secunda* est, vt non tantum exigas, quantum est lucrum, quod sperabas, sed minus. Nam deducenda est æstimatio laborum, expensarum, & quãti pluris valet id quod certum est & præsens, quam quod futurum & incertum. *Tertia* est, vt lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed conuenienti interuallo, vt si ex mutuo 100. aureorum debeantur tibi 10. nomine lucri cessantis, non potes paciscì 10. statim dare, vt rectè docet *Medina tract. de vsur. quæst.* 3. Ratio est, quia si statim velis reddi 10. iam in re non mutuas alteri 100. sed tantum 90. ac proindè tantundem exigis pro lucro cessante ex 90. quantum ex 100. quod apertè est iniquum.

4. Obijcies *primo* ex *D. Th. art. 2. ad 1.* vbi dicit non licere aliquid accipere ratione lucri cessantis, quia non potes vendere id, quod nondum habes. Resp. D. Th. loquitur ibi de lucro remoto, nempè quãdo pecunia necdum erat negotiationi destinata, vel certè solum vult non

posse tantum exigi, quantum erat lucrum possibile, non tamen negat, quin spes illa lucri, quæ minoris valet, quam res ipsa sperata, possit in pactum deduci, vt colligitur ex *quæst. 62. art. 4. ad 2. & docet Caiet. quæst. 78. art. 2. ad 1.*

5. Obijcies *secundo*. Mutuum debet fieri gratis: ergo cum non tenearis mutuare, non potes quidquam exigere. Respondeo. Mutuum debet fieri gratis, quia pro ipso mutuo præcisè spectato nihil potest exigi supra sortem, bene tamen potest exigi pro spe lucri, quam ex illa pecunia acceperas, quia hæc est pretio æstimabilis.

Quæst. 5. *An ratione periculi satis, vel difficultatum aut expensarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat vltra sortem exigere?*

1. NEgat Nauarr. *c. 23. num. 81. l. 6. quæst. 4. art. 1. ad 1.* & pauci alij.

2. CONCLVSIO. Absolutè id licitum est. Ita Angelus *v. vsura 1. num. 38. Sylu. ibidem quæst. 35. Medina C. de restitut. quæst. 38. Cordub. quæst. 78. Petr. Nauarr. l. 3. c. 2. num. 343. & alij recentiores.* Probatur *primo*, quia quod me conijciam in tale periculum est pretio æstimabile (vt si mutuem homini non satis noto aut decoctori, aut dubiæ fidei, aut si timeam magnas molestias in recuperanda sorte) ergo possum de eo pretium exigere. Nam iustissimum est, si pro eo, quod pretio æstimabile est, exigatur. *Secundo*. mutuator potest exigere, vt mutuatarius ei caueat dato fideiussore aut pignore: ergo potest etiam ipsi aliquid accipere, quando subit periculum fideiussoris.

3. Nota tamen, vt hoc iustè fiat tria requiri. *Primo*, vt non cogat mutuatarium, vt te adhibeat loco fideiussoris, sed liberum ei facias pignore, vel fideiussore cauere, quia obligatio illa, quod teneatur te loco fideiussoris accipere potius, quam alium, est onus quoddam pecuniæ

pecunia æstimabile. Itaque non potes eiid imponere, nisi fortè ratione lucri cessantis, vt sic illud compenses. *Secundo*, vt non plus exigas ratione huius periculi, quam ipse alteri velles dare pro tali periculi redemptione, si pecuniam tuam in illud conijcere cogereris: hoc enim est, ignum te iustam æstimationem non excedere. *Tertio*, vt sit verum periculum, ex quo probabiliter timeatur incommodum. Nec refert, etiamsi postea nullum damnum fortè euenerit, quia non pro ipso damno futuro; sed pro periculo damni pactus es.

4. Obijcit Nauarr. *primo* hanc sententiam esse contra communem Theologorũ, & Canonistarum. Resp. Est contra communem sententiam licitum esse cogere mutuatarium, vt vtatur mutuante loco fideiussoris: non autem inire cum illo talem contractum, si sponte consentiat.

5. Obijcit *secundo*. Contrarium haberi in c. *in Ciuitate, de vsuris*. Resp. Fallitur Nauarr. Nam in illo capiculo nihil aliud definitur ab Alex. III. quam ratione solutionis dilatæ non licere mercespluris vẽdere, quam modo valeant, nisi dubium sit illas plus minusve tempore solutionis valituras.

6. Obijcit *tertio*. Sotus, si posset aliquid exigere ratione metus & periculi, is qui magis est meticulosus, posset plus exigere, quod est absurdum. Resp. Metus debet niti iusta ratione: debet enim esse verum periculum, od quod prudenter metuitur.

Quæst. 6. *An ratione carentiæ pecuniæ, seu obligationis non repetendi ante certum tempus, possit aliquid exigi?*

1. ALiqui putant hoc titulo posse aliquid exigi, vt refert *Molina disp.* 305. & probatur *primo*, quia fideiubere alterius nomine ad vnum annum pro tanta summa est pretio æstimabile, etiamsi nullum sit periculum in debitore: ergo etiam mutuare cum obligatione non repetendi. Probatur consequentia, quia hoc est

difficilius quam illud. Plures enim inuenias qui hoc nomine fideiubeant pro tanta summa, quam qui eam tibi velint ad tantum tempus mutuare, vt experientia constat. *Secundo*, quia sicut alijs rebus & oneribus potest aliquod pretium imponi, ita etiam oneri carendi sua pecunia tanto vel tanto tempor, præsertim, si ratio boni communis id postulet. Hoc autem fit in proposito, quia cum plurimi pecunia præsenti egeant, nec facilè possit inueniri, qui gratis mutuare velit, ratio postulabat, vt mercatores communi consensu constituerent, veluti certa pretia carentiæ pecuniæ, spectatis omnibus illis circunstantijs, ex quibus ea carentia possit pro tempore pluris vel minoris æstimari: idque propterea, vt passim omnibus constaret, quanti pecunia haberi possit, & ne singuli pro suo arbitratu taxarent suum interesse, cum magno damno mutuatariorum, & hic videtur esse vsus bursæ Antuerpiensis, quo mercatores quotidie conueniunt, & habita ratione copiæ & inopiæ multitudinis cambiorum, mercimoniorum, & aliarum lucrandi rationum, statuunt pretium carentiæ pecuniæ quod mercatores mutuantes possint exigere.

2. Conclvsio Non videtur vllo modo permittendum mercatoribus, vt aliquid exigant vltra sortem ratione carentiæ, pecuniæ, seu obligationis non repetendi ante certũ tempus, si nullus alius legitimus titulus ex supradictis interueniat, vt damni emergentis, lucri cessantis, periculi sortis aut difficultatum. Probatur *prima*, quia nullus bonus author inuenitur, qui faueat mercatoribus. *Secundo*, quia carentia pecuniæ & obligatio non repetendi ante aliquod tempus est quid intrinsecum ratione mutui: alioqui mutuum non differret à precario. Atqui mutuum debet fieri gratis, vt constat ex dictis: ergo pro hac carentia vel obligatione nihil petendum est. Ex hoc fundamento soluendum est. *Primum* argumentum. Ad *secundum*. Respondeo tale

pretium à mercatoribus imponi non posse, quia carentiæ pecuniæ non est pretio æstimabilis, nisi ratione alicuius incommodi vel periculi coniuncti.

Quæst. 7. *An in mutuo pœna conuentionalis locum habeat?*

1. SEnsus est, an liceat pacisci, vt mutuatarius, si ad terminum statutum non restituerit, aliquid soluat in pœnam suæ moræ vltra sortem.

2. PRIMA CONCLVSIO. Absolutè id licitum est. Ita *Scotus d.15. quæst.2. Gabr. quæst.11. art.1.* Sylu. *v. vsura 1. num.28. Ioan. Medina quæst.3. de vsura. Nau. c.17. num.215.* Ratio est, quia debitor, qui est in mora, peccat contra iustitiam, retinendo alienum seu alteri debitum: ergo dignus est pœna: ergo ex conuentione partium potest etiam aliqua pœna constitui, sicut illi soli pœna imponi, qui à contractu resilierit.

3. DICES. Nemo potest alteri pœnam imponere, quam teneatur subire nisi superior: ergo. Resp. Solus superior potest inuitum ad pœnam obligare, sed priuatus potest alterum obligare consentientem: tunc enim ille per suum consensum obligat seipsum, sicut in aliis pactis.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Requiruntur tamen quatuor conditiones. *Prima* est, vt absit fraus vsuraria, vt notant Scotus, Gabriel, vt si non cures vtrum soluat ante talem terminum, nec ne: & tamen constituas ei terminum cum pacto pœnali, vt possis aliquid lucrari ex mutuo: tunc enim non ex culpa, quæ nulla esset in non soluendo, sed ex vi mutui censeretur illud lucrum expectari. *Secunda* est, vt debitor verè sit in culpa non soluendo. Nam sine culpa non potest imponi pœna, siue ea sit iudicialis, quam Iudex imponit per sententiam, siue legalis, quæ lege est constituta, siue conuentionalis, quæ constituitur ex cõuentione partiũ. Vnde si fact° sit impotẽs, nõ potest exigi, vt rectè notat.

*Nauarr. supra. Tertia* est, vt pœna sit moderata iuxta mẽsuram culpæ, quod etiam in pœna iudiciali & legali requiritur. Hinc pactum legis commissoriæ in pignoribus (vt pignus sit creditoris si certo tempore debitor non soluerit) est Iure prohibitum *c. significante, de pignoribus, & L. 1 & 2. de pactis pignorib.* Hinc sequitur, si pars debiti soluta fuerit, non posse totam pœnam exigi, sed partem tantum, nempe eam quæ parti debiti proportionaliter respondeat. *Quarta* est, vt mora sit notabilis: non enim vnius diei interuallum ordinariè sufficere debet ad pœnam incurrendam. Hic tamen qualitas negotij, & mos prouinciæ spectandus est. Nam si concessum est spatium sufficiens, & intra illud solutio facta non sit, poterit peti, etiamsi diem vnum excesserit tantum, si iuris rigore vti velit mutuator.

5. QVÆRES. An hæc pœna post moram sit debita in conscientia ante Iudicis sententiam. Resp. valde probabile est ante omnem sententiam deberi. Ita Sylu. v. *pœna num. 14. & plures alij.* Ratio est, quia debetur ex vi pacti inter contrahentes initi. Vnde multum differt à pœna legali & iudiciali quæ non debentur ante Iudicis sententiam, quia nõ ex vi pacti, sed Iudicis præcepto debentur. Nota tamen sicut legalis & iudicialis non debentur ante sententiam Iudicis, ita conuentionalis non debetur ante exactionem partis, quæ hic Iudicis vicem supplet.

Quæst. 8. *An dominium vsurarum transferatur in vsurarium?*

1. ALiqui putant vsurarium acquirere dominium earum rerum quas supra sortem accipit, siue illæ sint vsu consumptibiles, vt vinum, frumentum, pecuniã: siue non, vt testes, annuli, suppellex. Ita *Scotus dist. 15. quæst. 2. art. 3. ad 2. Palud. ibidem quæst. 2. art. 5. & Nauarr. 17. num. 265.* Fundamentum præcipuum est, quia voluntas illa mutuatarij, qua soluit vsuras,

sufficit ad dominium earum transferendum. Nam absolutè voluntariè soluit, quamuis secundum quid involuntariè.

2. PRIMA CONCLVSIO. Dominium vsurarum nunquam transfertur in vsurarium ex vi solutionis seu traditionis factæ ratione contractus mutui. Ita *D. Th. art. 3. Caiet. 1. 2. opusc. 8. c. 1. Medina quæst. 4. de vsur. Sot. l. 6 quæst. 1. art. 4. Couarr. l. 3. variar. resol. c. 3. num. 6.* Ratio est, quia per illam solutionem mutuatarius non intendit donare gratis, vt suppono; nec plus iuris dare vsurario, quam habeat, aut quam ei debeatur ratione mutuationis. Atqui ratione mutuationis nihil debetur præter sortem: ergo non intendit transferre dominium, sed solum externam traditionem facere, quæ necessaria est, vt fidem suam liberet, & pecuniam mutuam impetret. Confirmatur, ex *L. nunquid ff. de acquirend. rerum dominio*, vbi dicitur: *Numquam nuda traditio dominium transfert, nisi præcesserit venditio, aut iusta aliqua causa.* Atqui hic non præcessit iusta causa, id est, iustus titulus: ergo. Hinc patet responsio ad fundamentum contrarium. Nuda illa voluntas non est sufficiens non quidem defectu voluntarij propriè, cùm sit absolutè libera, sed quia per illam non est volitum, vt istæ vsuræ absolutè cedant in dominium vsurarij; sed solum vt sint ipsius, quatenus ei debentur, & non aliter.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Restamen lucrifactæ pecunia vsuraria statim, ac ipsi traditæ fuerint, transeunt in ipsius dominium. Ita *D. Th. art. 3. Adria. in 4. tract. de restitutione quæst. de vsura, Couarr.* & colligitur apertè ex L. 1. & 8. *C. si quis alteri vel sibi sub alterius nomine, & L. si ex ea, C. de rei vindic.* Ratio est, quia talis res est fructus industriæ, non pecuniæ.

4. TERTIA CONCLVSIO. Si vsurarius res alienas loco vsurarū acceptas vendat, acquirit dominiū pretij, licet dominiū istarum rerū non transferat in emptores,

Prima pars patet, ex *L. qui vas ff. de furtis.* Secundò probatur, quia qui non est Dominus rei, non potest illius dominium in alium transferre. *L. exempto. ff. de actionibus empti.*

5. Dices. Talis contractus est inuoluntarius ex parte emptoris: si enim sciret esse alienam rem, nollet emere: ergo est irritus. Confirmatur, quia non intendit transferre dominium pretij in venditorem, nisi venditor transferat vicissim dominium rei in illum. Atqui venditor non potest hoc vllo modo facere, vt dictum est: ergo. Respondeo eum quidem aliquo modo esse inuoluntarium, cùm ex errore procedat, quia tamen hic error non est circa rei substantiam, sed circa conditionem quandam extrinsecam, non est ipso iure contractus irritus, potest tamen emptor illum rescindere, vbi sciuerit, & pretium repetere, vt alibi dictum est. Ad confirmationem Respondeo. Emptorem non intendere transferre pretium sub illa conditione, sed transferre illud absolutè cum onere, vt venditor rem quoque transferat in ipsum. Vnde venditor statim fit Dominus pretij traditi, sed manet obligatus, vt rem faciat emptoris, teneturque de euictione.

Quæst. 9. *Quænam possimus ab vsurarijs titulo oneroso vel gratuito accipere.*

1. Prima Conclvsio. Non potes à fure vel vsurario accipere res alienas, quæ in specie extãt, vt vestes, catenas, lectos, etiamsi ipsi eas alienando non fierent impotentiores ad soluendum. Ratio est, quia cum ipsi talium rerum non habeant dominium, non possunt illud in alium transferre. Hinc sequitur eas non posse emi, & si aliquis eas, sciens esse alienas, emerit, teneri ad restitutionem. Hoc tamen intelligendum est, quando inuito domino emerentur: secus verò, si ex consensu eius saltem tacito & præsumpto. Vnde excusandi videntur qui emunt pignora, & alia, quæ pas-

sim in oppidis vsurarij publicè vendunt. *Primo*, quia non constat, an hæc sint aliena: talia enim solent sponte à mutuatarijs relinqui per modum venditionis pro sorte & vsuris, & ita dominium eorum transit in vsurarium, quamuis teneatur pretium supplere. *Secundo*, quia mutuatarij postquam ea reliquerunt pro vsuris, non solent curare ad quos perueniant, & si rogarentur libenter facerent potestatem emendi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Potes ab vsurario vel fure accipere res eas, quarum ipse potestatem & dominium habet, tam gratuito, quam oneroso titulo. Ratio est, quia hæ res non sunt alienæ, sed ipsius vsurarij, neque alijs sunt vlla reali obligatione obnoxiæ. Non enim res vsurarij sunt tacitè hypothecatæ pro vsuris, vt quidã olim putarunt, nusquam enim in iure positiuo talis hypotheca constituta inuenitur: iure autem naturali nulla est tacita hypotheca: ergo potest earum dominium in alios transferre. Sequela patet, quia Dominus rei alteri non obligatæ, habens liberam administrationem, potest eius dominium in alium tranferre.

3. QVÆRES. Quid si per eam donationem vel alienationem fiat impotens ad soluendum. Resp. *primo*, si non inducis illum ad donandum vel alienandum, sed ipse sponte tibi donat vel vendit, non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi scias ipsum per hoc fieri impotentem ad soluendum. Ita *Petr. Nauar. l. 3. c. 4. num. 218. Molina disp. 327.* & colligitur apertè ex *l. vlt. ff. quæ in fraudem creditorum*. Ratio patet ex dictis, quia illæ res nemini sunt obstrictæ, & ipse est earum Dominus, & nullâ lege est inhabilis ad transferẽdum illarum dominium: ergo reipsa transfert. Nec obstat quod ille peccet donando, quatenus se per hoc reddit impotentem ad soluendum creditoribus, quia tu non es causa, cur velit dare, sed supposito quod ipse sponte velit, tu acceptas, vtens tuo iure. Nota tamen si titulo

gratuito accepisti, iure ciuili cõcedi creditoribus actionem, qua possint illud à te repetere. Et quidem si sciuisti illum ea donatione fieri impotentem, cogeris restituere, etiamsi neque res extet, neque ex ea factus sis locupletior. Si verò nesciuisti, solum teneberis quatenus extat, vel ex ea factus es locupletior, vt patet *L. Quod autem, ff. quæ in fraudem credit.* Quod si titulo oneroso accepisti, si quidem sciuisti illum sic reddi impotentem, cogeris reddere, non restituto pretio, nisi quatenus inde aliquid extat in bonis debitoris, vt patet *L. 7. 8. vltima, ff. eod. tit.* si verò nesciuisti, non datur actio creditoribus ad rescindendum, vt habetur *L. quod autem supra.* Resp. *secundo*, si verò illum induxisti ad donandum vel alienandum, putans eum per hoc fore impotentem; teneris ad restitutionem, si hæc impotentia sit causa non soluendi. Ratio est, quia qui dat causam damni, damnum dedisse videtur.

4. Tertia Conclvsio. Si vsurarius, vel alius debitor non est soluendo, nihil potest ab eo accipi per vltimam voluntatem, vt per testamentum, codicillum, fideicommissum, vel donationem causa mortis, sed totum in foro conscientiæ restituendum creditoribus, Colligitur ex *L. quod autem supra, & L. vlt. C. de iure deliberandi.* Ratio est, quia nemo post mortem suam habet potestatem lucrandi & compensandi creditoribus, si quid ex bonis ipsius, quod creditoribus dandum erat, in alios collatum fuerit: ergo æquum non est vt de rebus suis possit pro eo tempore cum damno creditorũ disponere. Confirmatur, quia ideò potest res suas alienare, dum viuit, quia quamdiu viuit, manet ipsius persona obligata, quæ adhuc lucrari potest, ergo cum post mortem non possit ipsius persona manere obligata, aut aliquid lucrari, vt soluatur creditoribus, non potest etiam in illud tempus in fraudem creditorum aliquid alienare.

Quæst. 10. *Vtrum hæredes vsurarij teneantur in solidum?*

AFfirmat Nauarrus *c. 15. nu. 278.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si aliqua res in specie caret apud vsurarium, quam nomine vsurarum acceptam esse constat, ea ad quemcunque hæredem deuenerit, est restituenda. Patet ex dictis, quia est aliena.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæredes non tenentur in solidum, nec alter pro altero, sed singuli tantummodo pro sua parte iuxta vires hæreditatis. Ita *Caiet. tom. 2. Opusc. 8. Syl. v. Vsura 6. qu. 10. Couar. l. 3. variar. resol. cap. 3. Sotus l. 6. q. 1. art. 4. de Vsura.* Ratio est, quia in successione hæreditatis, sicut bona defuncti diuiduntur in hæredes, ita etiam eius obligationes personales & debita. Quod si aliquid obligatione reali sit obstrictum; illud in totum conuenire potest.

9. TERTIA CONCLVSIO. Etiamsi omnes hæredes deficiant, tamen legatarij & donatarij non tenentur ad restitutionem, si illa quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita, & ad partem hæredibus iure debitam. Ita *Medina* loc. cit. Probatur, quia onera debitorum testatoris non transeunt ad legatarios, sed ad hæredes. Hoc enim ratio hæreditatis includit.

Hæres enim dicitur, qui succedit in vniuersum ius defuncti, l. *Hæreditas, ff. de regulis iuris*, ac proinde etiam in onere eiusdem: substituitur enim in locum defuncti. Nota tamen, si bona hæredibus titulo hæreditatis cum oneribus defuncti relicta non sufficiunt, vt ipsi solutis debitis habeant suam legitimam, vel quartam iure debitam; tunc legatarios & donatarios teneri contribuere seruata proportione, vt solutis debitis legitimam vel quartam, quæ falcidia dicitur, obtineant.

Quæst. 11. *Quinam ex cooperantibus ad vsuras teneantur ad restitutionem?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Omnes ij tenentur qui agunt partes vsurarij, & sunt causa efficax, cur

vsuræ soluantur, vel solutæ non repetantur. Tales sunt *primo*, qui persuadent alicui vt vsurarius fiat, & vsuras exigat. *Secundo*, omnes Iudices qui statuto vel sententia compellunt soluere vsuras, vel decernunt vt solutæ non repetantur. *Tertio*. Factores vsurariorum, qui faciunt ipsos contractus iniquos. *Quarto*, famuli qui cogunt ad solutionem vsurarum.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui verò agunt partes mutuatarij, vel certè non efficaciter concurrunt, non tenentur ad restitutionem, etiamsi videantur cooperari. Tales sunt *Primo* famuli, qui recipiunt pignora eaque asseruant. *Secundo* qui numerant pecuniam. *Tertio* qui referunt omnia in libro rationum. *Quarto* Proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad vsurarium.

Quæst. 12. *Quænam sint pœnæ vsurariorum?*

CONCLVSIO. Multę pœnę tum Iure ciuili, tum Canonico in manifestos vsurarios constitutæ sunt. *Prima* est infamia, *L. improbum C. ex quibus causis infamia irrogatur*. Vnde si frater meus illum hæredem instituat, possum agere contra illum actione inofficiosi testamenti, vt patet ex *L. Fratres, C. de inofficioso testamento*. *Secunda* est quod non sint admittendi ad communionem altaris c. *in omnibus de vsuris*. *Tertia* est, nec ad oblationes offerendas, ibidem, & qui oblationes eorum acceperit, ipso facto est suspensus ab officio, donec ad arbitrium sui Episcopi satisfecerit, & cõpellitur reddere, vt ibidem habetur. *Quarta*, nec ad cõfessionem peccatorum, donec satisfecerint reipsâ pro sua facultate, vel idoneam cautionem dederint, idque vel creditoribus ipsis, si sint præsentes, vel Ordinario loci, aut eius Vicario, vel Parocho coram testibus fide dignis, vel Notario publico habẽte mandatum ab Ordinario, vt patet ex c. *Quanquam, de vsur. in 6. Quinta*, Nec ad sepulturam Ecclesiasticam c. *In omnibus supra*.

imò qui eos scienter sepelire præsumpserit, ipso facto est excommunicatus, nec est absoluendus donec arbitrio Episcopi satisfecerit Clement. 1. *de sepultura. Sexta*, testamenta eorum sunt irrita nisi ante mortem soluerint, vel cautionem legitimam dederint c. *Quanquam suprà. Septimâ*, Ecclesiastici non possunt vsurariis exteris elocare domos, aut permittere in eis habitare. Imò tenentur eos expellere ex suis terris intra tres menses, alioquin ipso facto incurrunt pœnam suspensionis, si sint Episcopi : Excommunicationis, si sint minores Episcopis : interdicti si sit collegium, vel vniuersitas Ecclesiasticorum, vt patet c. 1. *de vsuris in 6.*

Quæst. 13. *An montes pietatis excusentur ab vsura?*

1. NOTA. In multis Christiani orbis partibus iam ab annis 160. fuisse à piis viris ingentes pecuniæ summas ad mutuandum pauperibus deputatas, quæ summæ solent vocari montes pietatis. Constituti autem sunt hi montes cum his conditionibus. *Prima*, vt ex illis detur mutuum ad certam summam pauperibus eius loci, non diuitibus, aut exteris. *Secunda*, vt ad certũ tempus v.g ad annum, vel paulò amplius id eis permittatur. *Tertia*, vt mutuatarij dent pignus idoneum, quia alioqui talis mons facile exhauriretur multis posteà nõ soluentibus. *Quarta*, vt singulis mensibus aliquid minutum soluant pro sumptibus necessariis ad montis conseruationem, vt pro stipendio ministrorum, qui montem custodiunt, semperque parati esse debent ad mutuãdum, & ad pignora recipienda, custodienda, & reddenda. Item pro conductione domus, pro libris rationum, cæterisque necessariis instrumentis. *Quinta*, vt si tempore præscripto non soluerint, vendatur pignus, & quod ex pretio, detractâ sorte, & menstruis detrimentis superfuerit, illis restituatur. Hæc omnia patent, ex Medina *quæst. 10. de vsuris*, & ex Nau. *tract. de vsur. numer. 59.* His positis Caiet. *tom. 2. opusc. 6.* putat hanc

mutuandi rationem illicitam esse. Idem tenet *Sotus l. 6. q. 1. a. 6.* Et inclinat *Sylu. v. vsura 5. q. 4.*

2. CONCLVSIO. Certum est hanc rationem mutuandi, & hosce montes licitos esse & pios. Ita *Naua. & Medina li. cit.* Probatur *primo*, quia *Leo X. in Conc. Later. sess. 10.* vna cum ipso Concilio approbat hosce montes, tanquam pios, & cupit eos erigi cum conditionibus expositis; concedens indulgentias iis, qui manus adiutrices ad huiusmodi erigendos porrexerint. Denique excommunicationis sententiam profert in omnes; qui contrarium docere vel concionari præsumpserint, vt patet ex Bulla eiusdem, quæ tota extat apud *Medinam, & tom. 4. Conc.* Resp. Sotus Caietanum qui Concilio interfuit non obstante hac determinatione integro opusculo contrarium docuisse, idque esse signum, eam non esse validam. Resp. Caiet. scripsisse illud opusculum ante Concilium, nempe Anno 1498. vt patet ex fine opusculi. Cõcilium autem hoc definiuit Anno 1515. vt patet ex fine Bullæ. *Secundo*, Probatur ex Conc. Trid. *sess. 22. c. 8. 9* 11. vbi enumerans loca pia, quæ ab Episcopo visitari debent, ponit etiam hosce montes. *Tertio.* Probatur ratione; *primo*, quia nihil exigitur à mutuatariis ratione mutuationis, sed solum ratione expensarũ, quæ necessariæ sunt ad montis conseruationem & administrationem, vt patet ex Bulla Leonis. Atqui licitum est pro his expensis aliquid exigere: ergo quod in montibus istis datur, iustè exigitur. Minor patet, quia expensæ illæ fiunt in gratiam & commodum illorum qui mutuum petituri sunt, nempe vt maius damnum euitent, ne cogantur vsurarios accedere: si ergo quis cupiat frui commodis montis, potest cum eo initi pactum, vt pro sua parte ad illas expensas contribuat. *Secundo*, nulla æquitas postulat, vt quis cum damno suo mutuet: ergo tantum exigere potest, quantum est necessarium ad damnum euitandum, & consequenter

quantum opus est pro domo conducenda, pro stipendiis ministrorum, & pro reliquis instrumentis; nullo tamen modo potest aliquid exigi, vt mons augeatur, vel vt dominus illis fiat ditior. Ex dictis patet valde optandum esse vt passim per oppida huiusmodi montes sublatis vsurariis, qui vbique dominantur & plebem exhauriunt, excitentur: inde enim multiplex vtilitas in Remp. proueniret. *Primo*, impediretur peccatum vsuræ. *Secundo*, pecunia remaneret in patria, cum iam alio exportetur, quia vsurarij sunt ferè exteri, qui sedem sæpè mutant, & cum euaserint opulenti, in suas regiones redeunt. *Tertio*, incolæ pecunia affluentes haberent locum vbi securè & fructuosè eam possent collocare, emendo census super monte fundatos: tales enim census essent optimi & securissimi. *Quarto*, homines tenuiores in omni eventu ad sua negotia possent statim habere pecuniam numeratam, idque mediocri detrimento. *Quinto*, venditis pignoribus restitueretur quod sortem & detrimenta excedit, cum vsurarij totum pretium pignoris sibi reseruent.

## *De Censibus seu reditibus annuis.*

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit census?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nomen Census multa significat: hîc sumitur duobus modis. *Primo*, pro pensione annua. *Secundo* pro iure percipiendi annuam pensionem, & potest sic describi. Census est *ius percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius*. De hoc iure hic potissimum agimus.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Census diuiditur *primo*, in *Reseruatiuum & consignatiuum*. *Reseruatiuus* dicitur, quando quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum & vtile, donando, legando, vendendo, aut permutando, seruata sibi annua pensione super eadem re. Talem censum constituit Ioseph in omnibus terris Ægyptiorum præter quam Sacerdotum, cùm eas

emptas & subditas dominio Pharaonis Ægyptiis restituit, vt patet *Genes.* 47. v. 24 *Consignatiuus* dicitur, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum & vtile tetinet, vel etiam super persona sua alteri ius pensionis annuæ consignat. De hoc est tota disputatio apud DD.

3. TERTIA CONCLVSIO. Census consignatiuus 4. modis diuiditur. *Primo*, ratione materiæ in realẽ, personalem, & mixtum. *Realis* est, qui super re aliqua fundatur, ita vt ex ea re pensio solui debeat. Huic respondet *primo*, in reipsa obligatio realis, quæ rem perpetuo comitatur, etiamsi vendatur alteri, tanquam onus quoddam seu grauamen illi annexum, donec legitimè redimatur. *Secundo*, obligatio personalis in eo, cuius illa res est. Nam onus rei redundat in dominum. *Tertio*. Relatio debiti in pensione. *Personalis* est, qui immediatè super personam, quæ seipsam obligat ad pensionis solutionem, constituitur. Huic respondet tantum obligatio in persona, & debitum in pensione. Nec obstat quod hic interdum interueniat hypotheca, quia hæc non interuenit ex vi contractus censualis, sed superuenit per alium contractum. Nam hypotheca solum exigitur ad securitatem contractus alterius. Vnde ex ea non est soluenda pensio, nisi eo casu, quo aliter solutio à persona debitore non posset obtineri. *Mixtus* est, qui constituitur super re & super persona immediatè, ita vt etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata, quod non fit in censu merè reali: ibi enim re, vel ex parte, vel in totum pereunte, perit similiter census. *Secundo* diuiditur ratione pensionis in fructuarium & pecuniarium. *Fructuarius* dicitur ex quo debetur fructus, vt frumentum & vinum: *pecuniarius* ex quo debetur pecunia. *Tertio* diuiditur in certum & incertum. *Certus* est, cùm determinata pecuniæ summa, vel fructuum mensura in pensionem constituta est. *Incertus*, cùm in-

determinata v.g.3.vel 5. pars fructuum constituitur soluenda, sicut fecit Ioseph in Ægypto: hic enim modus habet tantum locum in censu reseruatiuo. *Quarto* diuiditur ratione temporis futuri in perpetuum & temporale. Perpetuus diuiditur in redimibilem & irredimibilem. Temporalis verò in eum qui extenditur in certum tempus v.g.10.vel 20. annorum, & in eum qui in incertum, vt ad vitam vnius, duorum vel trium hominum, qui dicitur vitalitius.

Quæst. 2. *An liceat emere nouos census?*

1. HEnricus *quodl.8.qu.22.* putat emptionem nouorum censuum illicitam esse, etiamsi in re aliqua fructifera constituantur, si pensiones recipiendæ putentur tandem superaturæ pretium: secus tamen esse de antiquis, hos enim licitè emi posse pretio communiter taxato. Ratio est, quia emptio noui reditus non est emptio, sed mutuum. At in mutuo non licet plus pecuniæ accipere; quam datum sit: ergo. Maior probatur, quia extrema huius contractus sunt pecunia simul data, & pecunia per quotas recipienda. Pecunia autem vendi non potest, sed mutuò dari. Nec refert quod in re fructifera videatur constitui, quia hæc se habet per modum hypothecæ. Idem videtur sentire *Innoc. & Ioan. And.* in c. *In ciu. de vsuris.*

2. CONCLVSIO. Certum est ex communi sententia non minus licitè emi nouos reditus, quam antiquos. Ita *Conrad.qu.79.* vbi 12. rationibus Henrici sententiam refutat. *Soto s.l.q.65.art.1. Medina qu.12. de vsura, Couar. lib.3.variar. resol.c.7. nu.2. Nauar. de vsuris d.69. & alij.* Probatur *primo*, quia *Mart.V. & Calixtus III.* in suis *extrau. tit. de emptione & vēdit.* authoritate Apostolica declararunt, Census eos, qui habent conditiones ibi positas, esse iustos & licitos, & debitores ad solutionem obligari. Nec distinguunt hi Pontifices inter antiquos & nouos, sed in genere de omnibus loquuntur. *Secundò*

quisque potest de nouo constituere ius percipiendæ pensionis in suis bonis titulo donationis, vt ipsi fatentur: ergo etiam titulo emptionis: non enim minoris valet quod emitur, quàm quod donatur. *Tertio*, quia antiqui aliquando fuerunt noui, & lapsus temporis non fecit eos esse iustos: ergo sicut antiqui vendi possunt, ita & noui. *Quarto*, potest aliquis alteri vendere ius seruitutis in suo agro de nouo constituendum: ergo etiam ius percipiendæ pensionis annuæ. Sequela patet, quia sicut ius seruitutis est particula quædam decerpta ex iure integro, quod Dominus habet in re sua, ita ius pensionis annuæ: ergo si illud vendi potest, etiam hoc poterit. Ad argumentum Henrici: Resp. Id quod propriè & immediatè venditur & emitur in hoc contractu non esse pecuniam aut pensionem annuam, sed ius ad pensionem annuam exigendam, quod multum distinguitur à reipsa, vt ostendit Conradus.

3. Dices. Illud ius non extat, ergo non potest vendi. Resp. *primo*. Etsi nunc non extet; tamen paulo post extabit, vnde potest vendi sicut hæreditas futura, vel sicut iactus retis futurus. Resp. *secundo*, Falsum est hoc ius non extare antequam vendatur: extat enim in ipso vendente. Nam hic habet ius percipiendi pensionem ex re sua (quamquam tunc non vocetur adhuc census) quod ius sicut alteri donare potest, ita etiam vendere.

quæst. 3. *An liceat emere censum personalem?*

1. Negat *Innocentius Hostiensis Ioan. And. Anton. de Butrio, Panor. & Zabarella in c. In ciuitate, de vsur. D. Ant. 2. p. tit 1. c. 8. Angelus v. vsura, §. 78. Nau. de vsur. n. 81. & quidem recentiores.* Probatur *primo*, quia census personalis est inuentio noua, & nunquam in Repub. Romana post religionem Christianã susceptam vsurpata. *Secundo*, Pensio non potest in libera persona constitui, eo modo, quo in prædio constituitur. *Tertio*, li-

ber

ber homo non potest pignori dari cap. 2. *de pigno.* Atqui ius census maius est iure pignoris: ergo. *Quarto*, liber homo non potest in seruitutem rapi ob debita. Verum ex his rationibus satis constat hos auctores non loqui de censu personali, qui passim est in vsu; sed de eo qui ita constituitur in persona, sicut constitui solet in prædio, adeò vt si non sit soluendo, creditor possit vendere debitorem, aut trahere in seruitutem sicut prædium vendi, aut vendicari in dominium potest. Nos autem non loquimur de tali censu personali, sed de eo, qui in creditore solùm ponit ius pensionis annuæ: In debitore verò tantùm obligationem personalem illius soluendæ, quæ transeat ad hæredes; ita tamen, vt non obliget illos nisi secundum vires hæreditatis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Emptio census personalis licita est. *Ita Conrad. q. 74. Maior in 4. d. 15. q. 34. Gabriel ibid. q. 12. a. 1. Sotus l. 6. q. 5. a. 1. Medina q. 11. de Vsura Couarr. l. 3. Var. resol. c. 7. num. 5.* Probatur *primo*, quia olim Ecclesiæ debebantur etiam personales decimæ, nempè ex labore manuum, & negotiatione, vt patet c. *Decima 16. q. 1.* & c. *Apostolicæ*, & c. *pastoralis*, *de decimis*, quæ etiam nunc in quibusdam locis soluuntur. Item *l. 2. Esdras c. 10.* Fideles constituerunt annuum reditum tertiæ partis sicli pro fabrica templi, panibus propositionis, & sacrificijs, idque tantum supra personas suas. Atqui talis obligatio, vel sponte suscepta, vel à superiore legitimè imposita, est certo pretio æstimabilis: ergo vendibilis: ergo etiã census personalis vendibilis erit, cum talis obligatio sit verè cẽsus personalis. *Secundo*, probatur, si ad censum requireretur aliqua res distincta, à persona debitoris, super qua census dicatur constitui, id esset, vel quia res illa, vel certè fructus eius deberet emptori vendi. Atqui neutrũ fit: non enim res illi venditur, quia dominium rei directum & vtile manet apud venditorem census, qui liberè potest eam alienare in quem vo-

luerit, vt patet ex bulla *Pij V.* neque etiam fructus illi propriè venduntur, quia sæpè fit, vt sit census pecuniarius, qui super agro constituitur. Deinde etiamsi concederemus fructus rei vendi, simili modo possunt vendi fructus & lucra personæ.

3 SECVNDA CONCLVSIO. Hæc emptio est licita etiamsi sperentur pensiones excessuræ pretium. Colligitur ex *auctoribus cit.* qui enim admittunt hunc censum, admittunt eo modo quo passim est in vsu. Atqui nemo huiusmodi censum emit, nisi verisimile ei sit pensiones cum tempore excessuras pretium. Est enim census perpetuus, etsi redimibilis ex parte venditoris. Vnde semper sperat emptor se plus accepturum quam dedit. Nam sperat emptor se plus accepturum pensiones aliquot, & postea, si venditor voluerit post aliquot, annos se liberare, totam sortem. Probatur *primo*, quia per hanc emptionem non emuntur pensiones propriè futuræ, sed ius quoddam illas exigendi, quod in omni Repub. longè minoris valet, quam pensiones speratæ si essent præsentes, valerent. *Secundo*, census realis perpetuus licitè emi potest minoris quam sint pensiones speratæ: ergo etiam personales. Est.n. par ratio: sicut.n. ibi non violatur æqualitas, eo quod non emantur propriè fructus qui longè superant pretium, sed ius ad illos quod censetur æquale pretio; ita etiam hic fit.

4 TERTIA CONCLVSIO. Persona in qua census statuitur debet esse vel fructifera (id est, talis, vt aliquem fructum suâ operâ vel industriâ pariat, vnde soluat) vel vt aliqua bona in re, vel in spe habeat. Ita *Medina q.* 11. Ratio est, quia alioqui ius illud nullius esset momenti, ac proinde non esset pretio æstimabile: ergo nec vendibile.

5. QVARTA CONCLVSIO. Licitum etiam est in emptione census personalis exigere hypothecam generalem, vel specialem, securitatis causa. Colligitur

ex iisdem authoribus. Ratio est, quia in reliquis contractibus licet exigere hypothecam, vt in mutuo, & in venditione ad terminum, & similibus: ergo etiam in emptione census. Confirmatur, quia si contractus est validus, merito potest is, cuius interest, exigere securitatem, vt firmus maneat, & non violetur. Ad hoc autem pertinet & valet hypotheca.

6. Obiicies *primo*. Martinus & Calixtus Pontifices in suis *extrauag.* declarant solum census reales esse licitos, ergo personales illiciti sunt. Respond. Nego sequi, quia Pontifices de illis solis fecerunt declarationem, de quibus erant consulti.

7. Obiicies *secundo*. Si tibi darem 1000. aureos eâ lege, vt quotannis pro vsu mihi solueres 50. vsuram committerem, eò quòd vsum pecuniæ seorsim venderem, sed ita fit in emptione census personalis: ergo vsura committitur. Hoc argumentum ait *Lopez*, Sotum nunquam potuisse soluere. Resp. in censu personali non emitur vsus pecuniæ, sed ius super alterum, qui sibi obligationem personalem potest imponere.

8. DICES. Qui emit ius exigendi pecuniam, emit ipsam pecuniam. At pecunia non est vendibilis: ergo non est vera emptio, sed mutuum. Maior probatur; quia qui emit ius alicuius possessionis principaliter censetur emere possessionem: ergo. Resp. *primo*, falsum est eum qui emit ius ad pecuniam, emere propriè ipsam pecuniam. Nam hæc multum differunt, vt patet ex communi vsu hominum, qui quotidie iura sua & actiones pecuniarias vendunt. *Secundo*, falsum est eum qui emit solum ius ad possessionem, emere propriè ipsam possessionem, vt patet, dum ius legitimorum emitur: tunc enim non dicitur emi ipsa possessio, sed ius & actio alterius partis. Deinde etiamsi ius sit liquidum, tamen qui habet ius ad possessionem, non ideò habet ipsam possessionem, sicut qui transfert in alterum ius,

quod habet in beneficium per præsentationem, non transfert in illum ipsum beneficium.

Quæst. 4. *An liceat emere censum perpetuum irredimibilem minori pretio, quam sint pensiones speratæ?*

1. Dicam *primo* de reali. *Secundo* de personali.

2. Prima Conclvsio. Emptio census perpetui & irredimibilis realis licita est minori pretio, quam sunt pensiones speratæ. Ita *Medina q. 12. & 15. de vsura, Sotus, Couarr. & alij passim.* Ratio est, quia res ipsa seu dominium rei, in qua census iste fundatur est minoris pretij, quam fructus ex ea sperati. Nam fructus qui temporis successu percipiuntur decuplo plus valent, quam res communiter æstimetur. Atqui census realis nihil aliud est, quam pars illius iuris, quod in dominio continetur: ergo multo magis emi potest minori pretio quam fructus: minus enim est habere censum super re, quam eius dominium.

3. Nota *primo*. Si res illa casu pereat, censum quoque concidere: id enim commune est omni censui merè reali. Nam sicut pereunte re perit eius dominium, ita etiam ius percipiendi fructus ex illa: errant ergo quidam recentiores qui putant re peremptâ non perire censum realem, sed venditorem manere obligatum. Ratio illorum est, quia putant rem censui subiectam, à qua dicitur census realis esse veram hypothecam pro censu. Atqui pereunte hypotheca, vel in alium translata, adhuc manet obligatio personalis in priori debitore: ergo.

Sed fundamentum falsum est. Nam census realis nihil aliud est, quam ius percipiendi fructum, vel pensionem, ex re fructifera alterius. Vnde se habet sicut ius seruitutis, quod quis habet in re alterius, vt v. g. ius eundi per prædium alterius, venandi, piscandi, colligendi glandes; ratione cuius iuris res non dicitur hypothecata pro illo iure: si enim res pereat, perit ius, si in

alium transferatur, prior dominus omni obligatione soluitur: quando autem res aliqua est hypothecata, tunc etiamsi pereat, vel in alium transferatur, manet tamen obligatio personalis, quia hypotheca datur in securitatem alterius debiti, maximè personalis. Itaque dicere rem subiectam censui esse hypothecatam pro censu, est omnes census facere personales.

4. NOTA *secundo*. In emptione census realis irredimibilis posse hypothecam exigi, hæc tamen hypotheca nullum habebit vsum, si res censui subiecta pereat; solum ad hoc seruit, vt, si fortè debitor census nolit soluere pensiones (re censui subiectâ permanente saluâ) possit vendi hypotheca, vt ex ea solutio petatur.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Etiam emptio census personalis irredimibilis est licita, etiamsi pretium sit minus, quam pensiones speratæ. Colligitur ex *Medina & Soto supra*. Probatur *primo*, quia minor est species vsuræ in hac emptione, quam in emptione census personalis redimibilis, cum nulla sit spes recuperãdæ sortis: ergo si redimibilis emi potest pretio minori, quam sint omnes pensiones speratæ, poterit etiam emi irredimibilis. *Secundo*, quia certum est hominem posse sibi talem obligationem imponere, quæ transeat ad hæredes secundum hæreditatis facultates. Atqui hæc obligatio communi hominum iudicio est certo pretio æstimabilis v. g. 30. aureis in singulos annos, cum tamen plures sperentur recipiendi intra annos 40. *Tertio*, census realis irredimibilis pretium minus est quam sint pẽsiones speratæ. Atqui sæpe fit vt census reales sint multò meliores & securiores quam personalis: ergo etiam pretium iustum personalis census irredimibilis minus est quam omnes pensiones speratæ.

9. DICES. Nullum potest dari pretium æquale censui irredimibili: ergo emptio eius est iniqua. Antecedens patet, quia si d. 8 24. vel 25. vel etiam 30. in sin-

gulos intra totidem annos habebis sortem, & reliqua supra sortem accipies. Imo quantumuis sors magna sit, tamen decursu annorum superabitur pensionibus. Resp. non emuntur ipsæ pensiones, sed ius ad pensiones, quod communi hominum æstimatione æquiualet certæ summæ pecuniæ præsenti. Vnde non refert quod pensiones superent, quia hæ sunt instar fructuum illius iuris quod *primò* & principaliter emitur, & cuius pretium vel lege publicâ, vel communi hominum æstimatione statuitur. Confirmatur, quia alioqui non liceret emere agrum certo pretio, quia fructus agri intra aliquot annos pretium superabunt: id autem est contra praxin orbis & contra communem sententiam DD.

Quæst. 5. *An liceat emere censum temporalem minori pretio, quàm sint omnes pensiones simul sumptæ?*

1. CEnsus temporalis dicitur, qui ad certum vel incertum tempus constitutus est, in cuius termino sponte extinguitur sorte non refusa.

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui ad incertum tempus constitutus est (vt est omnis vitalitius) emi potest pretio minori quàm sint pensiones speratæ. Est communis sententia. Probatur *primo*, quia quod pensiones simul sumptæ superent sortem, id est planè fortuitum: sicut enim possunt superare; ita etiam superari, cum valdè incertum sit, an tot annos victurus sit is, super quem constitutus est. Nec obstat, quod interdum multo probabilius sit esse diutius victurum, ac proinde plures pensiones persoluturum, quia non emuntur pensiones, sed ius ad illas exigendas, quod ius minoris longè valet, quàm pensiones præsentes, tum ob commoditatem pecuniæ præsentis: tum quia multis modis tanto tempore fieri potest, vt nihil ex eo percipiatur. *Secundo*, quia census vitalitius est res quædam æstimabilis certo pretio, quod ferè semper minus est quam pensiones speratæ: ergo certo pretio vendi potest.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Probabile etiam est eum censum, quiad certum tempus constitutus est v. g. ad 10. vel 20. annos posse minoris emi, v. g. si quis vellet vendere pensionem 10. aureorum in decennium, probabile est licere emere 90. aureis. Ita *Couar. l. 3. var. resol. c. 7. n. 4. Cajet. v. vsura, & Nauar. c. 17. num. 230.* Et quidem si sit census realis non videretur dubium. Nam sicut emi potest ius percipiendi fructus ex re fructifera alterius in perpetuum; ita etiam ad certum tempus, quod ius semper æstimatur minoris, quam emolumentum speratum, si præsens esset. Confirmatur, quia alioqui pluris valeret census temporalis, quam perpetuus. Nam census perpetuus redimibilis emi potest 16. aureis in singulos: hoc autem pretio non posset emi census temporalis ad 20. annos. Item census irredimibilis emi potest tringinta in singulos. Atqui hoc pretio nõ potest emi census temporalis ad annos 33. Si autem loquamur de censu personali ad certum tempus, maius est dubium. Probabile tamen est licitè emi minoris vt docẽt authores citati. Probatur *primo*, quia alioqui pluris valeret census personalis ad annos 17. vel 20. quam personalis vel realis perpetuus redimibilis, aut etiam irredimibilis, vt ostensum est. *Secundo*, quia non potest dari sufficiens ratio, cur communi hominum æstimatione, vel principum lege non possit iuribus personalibus aliquod certum pretium imponi, quod minus sit, quam res quæ in futurum expectatur.

Quæst. 6. *An liceat emere censum vitalicium redimibilem?*

1. CErtum est licitam esse emptionem census redimibilis ex parte venditoris, id est, cum pacto, vt venditor possit redimere quando libuerit, talis enim approbatus est à Pontificibus: sed dubium est, an emptioni talis census possit adiici pactum in fauorem emptoris, nẽpe vt emptor possit illum reuendere, quando

voluerit, vel resoluere contractum pretio quod dedit. Sotus *l. 6. qu. 5. a. 3.* putat tale pactum esse vsurarium. Ratio est, quia vbicumque datur pecunia cum pacto eandem rursum recipiendi, & aliquid vltra sortem, illic vsura vel patet, vel latet. Atqui hoc fit, quando das mille, vt annuè recipias 50. donec alter refundat sortem, & vt reddat illam quando potest.

2. Conclvsio. Contraria sententia est probabilis quam tenent *Gabriel in 4. d. 15. q. 12. art. 2. Conrad. q. 84. Medina q. 15. de vsur. Petr. Arrag qu. 78. art. 4. Greg. de Val. qu. 22. p. 6. & q. 25. p. 2.* vbi etiam refert eandem sententiam à multis doctissimis Theologis Romæ in quadam consultatione, cui ipse interfuerit, Anno 1585. probabilem esse iudicatam; etsi ob periculum vsurarum minimè suadendam. Probatur *primo*, quia venditor potest vendere censum cum pacto, vt possit redimere quando voluerit, & vt emptor teneatur tunc censum, vel literas census reddere, vt omnes fatentur: ergo similiter emptor potest emere censum cum pacto, vt possit illum reuendere, & reddere venditori, & vt tunc venditor teneatur illum redimere. Est enim par ratio. Nam si venditor potest sibi tale ius reseruare, & talem obligationem imponere emptori ad rem venditam recuperandam, cur emptor non possit simile ius reseruare, & similem obligationem imponere venditori ad recuperandam pecuniam expositam.

3. Dices. Est dispar ratio, quia dare pecuniam cum obligatione ad eam reddendam est mutuare, non emere: dare autem rem aliam vendibilem pro pretio cum obligatione ad eam restituendam, non est mutuare, sed vendere. Resp. Dupliciter potest dari pecunia cum obligatione ad eam reddendam. *Primo*. Si datur immediatè pro simili pecunia eiusdem valoris cum obligatione, vt illa post aliquod tempus reddatur; & tunc est mutuum. *Secundo*. Si detur immediatè pro re aliqua

vendibili cum obligatione, vt venditor illam rem post aliquod tempus redimat, & pro ea pretium restituat, & tunc est vera emptio. Hoc modo fit in proposito. Nam emptor census non dat pecuniam immediatè pro pecunia refundenda, sed pro censu, neque obligat alterum vt reddat pecuniam pro pecunia accepta, sed vt recipiat ius quod vendit, & pro ea iustum pretium persoluat. *Secundo* Probatur: Ideo venditor iustè potest emptori imponere obligationem reuendendi, quia hoc onus potest compensari tanto minoris rem vendendo. Atqui obligatio, quam emptor imponit venditori ad rem redimendam potest similiter compensari tanto pluris emendo: ergo similiter potest imponi. Confirmatur, quia emptor census potest pacisci cum tertio, vt ille teneatur censum à se emere quando placuerit: ergo simile pactum potest inire cum venditore. *Tertio.* Si petas à me vt emam à te censum, possum vicissim à te petere vt emas post aliquod tempus à me domum, idque in pactum deducere (nam pro obligatione licita potest peti mutua obligatio) ergo similiter possum petere, vt post aliquod tempus eundem censum redimas: si enim possum te obligare vt emas à me rem aliam, cur non etiam vt eandem redimas, quam mihi vendidisti? *Quarto.* Hoc pactum potest addi emptioni aliarum rerum, vt agrorum, domorum, animalium: ergo etiam emptioni censuum. Antecedens est *Couar. l. 3. variar. resol. c. 9. num. 3. & multorum aliorum.* *Quinto.* Pacta quæ seorsim fieri possunt, ita vt neutrum destruat alterum, possunt etiam iunctim fieri (quæ enim seorsim iusta sunt, etiamsi simul iuncta sunt iusta.) Atqui hæc pacta seorsim fieri possunt: qui enim emit censum redimibilem ex parte solius venditoris 100. aureis, ei dabũtur quotannis 9. aurei; sed hic potest inire pactum cum venditore, vt quotannis non soluat nisi quinque aureos, & vt pro reliqua parte se obliget ad redimendum

quando emptori placuerit: illa enim obligatio videtur satis compensari, si quotannis condonetur pro ea vnus aureus.

4. Hæ rationes satis probant probabile esse hoc pactum emptioni census realis apponi posse. Nam sicut totum dominium rei potest emi cum pacto redimendi in fauorem vtriusque; ita etiam ius fructuum, quod est veluti pars totius dominij. Si vero agatur de emptione census personalis, de qua citati authores loquuntur, etiam procedunt rationes. Hoc modo videntur posse excusari contractus quidam valde vsitati, quibus solet pecunia pupillorum tradi mercatori; vel alteri pro vsura quincunce, id est, pro quinque in cētum: quamuis enim contrahentes non cogitant expressè de censu vtrimque redimibili, tamen videntur implicitè in illum consentire, dum is, qui pecuniam tradit, intendit hoc lucrum percipere omni modo quo iustè id fieri potest, & alter intendit eo titulo dare quo ille accipit. Vide plura apud *Greg. de Valent. l. c.* Hic tamen modus contrahendi merito deberet in posterum vbique prohiberi propter periculum vsuræ.

### Quæst. 7. *Quæ conditiones iure positiuo requirantur in emptione censuum?*

MArtinus V. & Calixtus III. *in suis extrauag.* referunt varias conditiones obseruari solitas in Polonia & Germania, quas ad 8. reducit *Nauarr. in comm. de vsuris num.* 72. Hæ tamen conditiones non sunt necessariæ ad iustitiam census, vt fatentur Pontifices. Nam hoc solum volunt significare, licitos esse & iustos census, qui habent has conditiones. Pius V. Anno M. D. LXIX. requirit alias conditiones, sine quibus decernit contractum esse irritum & fœnorarium. Sed Bulla Pij V. non est vbique recepta, ac proinde non vbique obligat.

## QVÆSTIO LXXIX.

*De partibus iustitiæ integrantibus.*

PArtes iustitiæ aliæ sunt Subiectiuæ, vt Commutatiua & Distributiua, de quibus supra. Aliæ integrantes, vt declinare à malo & facere bonum, de quibus hic agitur. Aliæ potentiales, de quibus in seq. quæstione.

## QVÆSTIO LXXX.

*De partibus iustitiæ potentialibus.*

POtentiales Iustitiæ partes vocantur quæ magnam habent affinitatem cum Iustitia, licet eius perfectam rationem non attingant; cuiusmodi sunt Religio, Pietas, Obseruantia, Veritas, Gratia, Vindicatio, Liberalitas, Amicitia.

## QVÆSTIO LXXXI.

*De Religione.*

DIuus Thomas agit *primo* de virtute Religionis. *Secundo*, de actibus eius internis, qui sunt Deuotio & Oratio. *Tertio*, de actibus externis qui sunt Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Decimæ, Votum, Iuramentum, Adiuratio, Laudatio Dei. *Quarto.* De vitiis oppositis, quæ sunt Superstitio, Illegitimus Dei cultus, Idololatria, Diuinatio, Obseruatio superstitiosa, Tentatio Dei, Periurium, Sacrilegium, Simonia.

### Quæst. 1. *Quid sit Religio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Religio, si nomen spectes, potest dupliciter deriuari *Primo*, à relegendo, quod ea quæ ad Dei cultum pertinent, sæpè sint animo repetenda, & velut relegenda, vt vult *Isidorus l.* 10. *Etymolog. cap.* 17. *ex Cic. Secundo*, à reeligendo, quod per eam reeligamus Deum, quem per peccatum reieceramus, vt *August. lib.* 10. *Ciuit.* 4. *Tertio*, à religando quod nos Deo astringat & alliget, vt ait *Lactantius* 4. *diu. instit. cap.* 28. *August.* 1. *retract* 13. & *D. Hieron. in cap.* 9. *Amos.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Quod ad rem attinet, potest sic definiri. Religio est *virtus quæ exhibet Deo cultum debitum tanquam primo rerum omnium principio. Primo* dicitur *virtus*, quia omnis actus honestus pertinet ad aliquam virtutem, vt ait *D. Thom. art. 2.* sed reddere Deo debitum cultum est actus honestus: ergo pertinet ad aliquam virtutem: pertinet autem ad Religionem: ergo religio est virtus. *Secundo*, dicitur *exhibens Deo cultum*, id est, honorem cum quadam submissione nostri. Vbi.

4. NOTA Honorem latius patere, quàm cultum. Nam omnis cultus est honor, non tamen contra. Honor enim generatim loquendo non includit submissionem, quam tamen includit cultus. Nam Deus honorat sanctos, non tamen colit. Porrò honor generatim nihil est aliud, quam testimonium excellentiæ alterius: siue id fiat verbis, vt cum quis laudatur; siue gestu corporis, vt genuflexione, apertione capitis, submissione corporis; siue rebus externis, vt erectione statuæ, descriptione elogij, institutione festorum, ludorum, & similibus. Hæc enim omnia sunt signa quædam, quibus alterius excellentiam significamus, ac proinde illum honoramus. *Tertio*, dicitur *Cultum Deo debitum*. Nam Deo debetur ille cultus à creatura rationali. Ratio additur, quia est primum rerum omnium principium, à quo omnia dependent; propter hanc igitur excellentiam debetur illi cultus.

8. TERTIA CONCLVSIO. In officio Religionis 4. actus spectari possunt. *Primus* est considerare Deum esse infinitæ excellentiæ, & omnia ab ipso pendere. *Secundus* est considerare nos ex nobis nihil esse, nihil habere, sed quidquid sumus & habemus, Dei esse, & ab eo assiduè pendere. *Tertius* est profunda mentis submissio & inclinatio coram Deo, qua mens hæc ipsa interius testatur. *Quartus* eorundem professio ex-

terior verbis, gestu corporis, vel aliis modis. *Primus & secundus* actus supponuntur religioni tanquam fundamentum. *Tertius*, nempe submissio illa est actus interior Religionis, qui etiam in Angelis reperitur, & continet duos actus, alterum voluntatis, qui est affectus reuerentiæ, quo interna illa honoraria inclinatio est volita: Alterum intellectus, quo eadem præstatur, & executioni mandatur: cum enim Angeli non habeant corpora, non colunt Deum signis corporalibus, sed spiritualibus, quæ non videntur esse alia, quàm apprehensiones intellectus, aut locutiones spirituales. Nulla enim in rebus spiritualibus possunt esse signa his meliora aut significantiora: sicut ergo homo alterum honorat, submittendo se illi signis spiritualibus; nempe profitendo spirituali locutione ipsius excellentiam, & se totos ad ipsius obsequium offerendo. Idem facit homo interius, explicitè vel implicitè, cum Deum honorat: *Quartus* actus, scilicet exterior submissio in hominibus immediatè est signum internæ submissionis: mediatè verò diuinæ excellentiæ & dependentiæ rerum ab ipsa, sicut voces immediatè sunt signa conceptuum: mediatè verò ipsarum rerum.

5. DICES. Illa submissio videtur pertinere ad virtutem humilitatis, non religionis. Respondeo pertinet ad vtramque diuersa ratione. Est enim actus humilitatis si fiat, quia congruit nostræ vtilitati, vt intra limites nostræ conditionis nos contineamus ne per superbiam extra eos feramur. Est actus religionis si fiat animo declarandi eminentiam diuinam, seu vt ipsam submissione nostri honoremus.

## Quæst. 2. *Quid sit obiectum Religionis?*

1. CONstat materiale obiectum esse ipsum cultum Dei, id est, actus illos à voluntate imperatos, quibus Deo exhibemus honorem & reuerentiam significando ipsius excellentiam, & nostram submissionem. Difficultas est de obiecto formali. Aliqui putant esse excellentiam diuinam, quæ Deo conuenit, quatenus est primum principium omnium creaturarum. *Primo*, quia D. Th. art. 3. docet, Religionem esse vnam virtutem ex vnitate obiecti formalis, quia adhibet Deo reuerentiam secundum vnam rationem, nempe quatenus est primum principium creationis & gubernationis. *Secundo*, quia sicut Deus propter suam bonitatem diligitur charitate; ita propter excellentiam colitur religione: ergo sicut bonitas Dei est obiectum formale charitatis; ita excellentia religionis. *Tertio*, quia virtus religionis ideò distinguitur à virtute obseruantiæ, quia coluntur Sancti, quod per religionem colatur excellentia increata, per obseruantiam vero creata. Distinctio autem virtutum sumitur ab obiecto formali. Alij putant non esse ipsam Dei excellentiam, sed existimationem de diuina excellentia, quam oriri desideramus ex cultu religioso. Probatur, quia materiale obiectum religionis sunt actus ij, quibus Deus colitur, & ipsius excellentia significatur: ergo formale obiectum debet esse ratio illa boni, ob quam volumus illos actus, quibus Deus colitur, & ipsius excellentia significatur: At volumus hos propter existimationem de diuina excellentia, quia cultus seu honor per se ordinatur ad excitandam huiusmodi existimationem de persona quæ honoratur. Alij aliter sentiunt.

2. PRIMA CONCLVSIO. Formale obiectum religionis non est excellentia diuina. Probatur, quia

alioqui Religio esset virtus Theologica, quod tamen omnes negant. Sequela patet, quia ad rationem virtutis Theologicæ satis est, quod Deum respiciat vt obiectum formale. Patet *primo*, in fide, quia si quis credat aliquod obiectum creatum propter diuinam authoritatem, erit assensus fidei Theologicæ. *Secundo*, in charitate, quia si quis optet Deo conuersionem infidelium propter diuinam bonitatem erit actus charitatis Theologicæ: ergo similiter si quis vellet colere Deum, propter excellentiam diuinam, tanquam obiectum formale, esset actus virtutis Theologicæ, quod tamen nemo concesserit.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Nec est bona existimatio de excellentia diuina. Ratio est, quia talis existimatio est duplex: altera in animo eius qui colit Deũ: altera in animo aliorum qui vident illum cultum. Neutra potest esse formale obiectum religionis. Non prior, quia actus Religionis illam supponit: prius enim est habere bonã existimationem de Deo, quam illum colere. Nemo enim vult Deo cultum exhibere, nisi iam antè habeat bonam existimationem de excellentia diuina. Nec posterior. *Primo*, quia illa est potius finis colentis Deum, quam formalis ratio colendi. *Secundo*, quia non habet locum in ijs, qui interno tantum actu colunt Deum. *Tertia*, nec habet locum in beatis qui reuera colunt Deum, & tamen vnus non excitat in altero bonam existimationem de Deo. Nam illam existimationem omnes habent vi visionis beatificæ, & quidem tantam, vt in illo statu maiorem habere non possint secundum legem ordinariam.

4. TERTIA CONCLVSIO. Formale obiectum religionis est honestas seu bonitas illa, quæ est in cultu diuino, quem religio Deo exhibet. Ratio est, quia commune est omni actui voluntatis, vt feratur in obiectum suum sub ratione alicuius boni: ergo si actus

est honestus, debet ferri in obiectum sub ratione boni honesti; sed actus religionis est honestus & fertur in cultum diuinum tanquam in obiectum: ergo debet in illum ferri sub ratione alicuius honestatis: hæc autem non est alia quam quæ est in cultu diuino. Confirmatur, quia actus voluntatis vel fertur in finem, vel in media. Si in finem, hoc fit propter intrinsecam honestatem, quæ est in fine. Si in media, hoc fit propter extrinsecam bonitatem quam media participant à fine. Atqui primarium obiectum cuiusq; virtutis in voluntate existentis est proximus & immediatus ipsius finis: ergo vnaquæque virtus in voluntate existens fertur in suum obiectum primarium sub ratione honestatis in ipso obiecto existentis: ergo etiam religio fertur in cultum diuinum propter honestatem in ipso existentem, quia ille cultus est primarium eius obiectum.

5. Qværes. Quæ sit illa honestas? Aliqui putant esse rationem debiti & congruentis, ac proinde religionem versari circa cultum diuinum, quatenus est Deo debitus & congruens. Respondeo. Honestas, quæ est in cultu diuino, consistit in eo, quòd sit signum diuinæ excellentiæ, & nostræ submissionis. Nam religio fertur in cultum diuinum quatenus significat diuinam excellentiam & nostram subiectionem: Hęc enim ratio significandi est quædam honestas, quæ in cultu diuino reperitur. Hinc sequitur, etsi excellentia diuina non sit formale obiectum religionis, esse tamen formale obiectum cultus diuini: est enim ratio, cur Deus sit colendus.

6. Qvarta Conclvsio. Essentialis differentia proximè sumitur ex honestate cultus diuini, quæ est obiectū formale ipsius radicaliter tamen & mediatè ex diuina excellentia. Prima pars probatur, quia commune est omni virtuti, vt sumat differentiam essentialem ab obiecto formali; hæc enim differentia consistit

sistit in intrinseco respectu ipsius ad obiectum formale. Secunda pars patet, quia honestas illa quæ est in cultu diuino, sumitur ex diuina excellentia quæ per eum cultum significatur. Hinc fit, vt alia sit honestas in cultu Dei: alia in cultu Sanctorum, quia honestas vnius sumitur ab excellentia increata: alterius verò à creata. Hoc sensu intelligendus est *D. Thom. art. 3. & 4.* Quando explicat vnitatem & differentiam religionis ex diuina excellentia, quæ per illam colitur. Licet enim Religio proximè & immediatè sumat Vnitatem, & differentiam suam ab honestate cultus diuini tanquam ab obiecto formali; tamen remotè & mediatè sumit illam ab excellentia diuina quæ est obiectum formale cultus diuini.

7. Hinc soluuntur argumenta contraria, præsertim *primum & tertium*. Ad *secundum* Resp. Deum coli religione propter suam excellentiam nihil aliud est, quàm excellentiam diuinam esse obiectum formale cultus religiosi: non autem virtutis religionis. Vnde hæc est differentia inter charitatem & religionem, quod charitas immediatè attingat Deum per actum à se elicitum: religio verò solùm per actum imperatum, qui est cultus diuinus, quatenus Deo exhibetur.

Quæst. 3. *An religio differat ab alijs virtutibus.*

1. HOc facilè constare potest ex dictis, vt tamen res clarior fit, paucis explicanda est.

2. PRIMA CONCLVSIO. Religio distinguitur ab ijs virtutibus quæ hominem rectè componunt in seipso, vt verbi gratia, à temperantia & fortitudine. Ratio est, quia religio disponit hominem ad alterum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Distinguitur etiam ab ijs, quæ hominem bene disponunt ad proximum, vt à misericordia, iustitia particulari. Ratio est, quia religio disponit hominem ad Deum.

Obijci potest illud Iac. 1. v. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione illorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Hinc colligitur Religionem disponere hominem non solum ad Deum, sed etiam ad proximum & ad seipsum, quod est contra vtramque conclusionem. Resp. Apostolus non voluit ibi significare quid sit religio, sed quales effectus habeat vera religio, non quidem à se immediatè elicitos aut imperatos, sed mediantibus aliis virtutibus: habet enim religio duplices actus, quosdam ipsa per se exequitur, siue eliciendo, vt est voluntas colendi Deum: siue imperando, vt est ipse cultus Deo exhibitus. Alios exequitur per alias virtutes & de his loquitur Apostolus. Priores actus disponunt hominem ad solum Deum. Posteriores verò ad proximum, vel ad seipsum. Idem patet in charitate iuxta illud 1. Cor. 13. v. 4. *Charitas patiens est, benigna est.*

4. Tertia Conclvsio. Distinguitur etiam à virtutibus Theologicis. Ita *D. Th. art. 5.* Ratio est, quia Theologicæ versantur immediatè circa Deum: religio vero circa cultum diuinum.

3. Dices *primo*. Oratio & laus attingunt Deum immediatè tanquam obiectum, & tamen sunt actus religionis. Resp. *primo*, non sunt actus eliciti à religione, sed imperati: sunt enim actus intellectus, quibus Deus colitur, ac proinde sunt obiectum materiale circa quod religio versatur immediatè per actum à se elicitum. Nam actus à religione elicitus est amor cultus diuini, siue interni, qualis est oratio mentalis & laus: siue externi qualis est genuflexio, sacrificium. Resp. *Secundo*. Illi actus non attingunt Deum, sicut actus vitalis suum obiectū, sed sicut signū attingit signatū: sunt enim signa & testimonia diuinæ excellentiæ, & nostræ subiectionis: Actus autē virtutū Theologicarum attingun Deū vt obiectū cognitū & amatū propter semetipsum

6. DICES *secundo*. D. Aug. *in Enchir. c.* 3. ait, Deum coli fide, spe, & charitate: ergo religio est virtus generalis complectens virtutes Theologicas. Resp. *primo* D. *Thom. art.* 5. *ad* 1. Augustini dictum intelligendum esse causaliter, quia virtutes Theologicæ suo imperio causant actum religionis, quo Deus colitur. Resp. *secundo*. Religionem & cultum sumi posse dupliciter. *Primo*. Speciatim, prout religio distinguitur ab alijs virtutibus, & versatur circa cultum diuinum propriè sumptum. *Secundo*. Generatim, pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, & quod instar sacrificij est Deo acceptum. Sic passim in scripturis pro eodem sumuntur colere Deum & seruire Deo. Seruitus autem quam Græci Λατρείαν vel Δουλίαν vocant, est nomen generale ad omnia bona opera, quibus Deo obedimus & placemus, vt patet 2. 11. & 21. v. 51. & *Matth.* 6. 24. & *Luc.* 2. 37. & alibi hoc modo videtur accipi ab Augustino. Resp. *tertio*. Actus fidei, spei, & charitatis, dupliciter spectari posse. *Primo*. Vt sunt signa quibus implicitè diuinam excellentiam profitemur. Nam hoc ipso quod credimus Deo, insinuamus illum esse primam veritatem, dū amamus super omnia, significamus esse summum bonum. *Secundo*. Vt sunt actus vitales, quibus immediatè Deo tanquam obiecto vnimur: si ergo spectentur priori modo, possunt à virtute religionis imperari, tanquam tacitus quidam & implicitus Dei cultus.

7. QVARTA CONCLVSIO. Religio non distinguitur à virtute Pietatis, obseruantiæ, & Gratitudinis in Deum. Colligitur ex *D. Thom. qu.* 106. *art.* 1. *ad* 1. vbi dicit, *sicut Religio est quædam superexcellens pietas, ita est quædam super excellens gratitudo*, & ex *Caiet. quæst.* 107. *art.* 3. Probatur, quia pietas propriè est quæ debitum cultum reddit parentibus: Obseruantia quæ personis in dignitate constitutis: Gratitudo quæ benefactoribus. Ratio autem parentis, & personæ

sublimis, & benefactoris, continetur in Deo excellentissimè: ergo etiam debitum erga Deum, & parentem, personam sublimem, & benefactorem, est summum. Atqui hoc debitum non distinguitur à debito erga primum principium: ergo virtus quæ respicit hoc debitum non distinguitur à religione, quæ respicit primo omnium rerum principio debitum. Vnde rectè *Caietan. in loc. cit.* ait: Has tres virtutes, pietatem, obseruantiam, & gratitudinem dupliter existere. *Primo.* Formaliter in suis proprijs speciebus. *secundo.* Eminenter in superiori virtute, quæ est religio.

Quæst. 4. *An Religio differat ab obseruantia quâ coluntur Sancti?*

1. MArsilius *in 3. q. 8. a. 1.* Putat nõdifferre. Probatur *primo.* Quia eâdem virtute charitatis amatur Deus & proximus: ergo etiam eâdem virtute Religionis colitur Deus & proximus: est enim par ratio. *Secundo.* Quia cultus Sanctorum est religiosus, non ciuilis: ergo pertinet ad virtutem religionis. *Tertio,* quia hoc ipso quod quis bene dispositus est ad cultum diuinum, est etiam bene dispositus ad cultum sanctorum, qui sunt Dij per participationem. Contrarium tenet *D. Thom. art. 4. ad 3. & supra qu. 25. art. 1. ad 2. & infra qu. 103. art. 3. ad 2. & alij passim in 3. d. 19.*

2. NOTA Sanctos posse dupliciter coli. *Primò.* Propter excellentiam intrinsecam & participatam. *Secundo.* Propter excellentiam extrinsecam ipsius Dei, ad quam ipsi aliquem respectum habent, quod potest rursus fieri dupliciter: vel enim eo modo coluntur, vt ipsi sint integer terminus cultus: vel eo modo, vt Deus sit terminus, & obiectum principale illius cultus: illi verò secundariò.

3. PRIMA CONCLVSIO. Si Sancti colantur propter excellentiam increatam Dei, ad quam ipsi aliquem respectũ habent, sic eâdem virtute coluntur, quâ

Deus colitur. Probatur *primo*, de eo cultu, qui non sistit in Sanctis, sed transit immediatè in Deum, quia dum hoc modo coluntur, non tam ipsi coluntur, quam Deus in ipsis tanquam in suis templis, tabernaculis, imaginibus: tunc Sancti considerantur non vt ipsi sunt cultus capaces, sed sicut res inanimæ spectari solent, per quas Deus nobis repræsentatur. Vnde etsi externum signum cultus ad ipsos dirigatur, tamen ibi non sistit. Nam interior submissio fit Deo, cui exterior cultus debet respondere: est enim hic cultus omninò similis cultui crucis & imaginis Christi, quæ non coluntur, nisi per accidens, & cultu materiali, quatenus externum signũ cultus ipsis fit, quo tamen colitur Deus. Confirmatur à simili in Charitate. Nam eadem est virtus, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. *Secundo.* Probatur de cultu, qui ipsis Sanctis tanquam integris terminis propter excellentiam diuinam tribuitur; quia tota ratio huius cultus est excellentia diuina, ad quam ipsi certum respectum habent, & coniunctionem: ergo procedit à virtute Religionis, quæ excellentiam diuinam tanquam rationem sui cultus spectat: omnis enim virtus respiciens aliquam rationem formalem obiectiuam, seu motiuum principale, extendit se ad omne id, cui illa ratio formalis aliquo modo communicatur, vt patet inductione.

4. DICES. Sancti non coluntur proximè propter excellentiam increatam Dei, sed propter dignitatem quandam intrinsecam, quam accipiunt ex ordine ad Deum: coluntur enim vt filij, vt amici, vt hæredes vt templa, vt imagines Dei: ergo ratio formalis obiectiua huius cultus non est excellentia diuina: ergo hic cultus non procedit à Religione. Resp. Negando primam consequentiam; quia etsi ob illam moralem dignitatem colantur, tamen verè coluntur ob excellentiam Dei. Vbi Nota duplicem dignitatem in Sanctis spectari

posse: alteram, quæ consistit in perfectionibus physicis & absolutis, vt in visione Dei, charitate, sanctitate; de hac dicam in seq. concluſ. alteram quæ consistit in morali æstimatione & dignitate, de qua hic agitur. Hęc autem moralis dignitas nihil aliud est, quam quidam respectus, quo sancti referuntur ad Deum, tãquam filij adoptiui ad parentem, tanquam amici ad amicum, tanquam imagines ad prototypum: hic autem respectus includit in sua ratione formali excellẽtiam diuinam saltem in obliquo, ita vt sine ea concipi nequeat; sicut ratio boni vtilis includit bonitatem finis. Vnde fit, vt quando sancti coluntur à nobis propter dignitatem moralem in ipsis existentem, simul colantur propter excellẽtiam diuinam extrinsecus ipsis applicatam, quia illa dignitas moralis non potest concipi sine excellentia diuina, vt dictum est: Sicut ratio boni vtilis, quæ est in medijs, non potest concipi sine bonitate finis. Sicut ergo eadem virtus inclinat in finem, & in media propter finem, eo quod bonitas medij cõsistat in ordine ad finem; ita eadem religio inclinat ad cultum Dei & cultum Sanctorum, quia dignitas & excellentia Sanctorũ consistit in cõiunctione & respectu quodam ad Deum. Vnde verè coluntur propter excellentiam diuinam extrinsecus illis applicatam, sicut medium verè amatur propter bonitatem finis ipsi extrinsecam, quamuis ille respectus, per quem fit ista applicatio, sit ipsi extrinsecus. Hoc modo plerumque à nobis coluntur Sancti, quia melius apprehendimus hanc moralem excellentiam, quam eorum intrinsecas & materiales perfectiones. Neque solum sancti cum Christo regnantes: sed etiam homines in hac vita. Sic enim colitur Pontifex, dum consideratur vt Vicarius Christi; sic Sacerdos vt ministri Christi; sic homines sancti vt amici Dei, & tabernacula Spiritus S.

§. QVÆRES *primo*. An etiam imagines Christi

& aliæ res inanimæ hoc modo coli possint? Respondeo. Negatiuè. *Primo.* Quia non sunt capaces honoris formalis, sicut nec contumeliæ iniuriæque, cùm non possint hæc apprehendere. *Secundo.* Nec sunt capaces vllius excellentiæ supra naturam rationalem, ac proinde non potest homo se illis subiicere tanquam superioribus, vt bene ostendit *Gabriel Vasquez l. 2. de adorat. disp. 8. c. 8.* Itaque solum possunt coli per accidens, & actu materiali & externo honoris, qui, vt ad illas terminatur, non est honor formaliter, sed vt terminatur ad exemplar.

6. QVÆRES *secundo.* An hic cultus Sanctorum qui ipsis tanquam integris terminis tribuitur, distinguatur à priori, qui non sistit in Sanctis, sed immediatè in Deum transit. Resp Vterque ab eâdem virtute religionis procedit, & propter eandem rationem formalem tribuitur; nihilominus tamen posterior est longè inferior priori. Nam prior est latria; posterior dulia. Priori immediatè colitur Deus; posteriori Sancti, vt amici & domestici Dei.

7. QVÆRES *tertio.* An hic posterior cultus ita tribuatur Sanctis vt nullo mòdo redundet in Deum. Resp. Physicè terminatur ad ipsos Sanctos, tanquam ad integrum obiectum quod colitur: interpretatiuè tamen & secundum æstimationem moralem redundat in ipsum Deum, ita vt Deus magis censeatur honorari quã Sancti. Nam tota ratio honorandi est Deus, & excellentia diuina. Vnde in hoc cultu continetur quædam virtualis & implicita λαφέια, sicut in eo cultu, quo quis colit Sacerdotem Iouis propter Iouem, continetur tacita idololatria, & in electione continetur virtualis intentio.

8. SECVNDA CONCLVSIO. Si Sancti colantur propter intrinsecas & absolutas perfectiones, vt propter visionẽ Dei, charitatem, & sanctitatem; sic non colũtur

virtute Religionis, sed distincta, quæ à Theologis dulia vocatur. Ita *D. Tho supra & multi alij.* Ratio est, quia Religio spectat excellentiam increatam, & propter eã cultum defert, vt docet *D. Th. l. c.* ergo cultus ille qui ob excellentiam creatam defertur, non est Religionis, sed alterius virtutis. Sequela patet, quia vbi est diuersum genus excellentiæ per se honorabile, ibi est diuersum genus cultus: ergo diuersæ virtutes inclinantes ad illos cultus. Atqui excellentia Sanctorum toto genere distinguitur ab excellentia diuina & est per se honorabilis: ergo constituit obiectum diuersæ virtutis. Hæc autem virtus vocatur dulia, quod nomen etsi generatim seruitutem significet, sicut & latria; tamen ex communi vsu accommodatum est partim ad significandum omnem cultum Sanctorum qui ipsis propriè impenditur, siue procedat à virtute Religionis, siue ab alia: partim ad significandam peculiarem illam virtutem, qua Sancti propter intrinsecas perfectiones coluntur. Nomen vero latriæ accommodatum est ad significandum cultum diuinum & virtutem Religionis, vt docet *D. Aug. l.* 10. *ciuit. c.* 1. *& Isidorus l.* 8. *Etym. c. vlt.*

9. Ad *primum* argumentum. Resp. Eadem virtute charitatis amari Deum & proximũ quando Deus amatur propter se, & proximus propter Deum: non autem quando proximus amatur propter bonitatem intrinsecam. Ad *secundum*. Cultus Sanctorum potest dici religio ob 3 causas. *Primo*. Quia non est ciuilis & politicus, qualis defertur principibus & magistratibus; sed est supernaturalis ortum habens ex vera fide in Deum, quæ religio vocari solet. *Secundo*. Quia virtus, qua coluntur Sancti, vel est ipsa religio, vt quando immediatè coluntur propter excellentiam diuinam; vel à virtute Religionis oritur, vt quando coluntur propter perfectiones absolutas intrinsecas: sicut enim excellentia Sanctorum oritur ab excellentia diuina, & est illius quædã

participatio; ita etiam virtus illa, qua coluntur Sancti, oritur ex virtute Religionis, & eam semper comitatur. *Tertio.* Quia cultus Sanctorum semper in honorem Dei implicitè resultat. Valde enim Deo honorificum est, quod ministri ipsius, in quibus solum radius quidam ipsius excellentiæ est, tantopere honorentur. Ad *tertium.* Religio disponit hominem proximè ad cultum Sanctorum qui ob intrinsecam illorum excellentiam intenditur, sed remotè solum & propter quandam subordinationem obiectorum, sicut virtus superior disponit ad actum inferioris sibi subordinatæ, v. g. charitas Dei ad amicitiam cum proximo.

Quæst. 5. *An Deo debeantur cultus diuersæ speciei ratione diuersorum beneficiorum?*

1. SEnsus est. An alius illi debeatur cultus ratione beneficij creationis: alius ratione redemptionis: alius ratione beneficiorum temporalium, alius ratione spiritualium?

2. CONCLVSIO est negatiua. Probatur, quia ratio finalis ob quam Deus est colendus cultu latriæ, non est beneficium, sed est excellentia ipsius increata & infinita; beneficia autem solum sunt id, per quod illa excellentia nobis applicatur, vt apprehendi possit, tanquã ad nos pertinens, & à nobis adoranda. Nam sine beneficiis & dependentia ab ipso non essemus obligati ad eam adorandam. Vnde si per impossibile esset aliquod numen à quo nobis nihil boni proueniret, vt volebat Simon Magus, non essemus obligati illud honorare cultu latriæ. Ratio est, quia per cultum latriæ significamus nostram subiectionem & dependentiam à primo principio: ergo si illud numen non est principium nostrum, non debemus ei latriam, sicut nec tributum debetur alieno Principi. Hinc *Diu. Thom. artic. 3.* dicit, religionem exhibere reuerentiam Deo vt primo principio creationis & gubernationis: ergo si aliquis

à Deo non penderet, non deberet ei hanc reuerentiam.

3. DICES. Sancti sæpè in colendo Deo non spectãt beneficia accepta, sed solùm Dei maiestatem: ergo signum est nos obligari ad Dei cultum etiam præscindendo à beneficiis. Resp. Non sequitur, quia etsi ad Dei cultum non moueantur beneficiorum consideratione; tamen non essent obligati Deum colere, nisi ab eo penderent. Deinde in ratione diuinæ maiestatis quodammodo essentialis dependentia nostri Esse comprehenditur, tanquam in ratione primi principii & entis per essentiam, ac proinde etsi sola maiestas in cultu spectetur, non tamen excluditur, sed potius includitur hæc dependentia, tanquam causa, sine qua talis cultus non deberetur.

Quæst. 6. *An Deo debeantur cultus diuersæ speciei ratione diuersarum perfectionum seu attributorum?*

1. CONCLVSIO est negatiua. Ita *Halens. 3. p. q. 30. memb. 1. a. 3. Gabr. in Can. lect. 49.* & colligitur ex *D. Th. a. 3. ad 1. & infra q. 84. a. 1. ad 2.* Probatur, quia ratio formalis, cur Deus sit adorandus cultu latriæ est, esse primum principium omnium rerum. Atqui primum principium directè includit omnes perfectiones omnium attributorum. Nam id, quod est fons omnis esse & perfectionis, debet in se omnem essendi rationem continere, ergo pro diuersitate perfectionum non debetur diuersæ latriæ adoratio, cum ratio cur debeat coli latria, sit vnica & simplex.

2. DICES. Glossa in Psalm. 71. sic habet: *Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia: Deus omnium per creationẽ, cui debetur latria.* quæ verba desumpta sunt ex Aug. *q. 94. in Exod.* vbi sic ait: *Dulia debetur Deo, tanquam Domino: latria vero non est nisi Deo tanquam Deo.* Hinc sequitur diuersum cultum deberi ratione diuersorum attributorum. Cõfirmatur, quia per sacrificium testamur,

illum habere mortis ac vitæ potestatem: adoratione, esse Dominum omnium: oratione, esse liberalem & omnipotentem: iuramento assertorio, esse veracem: promissorio, fidelem: laude, omnia attributa celebramus. Respondeo *primo*. Non omnia attributa æquè expresse singulis colendi modis honorantur, sed quædam alijs significantiùs. Hinc fit, vt sit quædam materialis differentia inter hos colendi modos. Vnde aliqui eorum non conueniunt, nisi soli Deo, vt sacrificia, templa, altaria: quædam etiam alijs accommodari possunt, vt adorationes, genuflexiones; omnes tamen hi modi, quatenus sunt cultus latriæ, exhibentur Deo, vt omnibus perfectionibus plenissimus est. Nam exhibentur illi quatenus est primum principium nostri & omnium rerum.

Respondeo *secundo*. Quando Glossa & Aug. dicun, Deo deberi duliam quatenus Dominus est, & latriam, quatenus Deus est, non accipi duliam strictè, pro actu obseruantiæ qui Sanctis debetur; sed generatim pro cultu debito alicui, tanquam Domino, qualecumque sit illud dominium. Vnde sicut dominium conuenit creaturis & Deo analogicè: ita etiam dulia. Latria autem accipitur pro cultu, qui conuenit Deo quatenus Deus est, seu quatenus est primum principium omnium rerum. Vnde non potest communicari creaturis *Vide Vasq. l. 1. de adorat. disp. 2.*

## QVÆSTIO LXXXII.

### *De Deuotione.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nomen deuotionis sumitur dupliciter. *Primo*. Vt significat specialem actum religionis: & sic deuotio nihil aliud est, quàm interna quædam sui ad cultum diuinum oblatio & traditio: Sicut enim, qui alicuius Principis obsequio totum se tradit & deuouet, deuotus dicitur illi Principi; ita qui ex affectu cultus & honoris diuini

se tantum mancipat Deo, facit actum peculiarem religionis, qui dicitur absolutè deuotio, & à quo dicitur quis deuotus Deo. Potest autem id fieri vel cum voto, vel sine voto. Si cum voto vel iuramento fiat, nascitur obligatio, & est deuotio magis perfecta: si autem fiat sine tali vinculo, nõ inducit obligationem, quia fit solo proposito & propositi explicatione, sicut quando homo volens explicare affectum suum, & animi propositum, dicit Principi: Trado me totum tuo obsequio. Vnde *D. Tho. a.* 1. dicit: *deuotionem esse actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum. Secundo.* Accipitur non pro actu peculiari, sed pro conditione actus interni; & sic deuotio nihil est aliud, quàm promptitudo quædam & feruor affectus ad cultum diuinum, v.g ad orationem, sacrificium, laudem Dei, soluenda vota. Vel affectus ad hæc promptus & feruens, quicumque enim feruenter & promptè hoc effectuant & faciunt, dicuntur esse deuoti, quia scilicet ostendunt se esse addictos & mancipatos diuino cultui.

2. Qværes. Quid sit hæc promptitudo & feruor? Respond. Promptitudo consistit in affectu absoluto & determinato, vincente omnem timorem, fugam, & tergiuersationem voluntatis, ita vt nihil amplius illam retardet ab executione, quando occasio se offert. Feruor autem nihil aliud est, quam intentio & vehementia affectus. Hinc patet, quare vtrumque necessarium sit. Nam promptitudo requiritur, vt superentur omnes difficultates, quæ occurrũt circa cultum diuinũ: feruor requiritur, ne simus tepidi & languidi in cultu diuino.

3. Secvnda Conclvsio. Vtraque deuotio, si ex parte nostra spectetur, oritur ex duplici contemplatione. *Primo.* Ex consideratione diuinæ excellẽtiæ, & beneficiorum, quæ ab illa tanquam ex perenni fonte in nos assiduè promanãt. Hinc enim videmus Deum omni cultu & obsequio esse dignissimum; & ipsius bene-

ficia à nobis hæc assiduè flagitare. *Secundo.* Ex consideratione inopiæ & miseriæ quam ex nobis habemus: ex hac enim cognoscimus maximè nobis expedire, vt illi seruiamus, à quo solo iuuari, & beari possumus.

## QVÆSTIO LXXXIII.

*De oratione.*

Quæst. 1. *Quid sit oratio?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Damasc. l. 3. de fide Orthod. c. 24. sic definit: *Oratio est ascensio mentis in Deum, siue decentium à Deo petitio.* August. serm. 230. de tempore sic: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium?* Chrysost. hom. 30. in Genes. *Oratio est colloquium cum Deo.* Basil. orat. in Iulit. Mart. *Oratio est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à pijs effunditur.* Alij sic, *Oratio, est desiderij nostri coram Deo explicatio, ad aliquid ab ipso impetrandum.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. In oratione spectari possunt duo actus. *Alter* est Desiderium nostrum, quo aliquod bonum desideramus nobis aut aliis conferri, vel aliquod malum auerti. *Alter* est huius desiderij practica quædam explicatio, qua conamur Deum inducere & permouere, vt id præstet, quod desideramus, quæ nihil aliud est, quam petitio quædã. Hic posterior propriè pertinet ad essentiam orationis. Nam oratio propriè est petitio, seu practica explicatio nostri desiderij, qua conamur Deum inducere ad benefaciendum. Hinc patet *primo*, Orationem esse actum rationis practicæ: est enim locutio quædam quâ desiderium nostrũ explicamus. Hæc autem locutio non fit, vt Deus nostrum desiderium intelligat, sed vt permoueat Deum ad præstandum id, quod desideratur. *Secundo.* Patet eos essentialiter definire orationem, qui dicunt esse petitionem, seu colloquium cum Deo: alios verò causaliter qui dicunt desiderium esse inuisibilium, quia scilicet

oritur ex desiderio. Alios denique concomitanter, qui dicunt esse eleuationem seu ascensionem mentis in Deum, quia scilicet cum tali eleuatione coniuncta est. Non enim possumus mente colloqui cum DEO nisi mentem ad eum eleuemus & eum quasi præsentem intueamur.

3. TERTIA CONCLVSIO. Oratio est actus Religionis. Ita *D. Th. art. 3.* Ratio est quia hoc ipso, quod Deum oramus, profitemur nos ipsos indigere tanquam primo principio & authore nostrorum bonorum, in quo maximè exibemus illi cultum & honorem, quod est officium Religionis.

4. DICES *primo*. Oratio est actus rationis practicæ, vt dictum est; Religio autem est in voluntate: ergo non potest esse actus religionis. Resp. Non est actus à religione elicitus, sed imperatus.

5. DICES *secundo*. Oratio est actus spei: ergo non religionis. Resp. Potest esse vtriusque, sed non eodem modo. Nam imperatur à religione ad Deum honorandum: imperatur autem à spe ad aliquid impetrandum.

Quæst. 2. *An oratio sit necessaria ad salutem?*

1. SVnt duo extremi errores. *Alter* Massilianorum (qui Euchitæ dicti sunt) asserentium, solam orationem sufficere ad salutem etiam sine baptismo & Eucharistia, vt refert. *Theodoretus l. 4. hist. c. 10. & Damasc. hæresi 80.* *Alter* Pelagianorum, Orationem non esse necessariam, quia possumus per vires naturales saluari, si volumus. Vnde sequitur nec gratiam esse necessariã, nec orationem, qua gratiam aut salutem à Deo postulamus. Vide *Aug. hær. 88.* Idem dicere coguntur Caluinistæ ex duplici fundamento. *Primo*. Quia docent solam fidem sufficere ad Salutem. *Secundo*. Quia volunt omnia fato quodam seu necessitate euenire. Vnde sequitur orationem esse superuacaneam. Est tertius error aliorum, qui quidem fatentur orationem esse

necessariam, sed in eo errant, quod putent esse necessariam ad flectendam & mutandam prouidentiam diuinam, id est, vt Deus non faciat id quod ab æterno decreuit facere.

2. PRIMA CONCLVSIO. Oratio est adultis necessaria ad salutem (nisi fortè viæ breuitas obstet) nec tamen sufficit. Hæc secunda pars patet, quia requiritur etiam baptismus & mãdatorum obseruatio. Prima pars probatur ex Scripturis Luc. 18. v. *Oportet semper orare, & non deficere.* 1. Thess. 5. 17. *Sine intermissione orate.* Coloss. 4. 2. *Orationi instate.* Ratio est, quia necessarium est ad salutem, vt vitemus omnia peccata mortalia, & seruemus præcepta Dei. Hoc autem non potest fieri sine quotidiano auxilio gratiæ actualis. Atqui Oratio est medium quoddam, sine quo non statuit Deus nobis conferre huiusmodi auxilium. Vnde est illud Matth. 7. v. 7. *Petite & dabitur vobis*, q.d. si non petitur, non dabitur.

3. DICES *primo*. Homo iustus potest de condigno mereri auxilia gratiæ actualis quæ ipsi necessaria sunt, vt suppono ex materia de merito: ergo non opus est per orationem impetrare. Respond. Homo iustus meretur illa auxilia per opera bona & obseruationem mandatorum Dei: inter cætera autem opera est etiam oratio, quæ sub præceptum cadit, & ideo omitti non potest. Nota tamen hoc interesse inter orationem, & alia bona opera, quod per hæc possimus aliquid mereri à Deo, per illam vero, & mereri, & impetrare.

4. DICES *secundo*. Deus est immutabilis: ergo nostris orationibus flecti & permoueri non potest: ergo frustra oramus. Confirmatur, quia ab æterno omnia sunt decreta & immutabiliter constituta, quæcunque euentura sunt: ergo oratio quæ fit in tempore, nihil potest eorum mutare: ergo siue oremus, siue non, æquè omnia euentura sunt. Resp. Deus non potest ita per-

moueri nostris orationibus, vt tunc incipiat aliquid velle, quod ante non volebat, quia hoc repugnat eius immutabilitati, sed dicitur permoueri, quia præuisis ab æterno nostris orationibus, multa statuit & voluit facere, quæ alioqui non voluisset, adeò vt oratio præuisa sit suo modo causa, cur Deus ab æterno sic voluerit, non secus, ac si nunc velle inciperet. Ad confirmationem. Omnia sunt decreta ab æterno; siue vt fiant: siue vt permittantur fieri, non tamen omnia ante præuisionem nostrarum orationum. Vide plura in 1. p. q. 14. 19. 23.

5. Secunda Conclvsio. Præceptum orationis iure naturæ ad diuina solum obligat tempore necessitatis, vt omnia alia præcepta affirmatiua. *Primo*, quando quis sentit grauem & periculosam tentationem, cui alia ratione non putat se posse resistere. *Secundo*, quando est in euidenti periculo mortis; præsertim si sit in statu peccati: tunc enim maximè, si vnquam aliàs, petenda est remissio peccatorum. *Tertio*, quando peccator se ad gratiam disponere tenetur; vt quando debet suscipere vel administrare sacramentum. Vide *Medin. & Sylu. apud Valent. p. 3. de orat.* Hinc sequitur *primo*, non diu omitti posse orationem sine peccato mortali. Ratio est, quia non possumus diu viuere sine tentationibus, ad quas repellendas opus est oratione. *Secundo*, eum qui tempore tentationis cogitat de oratione & inuincibiliter obliuiscitur, licet peccet succumbendo tentationi, non tamen peccare omittendo orationem, quia omissio tunc non est voluntaria.

Quæst. 3. *An oratio sit vtilis & efficax.*

1. Prima Conclvsio. Oratio præter consolationem spiritualem, quam menti affert, habet vim merendi, satisfaciendi, & impetrandi, vt passim alij docent. Ratio est, quia tria spectari possunt in oratione. *Primum*, quod procedat ab homine existente in statu gratiæ & sic est meritoria, sicut omnia alia bona opera.

*Secundum*,

*Secundum*, quod sit pœnalis & molesta, & sic est satisfactoria, sicut alia opera pœnalia. *Tertium*, quod essentialiter sit quædam petitio, & sic est impetratoria.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc duplex vis non semper est in oratione: potest enim vna separari ab alia. Nam *primo* fieri potest, vt sit meritoria, & non impetratoria, vt si vir iustus petat aliquid à Deo, quod tamen ipsi non expediat ad salutem, quo pacto Apostolus 2. Cor. 13. v. 8. *petiuit sibi auferri stimulum carnis, & non impetrauit. Secundo*, fieri potest vt sit impetratoria, non tamen meritoria, vt si homo peccator petat remissionem peccatorum, aut si beatus in cœlo petat aliquid pro nobis viatoribus. Fieri tamen non potest, vt sit meritoria, & non satisfactoria. Nam si meritoria est, procedit ex gratia habituali: ergo cum simul sit pœnalis, nihil deest illi, quo minus sit satisfactoria. An autem contra possit esse satisfactoria, & non meritoria, disputari solet, *in 3. p. de pœnitentia*. Scotus affirmat, D. Thom. negat.

3. TERTIA CONCLVSIO. Vis impetrandi soli orationi conuenit: non autem aliis operibus. Vt autem oratio certò & infallibiliter impetret, requiruntur 4. conditiones, vt docet *D. Thom. art. 15. ad 2. Prima*, vt petas aliquid pro te ipso. *Secunda*, vt petas necessaria ad salutem. *Tertia*, vt petas pia, id est, ex fide, spe, & affectu charitatis. *Quarta*, vt petas perseueranter. *Vide Valent. p. 4.*

Quæst. 4. *Quænam in oratione sint petenda?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Summa petendorum breuiter comprehensa est oratione dominica. Nam vt rectè D. August. epist. 121. ad Probam ait: *si per omnia sanctarum orationum verba discurras quantum existimo nihil inuenies, quod non ista contineat & concludat oratio.* Vide *Valent. p. 5.* vbi prolixè explicat hanc orationem.

2. Secvnda Conclvsio. Est aliquod discrimen inter ea, quæ à Deo peti possunt, vt docet *D. Tho. art.* 5. & 6. Nam quædam absolutè petenda sunt, vt vita æterna, & omnia media ad illam necessaria: quædam solùm sub conditione tacita vel expressa, vt diuitiæ, honores, longa vita, opulenta matrimonia: hæc enim, quia sæpissimè nobis obsunt, non debent peti absolutè, sed cum hac conditione, si nobis sint futura salutaria, quod soli Deo perspectum est: Vnde in istis optima orandi forma est, rogare Deum, vt nobiscum agat, sicut nouit expedire ad suam gloriam & salutem nostram.

3. Qværes. An sit peccatum ea secundum se desiderare, & petere à Deo. Respondeo, peccatum est si quis ita desideret vt non curet, an sint ipsi futura salutaria, necne. Tunc enim illa plus amat, quam salutem. Si tamen speret non obfutura saluti, non peccare videtur desiderando illa secundum se, modo ea mensura desideret, quæ sit secundum rectam rationem: sunt enim bona indifferentia.

*Quæst. 5. Quisnam possit aut debeat orare?*

1. Dicam *primo* de personis diuinis. *Secundo* de Christo homine. *Tertiò* de sanctis in cœlo. *Quarto* de damnatis in inferno. *Quinto* de existentibus in purgatorio. *Sexto* de nobis in hac vita existentibus.

2. Prima Conclvsio. Oratio non conuenit diuinis personis. Probatur, quia oratio est petitio quædam ad superiorem directa ad aliquid impetrandum. At diuinæ personæ non habent superiorem à quo aliquid impetrent, & singulæ sua authoritate & potestate omnia possunt.

3. Secvnda Conclvsio. Christus homo in hac vita sæpè orauit. An autē nunc in cœlo id faciat, dubium est. Aliqui negant. *Primo*, quia totum negotium nostræ salutis (pro quo solo potest orare) exactissimè composuit cum patre in hac vita. *Secundo*, quia alias li-

ceret illum rogare, vt pro nobis oret. Alij affirmant *primo* quia non dedecet Christum pro nobis orare, cùm in via sæpissimè id fecerit & statui beatitudinis non repugnet, vt patet in aliis beatis. *Secundo* quia scriptura fauet. Rom. 8 v. 34. *Qui est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis.* Hebr. 7. v 25. *semper viuens ad interpellandum pro nobis*, 1. Ioan. 2. v. 1. *Sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem.* Hæc quæstio ex professo tractanda est *in* 3. *p. qu.* 21.

4 TERTIA CONCLVSIO. Sancti in cœlo existentes possunt orare. *Primo* petendo sibi resurrectionem corporum. *Secundo* petendo nobis salutem, & media ad salutem pertinentia. *Tertio* pro animabus in purgatorio existentibus: An autem liceat orare seu inuocare sanctos vt pro nobis orent, dicam in *seq. quæst.*

5. QVARTA CONCLVSIO. Damnati in inferno existentes propriè non orant. *Primo*, quia carent pio affectu, ex quo oratio debet procedere vt sit actus virtutis. *Secundo*, quia nihil illis boni à Deo expectandum est; potest tamen interdum aliqualis petitio in illis reperiri, vt cum Sathan petiuit tentare Iob, & cum diues Epulo petiit mitti Lazarum.

6. QVINTA CONCLVSIO. Animæ existentes in purgatorio propriè orant se ipsis, vt à pœna liberentur. Ratio est, quia quicunque in graui afflictione constitutus est, & scit aliqua esse remedia quibus iuuari possit, procul dubio orat, vt ea adhibeantur. Defuncti autem sciunt extare huiusmodi remedia, vt sacrificia, preces, ieiunia, eleemosynas, indulgentias: ergo orant hæc sibi applicari, & vt Deus fideles ad hæc excitet. An autem orent pro viuis, non satis constat. Probabilius est id eos facere, quia charitas ad hoc impellit, nos tamen eos non inuocamus, quia ordinariè non possunt cognoscere nostras preces, & sunt in eo statu, vt magis egeant auxilio nostro, quam vt possint nobis auxilium

adferre, vt notat *D. Thom. art. 11. ad 3.*

7. Sexta Conclvsio. Homines adulti in hac vita existentes possunt & debent orare. Nam vt suprà dixi. Oratio est in præcepto, ac proinde ad salutem necessaria. Et quidem oratio iustorum habet vim merēdi, satisfaciendi, & impetrandi. Quæstio est de oratione peccatorum. *Primo* constat non esse meritoriam saltem de condigno, quia hoc meritum supponit statū gratiæ. *Secundo* constat, aliquando esse impetratoriam; præsertim, quando seruantur quatuor illæ conditiones assignatæ. Hoc modo petiuit, & impetrauit Dauid, Zachæus, Latro, Magdalena, Publicanus, & multi alij. Obiici potest illud Ioan. 9. v. 31. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit. D. Aug. tract. 44. in Ioan.* Resp. Hoc esse dictum cæci inuncti & nondum perfectè illuminati in fide. Respondeo, *Secundo* duplices esse peccatores. Alij bono affectu & voluntate orant, & hi exaudiuntur. Alij malè orant, de quibus est illud Prou. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

8. Qværes. An peccatores qui malè orant, numquam exaudiantur. Respondeo. Nunquam exaudiuntur ex misericordia, sed aliquando ex ira, & in vindictā, iuxta illud *August. tract. 73. in Ioan. Si hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuēdum est, ne quod posset nō dare propitius, det vel iratus. An nō videmus Israëlitas malo suo impetrasse, quod culpabili ignorantia petierunt?*

Quæst. 6. *Quinam sint orandi, an etiam sancti?*

1. Constat Deum posse & debere à nobis orari. De sanctis cum Deo existentibus quæstio est. Lutherani & Caluinistæ negant. *Primo*, quia est inutile, non enim intelligunt nostras preces. *Secundo*, quia est impium. Nam obscuratur officium mediatoris. *Tertio*, quia est signum diffidentiæ: videmur enim diffidere de benignitate Dei, & meritis Christi, quando ad San-

&os confugimus. *Quarto*, quia is solum potest inuocari, in quem credimus. Rom. 10. v. 14. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderũt:* At nos solum credimus in Deum & in Christum: non autem in Sanctos.

2. PRIMA CONCLVSIO. Solus Deus inuocandus est tanquam primarius auctor salutis, quia ipse solus sua authoritate & potestate remittit peccata, infundit virtutes, dat vitam æternam. Vnde si quis Sanctos hoc modo inuocaret, committeret idololatriam.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Solus Christus inuocandus est tanquam immediatus intercessor noster apud Deum, & principalis mediator; quia ipse per sua merita immediatè nos Deo reconciliauit, & pro nobis satisfecit. In his duabus conclusionibus non est difficultas.

4. TERTIA CONCLVSIO. Possumus inuocare Deum tanquam primarium authorem nostræ salutis per merita & intercessionem Christi: neque hic dissentimus. Patet ex illo Ioan. 14. v. 13. *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo hoc faciam, vt glorificetur pater in filio.*

5. QVARTA CONCLVSIO. Possumus etiam inuocare Sanctos in hac vita degentes, vt ipsi nos iuuent orare Deum per merita Christi. Hic etiam conuenimus. Patet ex illo Coloss. 4. v. 2. *Orationi instate orantes simul & pro nobis*, & 1. Thessalan. 5. v. 15. *Fratres orate pro nobis*, & 2. Thessal. 3. v. 1. *De cætero fratres orate pro nobis vt sermo Dei currat.* & Iac. 5. v. 16. *Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

6. QVINTA CONCLVSIO. Eodem modo possumus inuocare sanctos cum Christo in Cœlo regnantes. Hic dissentiunt à nobis hæretici, sed sine causa. Nam si licitum est inuocare Sanctos hîc viuentes vt pro nobis orent, cur non etiam Sanctos in Cœlo viuentes Deo, cum sit par ratio. Immo potius hi, quam illi

inuocandi essent, quia plus possunt prodesse, & maiori charitate cupiunt prodesse.

7. DICES *primo*. Est dispar ratio, quia in Cœlo non possunt audire nostras preces, sicut in hac vita. Resp. Melius in Cœlo quam in terra audiunt. Nam hic externam tantum vocem percipiunt; illic internum etiam affectum intuentur. Hoc patet *Luc.15. v. 7.* vbi Angeli in Cœlo existentes dicuntur gaudere de interna conuersione cuiusque peccatoris. At non gauderent, si non cognoscerent.

8. QVÆRES. Quomodo cognoscuntur? Resp. Vel in Verbo, vt vult *D. Tho. art. 4. ad 2.* vel per nouas & quotidianas reuelationes, vt Cyrillus *Cateh. 16. Aug. de cura pro mortuis c. 15.* vel denique per locutionem & auditionem spiritualem quæ locorum interuallo non impeditur, quo pacto vnus Angelus potest alteri absenti loqui, de qua in re *1. p. q. 107.*

9. DICES *secundo*. Christus est vnicus mediator noster, per quem habemus accessum ad patrem: ergo non recurrendum est ad Sanctos. Immo id videtur Christo iniurium, quasi ipsius reconciliatio non sufficiat, & egeat auxilio Sanctorum. Respondeo *Primo*. Hoc argumentum æquè procedit de Sanctis huius vitę & alterius: vel ergo de neutris conuincit, vel de vtrisq; Eligant aduersarij. Respondeo *secundo*. Christus dicitur vnicus mediator noster, quia est principalis; idq; propter quatuor causas. *Primo*, quia non tantum officio, sed etiam natura est mediator, seu medius inter Deum & hominem, cum sit particeps vtriusque naturæ. *Secundo*, quia nos Deo reconciliauit, non deprecando, sed condignum pretium exhibendo. *Tertio*, quia hoc facit ex propriis: habebat enim vim illam ex intrinseco, id est, natura suisuppositi. *Quarto*, quia est mediator omnium quantū est ex parte ipsius; pro omnibus enim satisfacit. Sancti auetm sunt tantum secundarij media-

tores, quia nec propriis conciliant nos Deo, neque per modum solutionis, sed deprecationis: neque respectu omnium, sed paucorum. Rectè tamen dicuntur mediatores, quia verè intercedunt pro nobis, deprecando, & Dei dona nobis impetrando, sicut Moyses *Deut. 5. v. 5.* dicitur sequester & medius inter Deum & populum, quia scilicet pro populo apud Deum locutus est, & pactum Dei ad populum detulit. Neque hæc intercessio vllo modo obscurat officium mediatoris Christi. *Primo*, quia viui pro viuis aliàs non possent intercedere. *Secundo*, quia sancti adhibentur vt comprecatores: nimirum vt suas orationes nostris adiungant, quod non potest cedere in iniuriam Christi. *Tertio*, quia omnem vim intercedendi, & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Christi. Vnde Christus potius honoratur, quia tota sanctorum intercessio nititur ipsius meritis, tanquam primo fundamento.

10. DICES *tertio* Qui confugit ad sanctos, videtur diffidere de Dei benignitate & meritis Christi. Resp. Non ita est. Nam quando confugimus ad sanctos hic viuentes, non diffidimus, vt fatentur aduersarij: ergo neque confugientes ad sanctos in cœlo. Ratio est, quia etsi sciamus Deum per se esse propensissimum ad benefaciendum, Christi merita esse sufficientissima: tamen iudicamus nos indignos qui solum coram tanta Majestate appareamus, & non satis dispositos ad beneficia illius excipienda. Vnde confugimus ad sanctos, vt nos veluti comitentur, & nostris precibus suas adiungant, qua in re. *Primo*, honoramus Sanctos. *Secundo*, reueremur Dei Maiestatem. *Tertio*, illa submissione disponimus nos ad facilius impetrandum.

11. DICES *quarto*. Non licet inuocare nisi in quem credimus. At non credimus in Sanctos. Respondeo eo modo quo inuocamus, etiam credimus. Nam Deum inuocamus tanquam primum authorem salutis, quia

credimus illum talem esse: Christum inuocamus tanquam immediatum & principalem interceſſorem, quia ſecundum fidem talis eſt: Sanctos inuocamus tanquam amicos Dei vt nos iuuent, quia credimus illos poſſe iuuare.

Quæſt. 7. *Pro quibus ſit orandum?*

1. CONſtat orandum eſſe pro omnibus generatim qui adhuc viuunt, iuxta illud 1. Timoth. 2. v. 1. *obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus.* Ratio eſt, quia generatim tenemur omnes amare. At quæſtio eſt. *Primo.* An ſit etiam orandum pro reprobis. *Secundo.* An pro inimicis. *Tertio.* An pro defunctis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Pro omnibus viuentibus tam prædeſtinatis quam reprobis generatim loquendo orandum eſt, vt Deus det illis ſufficientia auxilia ad ſalutem conſequendam; non tamen orandum eſt, vt omnes reipſa ſalui fiant, & nemo damnetur. Prima pars patet, quia orandum eſt, vt Dei voluntas fiat: ſed Dei voluntas eſt, vt omnes habeant ſufficientia media ad ſalutem, quantum eſt ex parte Dei, iuxta illud 1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, & 2. Pet. 3. v. 9. *Non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*, & 2. Cor. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Senſus horum & ſimilium eſt, Deum ex ſua parte præſtare omnibus ſufficientia media, quibus poſſent ſaluari, ſi vellent: idque eo animo & affectu, vt cupiat omnes ſaluos fieri ſi ipſi quoque velint, & non impediant. Huic diuinæ voluntati debemus nos conformare, optãdo, & petendo vt ita fiat. Secunda pars probatur, quia ſtultum eſſet orare, vt omnes reipſa ſaluentur, cum ex ſcripturis conſtet contrarium euenturum. Confirmatur, quia nemo poteſt orare, quod non poteſt ſperare. At non poteſt ſperare omnes fore ſaluos, quia Catholica fide credit non omnes fore ſaluos.

3. QVÆRES. An, quando generatim oramus pro

omnibus, liceat aliquando in particulari aliquem excludere, hoc modo: Dimitte nobis debita nostra, præterquam Ioanni & Petro? Ratio dubij est, quia potest aliquando ex certis coniecturis constare hunc vel illum in particulari esse reprobum: ergo tunc saltem licebit excludere. Resp. *primo*, si id constaret per reuelationem diuinam, non liceret orare, vt reipsa saluetur: orandum tamen esset, vt habeat sufficientia media, quibus saluari posset. Hoc patet ex dictis. Resp. *secundo*, si solum constaret per coniecturas, neutro modo esset excludendus, vt colligitur ex *D. Thom. a. 7. ad 3.* & *August. lib. de corrept. & gratia cap. 15.* Ratio est, quia coniecturæ sæpè fallunt. Nam qui aliquando videntur perditissimi & desperatissimi, subito à Deo mutantur, & fiunt boni. Hoc tamen intellige de coniecturis in progressu vitæ. Nam in momento mortis possent aliquando esse tam firma argumenta desperationis & impenitentiæ, vt moraliter iudicaretur esse impossibile, vt talis saluari posset, ac proindè si quis non oraret pro eo, non videretur ideo culpandus. Hoc sensu multi exponunt illud 1. Ioa. 5. v. 7. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.*

4. DICES. Sancti viri aliquando excluserunt quosdam ab oratione: imò aliquando orarunt, vt non saluarentur, vt Psal. 68. v. 19. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Respondeo. Hæ & similes loquendi formulæ possunt duobus modis intelligi. *Primo*, propheticè, vt sint quasi prædictiones futurorum, non imprecationes, *Secundo*, vt in illis significetur conformatio nostræ voluntatis cum decreto iustitiæ diuinæ circa damnationem impiorum. Vide *D. Thom. a. 8. ad 1.*

5. SECVNDA CONCLVSIO. Non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis orandum est. Ita *D. Th. a. 8.* & patet ex illo Matt. 5. vers. 44. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ratio est, quia tenemur diligere

inimicos vt ex Scripturis patet: ergo etiam orare pro illis. Nam diligere nihil aliud est, quam velle illis bonum: & præsertim bonum salutis. Hoc autem non possumus illis efficaciter dare: ergo ab eo petendum est, qui potest dare.

6. QVÆRES. Quomodo & quando teneamur orare pro inimicis? Resp. cum D. Th. tunc nos teneri, quando tenemur illos diligere: hoc autem fit dupliciter. Nam *primò* tenemur pro illis orare in communi, non reiiciendo illos ab orationibus, quæ pro omnibus in communi funduntur. *Secundo*, in particulari non tenemur pro illis orare, nisi in extrema, vel graui necessitate eorum spirituali, quando præter orationem non offert se aliud remedium.

7. TERTIA CONCLVSIO. Orandum etiam est pro iis defunctis, qui sunt in purgatorio; non autem pro iis qui sunt in cœlo, vel in inferno. Ratio est, quia illi iuuari possunt nostris orationibus: hi non possunt. *De hac re plura in 3. p. de purgat.*

Quæst. 8. *Quomodo sit orandum.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vt oratio sit legitima, requiruntur duæ potissimum conditiones, nempe pietas, & attentio. Pietas in eo consistit, vt petatur aliquid ad salutem pertinens bona intentione sine vlla mala circumstantia. Attentio, vt quis in principio orationis habeat propositum attendendi, vel ad Deum quem orat, vel ad rem quam petit; vel ad verba & sensum orationis, quam recitat, vel ad omnia simul; neque illud propositum mutet in progressu orationis, aut voluntariè mentem alio conuertat, quo intentio impediatur. Non obstat etiam inter orandum aliquid agere quod non impedit attentionem, vt si quis orando se vestiat, aut ambulet, aut simile quid faciat. *Vide Valent. p. 9.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Sunt aliæ circum-

stantiæ quæ indifferenter se habent ad orationem priuatam. *Primo*, vt fiat voce vel mente tantum. *Secundo*, vt fiat longo vel breui tempore. *Tertio*, vt his vel illis verbis. *Quarto*, vt hoc vel illo loco. *Quinto*, vt hoc vel illo gestu corporis. *Vide Valent. supra.*

Quæst. 9. *An horæ Canonicæ sint vtiles & retinendæ in Ecclesia?*

1. NEgant Hæretici, ex odio magis, quam studio veritatis. Catholici merito affirmant. *Primo*, quia ab exordio Ecclesiæ fuit aliqua publica precandi & Deum laudandi forma, quæ etsi non fuerit ita completa, & in ordinem digesta, vt nunc est, tamen seruabat eandem ferè temporum distinctionem, & constabat iisdem partibus principalibus, vt patet ex *Clemente lib. 8. constit. Apost. cap. 34. & Hieron. ep. 77. & Cassiano lib. 2. & 3. de institutis cœnobiorum. Secundo*, quia hæc precandi forma nihil continet, quod non sit summè pium & salutare. Nam *Primo* continet psalmos, quibus nihil potest esse diuinius. *Secundo*, selectissima quæque totius veteris & noui testamenti. *Tertio*, selecta patrum documenta. *Quarto*, præcipua quæque gesta Sanctorum. *Quinto*, breues precationes quas collectas vocant. *Sexto*, hymnos aliquos à patribus compositos. Vnde meritò vocantur Breuiarium, quia est compendium omnium prædictorum admirabile. Deinde non solum singula per se pia & salutaria sunt: sed etiam tam aptè inter se connexa, suisque temporibus & festis accommodata, vt magnam sua varietate & voluptatem & consolationem spirituale legentibus afferãt.

Quæst. 10. *An omnes Clerici obligentur ad horas Canonicas?*

1. SVppono ex communi sententia, tria tantũ hominum genera ad eas obligari, nempe Clericos maiorum ordinum, Beneficiarios, & Religiosos ad chorum professos. De singulis seorsim agã, hic de clericis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Clerici maiorum ordinũ,

id est: Presbyteri, Diaconi, subdiaconi obligantur ad horas canonicas. Est communis apud Nauarrum *de horis canonicis c. 7. n. 1.* solet probari *primo* ex cap. *Presbyter de celebratione missæ*, sed non sufficienter: quia ibi solum agitur de presbytero & quidem Parocho vel rectore Ecclesiæ: non autem de Diacono, vel Subdiacono. *Secundo* ex c. *si quis presbyter d. 92.* sed ibi agitur de clericis non præcisè qua clericis, sed de clericis alicui Ecclesiæ deputatis, id est, qui habent beneficia in aliqua Ecclesia ratione cuius ei debent seruire. Item agitur de officio publico quod fit in Ecclesia. *Tertio* ex c. *dolentes, de celebratione missæ*, vbi Innocentius III. cum Concilio Generali præcipit Prælatis & minoribus clericis in virtute Sanctæ obedientiæ, vt diuinum officiū nocturnum pariter & diurnum studiosè celebrent, & deuotè. Sed hic non exprimitur, qui sint illi minores clerici, & Concilium videtur loqui de officio publico. *Quarto*, ex antiqua & generali totius Ecclesiæ consuetudine, qua non solum Presbyteri, sed etiā Diaconi, & Subdiaconi censentur ad horas canonicas obligati. Itaque etsi nullus canon scriptus extet, quo hi obligentur: tamen hæc consuetudo sufficit, cum habeat vim legis, & merito hi obligantur: quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum diuinum celebrandum est institutus. Vnde ratione status obligantur præ cæteris in genere: ne autem in incertum ferrentur, determinatæ sunt horæ canonicæ, & ita accedente consuetudine inuecta est obligatio.

3. QVÆRES. An liberentur ab hac obligatione per excommunicationem, suspensionem, interdictum, aut etiam degradationem. Negat Nauarr. *loc. cit. nu. 17. & Sylu. v. Horæ qu. 3.* quia par non est vt ex delicto commodum referant, & soluantur vincula obligationis precedentis: præsertim cum recitatio illi pœnæ non repugnet. Idem dicunt aliqui de damnatis ad triremes. Sed

puto vsum esse in contrarium. *Primo*, quia satis afflictionis habent, dum in illo supplicio detinentur. *Secundo*, quia raro sunt comparati ad horas legendas. *Tertio*, quia id cederet in dedecus ordinis Ecclesiastici, si in illa hominum colluuie ostenderent suum statum.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Clerici minorum ordinum ratione sui gradus non obligantur ad horas canonicas, quia nondum sortiti sunt statum inter Ecclesiæ ministros: possunt enim matrimonium inire. Quidam putant eos teneri ad horas B. Virginis vel ad 7. Psal. vel ad canticum graduum. Sed certum est, neq; iure communi, neque consuetudine vniuersali eos ad aliquid horum obligari: si tamen in aliqua diœcesi esset generalis cõsuetudo, quæ per modum legis sit recepta, ibi tenerentur, vt docet *Medina* C. *de oratione q.* 7. An autem sit alicubi talis consuetudo, non constat. Sotus *l.* 1. *de iustitia q.* 5. *a.* 3. putat non esse: imo nec Episcopũ suo præcepto vel statuto posse introducere. *Primo*, quia quod Ecclesia vniuersalis relinquit liberum, non potest Episcopus particularis in sua Ecclesia facere præceptũ, nisi in illa Ecclesia sit peculiaris ratio, quæ in proposito non occurrit. Alioqui facilè fieret, vt nimium grauarentur subditi, si non solum Pontifex, sed etiam singuli Episcopi possent onera perpetua imponere. *Secundo*, quia omnes ordines descendunt à summo Pontifice in totam Ecclesiam: Ergo ad illum solum pertinet disponere de functionibus & obligationibus quæ ratione ordinis imponũtur. *Tertio*, quia alioqui non posset seruari vniformitas, quæ tamen multum facit ad Ecclesiæ decus & vnionem. Hinc enim fit vt Episcopus non possit statuere de ætate vel temporibus ordinandorum. Nota tamen etsi non possit perpetuum onus imponere: posse tamen præcipere ordinato, vt bis aut ter illas preces recitet, sicut ex causa potest aliquod ieiunium bis aut ter in sua diœcesi imponere. Hoc enim neque graue cen-

seri potest subdito, neque per illud receditur à consuetudine vniuersali.

5 TERTIA CONCLVSIO. Probabile est, Clericos primæ tonsuræ teneri ad psalmum, Miserere, saltem sub peccato veniali. *Primo*, quia videtur esse consuetudo generalis. *Secundo*, quia prælati vbique imponunt. Contraria tamen sententia videtur verior. *Primo*, quia sæpe fit, vt pueri accipiant tonsuram, quos Ecclesia non videtur velle obligare sub peccato. *Secundo*, quia plerique non agnoscunt hic vllam strictam obligationem, nec DD. aut Confessarij illam vrgere solent. *Tertio*, quia etsi consuetudo sit, vt dicatur Miserere: non tamen est per modum legis obligantis sed consilij, & ex decoro.

4. DICES. Lege naturæ tenentur amplius orare quam laici. Tum quia cultui diuino sunt addicti: tum quia fruuntur priuilegio clericali, ergo saltem tenentur ad aliquid interminatum. Respond. multi DD. ita sentiunt, inter quos Paludanus in *4. d. 15. qu. 5. art. 1. & Nauar. c. 7. de ora. nu. 14.* quorum sententia est probabilis. Sotus tamen quem sequuntur, non vult eos teneri aliquo præcepto, sed solum ex decentia, quæ non obliget ad vllum peccatum: non enim vis naturæ dictat illos obligari, sed solum decens esse, vt id faciant.

Qu. II. *An omnes beneficiarij teneãtur ad horas canonicas.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Obligantur communiter titulo beneficij. Est communis, & patet ex c. *Qui per ambitiosam de rescrip. in 6.* & ex *Conc. Later. sub. Leone X. sess. 9.* Ratio est, quia iure naturæ quisque tenetur ad officium propter quod beneficium datur.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc obligatio non incipit à tempore præsentationis, vel electionis, quia tum nondum habent dominium, vel ius in re. Quæstio est, an incipiat ab eo tempore, quo fit collatio & acceptatio beneficij. Affirmat Nauarr. *c. 7. de ora-*

tionem. 29. Ratio est, quia ex illo tempore incipiunt habere ius in re, & debentur illis fructus. Alij tamen putant non teneri ante captam possessionem vt Flaminius Parisius *l.1. de resig. benef. quæst. 9. num. 15.* Ratio est, quia sæpè ante initam possessionem ius est incertum. Et multis modis possunt impediri, qui primum se produnt, quando capienda est possessio. Hæc tamen sententia non debet intelligi de ijs, qui per industriam differunt possessionem, vt horas non recitent, sed solum de ijs, per quos non stat, quo minus capiant: quia fraus nemini debet patrocinari.

3. TERTIA CONCLVSIO. Excusantur ab hac obligatione. *Primo*, qui habent quasdam Præposituras aut Personatus, qui non requirunt nisi horas B. Virginis, aut aliquid simile. *Secundo*, qui nec per se nec per suos percipiunt vllos fructus, nec percepturi sunt, modo per eos non steterit, quo minus sint minus percepturi. Ita *Nauarr. suprà & alij passim.* Ratio est, quia neque ex sua parte, neque ex Ecclesiæ intentione obligant se ad officium; nisi persoluantur stipendia propter quæ suscipiunt obligationem. *Tertio*, qui valde parum recipiunt v.g. 8. vel 10. aureos. Ita Sotus *l.10. quæst. 5. art.3. & multi recentiores contra Nau.* Ratio est, quia non tenetur ad integrum laborem, nisi qui percipit integram mercedem: ergo beneficiarius non tenetur ad beneficiū totius anni, si nō potest se toto anno alere ex beneficio. saltem tenuiter & honestè; tenetur tamen aliquando recitare officiū, habita ratione fructuum quos percipit.

4. QVÆRES *primo*. An excusetur beneficiarius primo & secundo anno: præsertim in ijs Ecclesiis, vbi fructus beneficij primi & secundi anni dantur fabricæ, vel decessori mortuo? Nauar. *c.7. num.30.* negat excusari. *Primo*, quia debetur ei dimidia pars fructuum, vt declarauit *Ioannes XXII. in extrauag. Suscepti, ne sede vacante. Secundo*, quia potest deseruire, & sustentationem

vicario debitam percipere. *Tertio*, quia alterius anni fructum recipiet post mortem: alterius vero per totam vitam. Nam per totam vitam debuisset aliquid conferre in totam fabricam, à quo onere iam liberatur. Vbi nota, quod quarta pars bonorum Ecclesiasticorum fuerit olim assignata fabricæ, postea in quibusdam locis incorporata est præbendis Canonicorum, cum hoc onere, vt ipsi ex earum fructibus conseruent fabricam; vt autem se ab hoc onere liberarent, statuerunt, vt quod tota vita per partes erat contribuendum, primo anno simul daretur; per hoc autem non potuerunt efficere vt primo anno non recitaretur officium. Non est tamen improbabile, nouos canonicos non teneri ad horas in anno fabricæ, si quid accipere non est in eorum potestate.

5. QVÆRES *secundo*. An excusentur qui habent altaria, vel capellas, & cum non sint sacerdotes, expendunt maiorem prouentuum partem in substitutum, qui sacra faciat? Respond. non videntur excusari. *Primo*, quia est magnus abusus, quia dãtur talia beneficia adolescentibus, qui per se non possunt satisfacere. Vnde non potest censeri mens Ecclesiæ vt excusentur. *Secundo*, quia talia beneficia vt plurimum sufficiunt ad sustentationem; quod autem illi cogantur maiorem partem prouentuum illis dare, fit ex eo, quod ipsi sint inepti ad primariam beneficii functionem, quod non debet eos excusare.

6. QVÆRES *tertio*. An excusentur Adolescentes, qui auctoritate parentum coguntur accipere beneficiũ, cum tamen non habeant animum status Ecclesiastici, & statim dimitterent, si auderent? Resp. Excusantur, si non intendunt percipere fructus. Secus si velint censentur consentire in acceptationem & retentionem beneficij cum onere annexo. Si nolint, iam acceptatio & retentio est coacta per metum à parentibus incussum

Nam

Nam hic metus in adolescente est iustus & grauis. Vnde sicut excusat à voto: ita etiam ab obligatione precum canonicarum. Debet tamen huiusmodi adolescens, vt excusetur, habere animum resignandi quamprimum commodè potuerit, & restituendi fructus perceptos: non tamen amplius quam ad ipsum peruenerit. Imo si pater nomine filij perceperit, vt fieri solet, non videtur hic filius magis obligandus ad restitutionem, quam cæteri filij, quos pater bonis suis aluit.

7. QVÆRES *quarto.* An excusentur qui possident beneficium litigiosum, aut habent fructus sequestratos? Respond. Non excusantur, si probabile est ipsos in lite fore superiores, & fructus illis obuenturos.

8. QVÆRES *quinto.* An excusentur, qui ideo nihil recipiunt, quod non resideant, cum tamen possint? Resp. non, quia per ipsos stat, quod non percipiant.

Quæst. 12. *An omnes Religiosi obligentur?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Certum est omnes & solos Religiosos ad chorum professos, etiamsi nondum ordinati sint, obligari. Quæstio est, quo iure obligentur: Non enim Canonico Iure scripto; cum nullus canon de ea re extet, vt ait Caiet. Nec iure naturæ; quia non pertinet ad essentiam Religionis. Nec ex vi voti, aut professionis: quia se ad hoc non astringunt. Nec ratione eleemosynarum quibus viuunt: quia non dantur cum hoc onere. Nec ratione fundationis: quia si sit aliqua talis fundatio, ea Conuentum obligat, non singulos. Resp. solum videntur teneri ex præscripto Regulæ, vel certè consuetudine vbique recepta, quæ vim legis habeat.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Nouitij tamen eorũ nõ obligãtur. Ratio est, quia nondũ firmiter diuino obsequio sunt mancipati. Quæres. An teneatur Monachus fugitiuus, vel eiectus, cũ à Monasterio non alatur? Affirmat *Nau. num.* 30. quia potest redire. Resp.

Fugitiuus tenetur, quia potest & debet redire: eiectus non tenetur, quia non est in eius potestate redire.

3. QVÆRES *secundo.* An Superior possit in hac obligatione ex causa dispensare, v.g. ratione studiorum vel negotiorum. Resp. affirmatè, quia tota obligatio oritur ex consuetudine, aut ex Regula.

Quæst. 13. *Quanta sit obligatio legendi horas?*

1. CONCLVSIO. Supradicti ita obligantur, vt mortaliter peccent, si horas vel semel absque causa prætermittant. Est communis, vt docet *Nau. c. 7. num. 5.* excipio Angelum v. *Horæ* §. 10. & *Richardum*, quem ille citat. Hi dicunt non esse peccatum mortale omittere horas, nisi fiat ex consuetudine, vel contemptu.

2. QVÆRES. An quælibet omissio sit peccatum mortale. *Nau. n. 6.* putat esse mortale, si vel vna hora omittatur, v.g. Tertia, aut Sexta, aut Complet. Imo si omittatur Tertia pars vnius horæ v.g. vnus Psalmus cum Hymno, sed hoc posterius est nimis rigidum.

Quæst. 14. *Quomodo horæ sint recitandæ?*

1. CONcilium generale sub Innocentio III. requirit duas conditiones. *Primo*, vt recitentur studiosè. *Secundo*, vt deuotè.

2. PRIMA CONCLVSIO. Vt studiosè recitentur, tria requiruntur. *Primum*, vt nulla verba aut sententiæ omittantur. *Secundum*, vt vltimæ syllabæ non absorbeantur. *Tertium*, vt in medio cursu non fiat interruptio. Hæc tamen interruptio in officio priuato, si fiat ex iusta causa, nullum est peccatum: si autem fiat sine iusta causa: non videtur esse nisi veniale. Vnde etiam si duret per vnam vel alteram horam; non necessario est repetendum, quod ante recitatum est. Confirmatur, quia singuli Psalmi; imò singuli penè versiculi per se habent suam significationem, qua Deus laudatur, vel oratur, & vnus non habet necessariam connexionem cum altero. Vide *Pekanum l. 3. de bonis operib. c. 6.*

3. DICES Quando est magna intermissio, tum priora & posteriora non efficiunt vnam orationem, aut vnum officium diuinum, ac proinde ex illis partibus non constituitur officium Primæ, vel Tertiæ. Ob hoc argumentum Nauar. *de Oration. c. 16. nu. 75.* putat esse peccatum mortale, nisi fiat cum animo repetendi priora. Resp. sicut ex omnibus horis constituitur vnum officium, & quasi vna longa oratio, non obstante interruptione, ita ex aliquibus Psalmis constituitur vna pars officij, v. g. Completorium: etiamsi interueniat aliqua intermissio: non enim de substantia totius officij, aut alicuius partis est, vt omnes Psalmi & preces continuentur.

4 SECVNDA CONCLVSIO. Vt horæ canonicæ recitentur deuotè duo requiruntur, attentio & reuerentia: sola enim attentio non sufficit; cum enim oratio sit actus religionis, necessariò requirit reuerentiam erga Deũ. Vnde aliud est orare, aliud attentè aliquid legere.

Quæst. 15. *De alijs quibusdam circumstantijs?*

1. HIc tria quæri possunt. *Primo*, quo tempore legendæ sunt horæ. *Secundo*, An liceat mutare ordinem in horis legendis. *Tertio*. An liceat mutare totum officium, v. g. legere officium de feria, quando esset legendum de festo.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quod ad tẽpus attinet, in officio publico seruanda est consuetudo recepta. In priuato, etsi laudabile sit, vt singulæ horæ suis temporibus & interuallis recitentur, tamen ad vitandum peccatũ mortale, sufficit, vt recitentur eo interuallo, quod est inter medium noctis præcedentis & sequentis. Qui enim interea tẽporis horas recitauerit, siue initio, siue in medio, siue in fine, satisfacit substãtiæ præcepti.

3. NOTA *primo*. Ex consuetudine licitum esse recitare matutinum & laudes pridie ad vesperam, vt *Cajet. Nauar. & alij docent*. Imò etiam ante Solis occasum, vt

docet *Thom. quodlib. 5. art. 28.*

4. NOTA *secundo*. Paruas horas non posse dici pridie, sed solum post mediam noctem: possunt tamen omnes vsque ad vesperas exclusiuè ob aliquam honestam causam recitari mane, teste Nauarr. Imò si causa iusta sit, etiam vesperæ adiungi possunt, vt si instaret profectio, vel alia longa occupatio, vel amicorum interpellatio, vt habetur *c. 1. de celebrat. miss.* Imò maior quies & deuotio potest esse legitima causa, vt ait *Caiet.*

5. NOTA *tertio*. Non esse peccatum mortale facere sacrum ante Matutinum & Laudes; multo minus ante primam, vt ait Sotus *l. 10. q. 5. a. 4.* quem sequuntur multi recentiores. Ratio est, quia nihil in iure Canonico de hoc re præceptum est: nec consuetudo contraria recepta est sub peccato mortali. Confirmatur, quia nulla est necessaria connexio, aut dependentia inter Missam & horas Canonicas. Vide *Henriquez l. 9. de missa c. 24. Fumum v. missa n. 3. Petrum Arrag. art. 12.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non est peccatum mortale mutare ordinem horarum, vt si Prima dicatur ante Laudes, vel Vesperæ ante Primam: quia ordo horarum extra chorum non est sub præcepto, nisi secundariò, tanquam circumstantia minoris momenti. Vnde etiam facilè datur iusta causa mutandi, vt si à viro graui inuiteris ad recitandas horas posteriores, & tu priores nondum persolueris. Ita *Toletus l. 2. c. 13.*

7. TERTIA CONCLVSIO. Mutatio officij, etiam dedita opera, non est peccatum mortale, vt si loco officij de feria dicatur de SS. Trinitate, vel de Venerabili Sacramento, vel de B. V. aut contra si loco officij de festo, dicatur de feria. Ita *Caiet. v. hora. Sylu. ibid. num. 15. & alij passim.* Ratio est, quia id, quod Ecclesia primario præcipit, est, vt septem horæ Canonicæ quotidie recitentur. Vt autem dicatur de hoc, vel illo festo, solum pertinet ad modum vel circumstantiam secundariam,

quæ non est tanti momenti. Itaque substantia præcepti seruatur, quodcumque officium Breuiarij concessi recitaueris. Vnde qui etiam prudens omisso proprio aliud recitabit, non tenebitur repetere, vt notat *Sylu. suprà*: melius tamen est seruare proprium officium, & accommodare se aliis in omnibus.

## QVÆSTIO LXXXIV.

### *De Adoratione.*

HACTENVS egit D. Thomas de internis actibus religionis, qui sunt deuotio & oratio. Nunc sequuntur externi, inter quos primum locum obtinet Adoratio.

2. PRIMA CONCLVSIO. Nomen Adorationis sumitur in Scripturis tripliciter. *Primo*, generatim pro quocumque honore seu veneratione, quæ alicui alteri exhibetur propter aliquam excellentiam, siue is sit Deus, siue Angelus, siue homo. Nam *Gen.* 18. 19. Abraham & Loth dicuntur adorasse Angelos. & 3. *Reg.* 1. Bethsabee & Nathan adorauerunt Regem, & *Act.* 10. Cornelius adorauit Petrum. *Secundo*, accipitur presstiùs pro quocunque actu religionis, siue interno, siue externo, quo Deus colitur: vt patet in iis locis vbi iubemur solum Deum adorare, & illi soli seruire, nempe adoratione & seruitute soli Deo debita. *Tertio*, accipitur adhuc strictius pro solo actu externo, quo Deum colimus & adoramus, id est, pro genuflexione, capitis apertione, inclinatione: vt *Matth.* 2. *v.* 11. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Hoc modo hic sumitur, & potest sic definiri. Adoratio est externus actus religionis, quo per conuenientem aliquem corporis gestum protestamur nostram subiectionem erga Deum, vt erga summum omnium bonum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Omnis externa adoratio (si secundum se spectetur) est adiaphora: & potest

tam creaturis, quam Deo exhiberi. Nam genuflexio & totius corporis in terram prostratio (quæ summæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi solēt, vt ex Scripturis patet, *Gen.* 50. *v.* 18. *& 3. Reg.* 1. *v.* 16. *& act.* 10. *v.* 25. Itaque à sola intentione pendet, quod per cultum illum externum ista vel illa honoris species deferatur. Si enim externâ illâ submissionis notâ intendas te alteri submittere tanquam Deo, & testari eius diuinitatem, erit cultus latriæ: si amico Dei, erit duliæ: si vt viro sapienti aut potenti, erit obseruantia politica. Vnde idem actus externus quatenus successiuè potest procedere à diuersa intentione, potest successiuè esse actus latriæ, duliæ & obseruantiæ politicæ.

## QVÆSTIO LXXXV.

### *De Sacrificio.*

SACRIFICIVM & Adoratio in eo conueniunt, quod sint actus externi religionis, quibus Deus colitur. Differunt, quod in Adoratione deferatur Deo cultus per gestum corporis; in sacrificio, per rem externam. Porrò disputatio de sacrificio potest dupliciter institui. *Primò*, generatim, quid sit sacrificium & quotuplex. *Secundo*, speciatim. An missa sit sacrificium. Priori modo hic procedimus. Nam de Missa agendum est *in 3. parte de Eucharistia.*

Quæst. 1. *Quid sit sacrificium propriè dictum?*

1. HÆretici docent, sacrificium nihil aliud esse quã quodlibet opus bonum, quod Deo placet: vel certè opus bonum quod fit ad honorem & cultum Dei: vel quamlibet oblationem Deo factam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Non omne opus bonum est sacrificium propriè dictum. Probatur *primo*, quia apud omnes gentes sacrificium est aliquod opus speciale, quo Deus colitur, distinctum ab aliis piis operibus. *Secundo*, quia ad sacrificium requiritur Sacerdos & altare, vt paulo post probabo. At multa opera bona fiunt ab

lis qui non sunt sacerdotes. *Tertio*, quia Scriptura opponit opera bona sacrificijs, vt *Oseæ 6. v. 6. Misericordiam volui, & non sacrificium*; & *1. Reg. 15. v. 21. Melior est obedientia quam victima*, & *Psal. 50. v. 18. Si voluisses sacrificium, dedissem vtique*. *Quarto*, quia in Ecclesia Christi est tantum vnum propriè dictum sacrificium, teste *Aug. l. 1. contra aduersarios legis & proph. c. 20. & l. de spiritu & littera c. 11.* cui consentiunt alij Patres. At si omnia bona opera essent sacrificia, iam essent multa sacrificia, & non vnum tantum.

3. DICES. Contritio, Eleemosynæ, & quoduis opus iustitiæ vocatur in Scriptura sacrificium, vt *Psal. 50. v. 19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, & *Psal. 4. v. 6. Sacrificate sacrificium iustitiæ*, & *Hebr. 13. v. 16. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*, id est, placatur. Resp. Nomen sacrificij in Scripturis sumitur dupliciter. *Primo*, pro omni opere, quod instar sacrificij Deum placat & conciliat, vt in locis iam citatis. *Secundo*, pro externo cultu, qui Deo tanquam rerum omnium principio exhibetur, & sic opponitur operibus bonis, vt ante dictum est. Vide *Chrys. in Psal. 95. D. Thomam art. 3. ad 3. Melch. Canum l. 12. de locis c. 13.*

4. SECVNDA CONCLVSIO. Non omne opus, quod fit ad honorem Dei est propriè sacrificium. Probatur *primo*, quia multa bona opera possunt imperari à virtute religionis ad colendum Deum, quæ tamen per se, non præ se ferunt cultum Dei externum. Atqui sacrificium debet præ se ferre specialem cultum externum Dei, vt ex communi omnium gentium consensu dictum est. *Secundo*, quia multi faciunt opera ad honorem Dei, qui non sunt sacerdotes. *Tertio*, quia est vnicum tantum sacrificium in Ecclesia Christi.

5. DICES. August. Contrarium docet *l. 10. de ciu. cap. 6. Sacrificium verum est*, inquit, *omne opus bonum*,

*quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Resp. Augustinus accipit nomen sacrificij, pro omni opere quo assequimur finem, seu officium sacrificij, quod est adhærere & placere Deo. Vocat autem tale opus sacrificium verum, vt distinguatur ab externo sacrificio animalium, non quod perfectiorem rationem sacrificij habeat, sed quia effectum sacrificij perfectius præstat. Melius enim placat Deum, quam sacrificium externum tantum. Hanc esse mentem Augustini, patet ex c. præced. neque nouus aut inusitatus est hic modus loquendi. Nam sæpè aliquid dicitur verè tale, quod tamen propriè tale non est; *vt Ioan. 15. v. 1. Ego sum vitis vera, vos palmites*; quia scilicet mysticè præstabat ea excellenter, quæ vitis sunt, sic tyrannus dicitur verus leo: & abstinere à peccatis, dicitur verum ieiunium.

6. Tertia Conclvsio. Nec omnis oblatio Deo facta est propriè sacrificium. Probatur *Primo*, quia Scriptura passim distinguit oblationes à sacrificiis, *vt Psal. 50. v. 21. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta, & Ps. 39. v. 7. Sacrificium & oblationem noluisti. Secundo*, quia multa in scripturis dicuntur offerri, quæ tamen non possunt dici sacrificari, vt primogeniti, primitiæ variarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus. Vide *Exod. 25. & 35.* Ergo sacrificia differunt ab oblationibus. *Tertio*, quia in sacrificio debet fieri aliqua mutatio rei oblatæ, vel significatæ, vt iam ostendam: non autem in oblatione.

7. Qvarta Conclvsio. Ad sacrificium perfectum & propriè dictum quinque requiruntur ex communi sententia. *Primo* ex parte ministri requiritur vt sit sacerdos, vt patet *Hebr. 7. v. 1.* Vnde Ozias Rex cum non esset Sacerdos & sacrificium offerre vellet, à Deo punitus est 2. *Par. 26. v. 18. Secundo*, ex parte materiæ requiritur vt sit aliqua res sẽsibilis quæ offeratur, vt pa-

tet *Hebr.* 8. *v.* 3. vbi Apost. probat ex communi ratione sacrificiorum Christum non potuisse dici verè Pontificem, nisi habuisset victimam quam offerret. *Tertio*, ex parte formæ requiritur, vt res illa sensibilis, quæ in sacrificio offertur, destruatur aut mutetur: vt patet ex sacrificiis legis naturæ & veteris: non enim fiebant sola oblatione, aut eleuatione ad altaria; sed rei destructione facta ad honorem Dei. Quædam enim per occisionem sacrificabantur, vt viuentia: Quædam per combustionem, vt adeps, carnes animalium occisorum, & res materiæ solidæ, vt simila, sal, thus: Quædam per effusionem, vt sanguis, vinum, aqua. Vide *c.* 1. *&* 2. *Leu.* *Quarto*, ex parte finis requiritur, vt explicitè vel implicitè referatur ad cultum Dei. *Quinto*, ex parte loci, vt fiat in altari, quia ex Scriptura constat, altaria non fuisse erecta nisi ad vsum vel significationem sacrificij. Vide *Bellarm. l.* 1. *de missa c.* 2.

8. QVINTA CONCLVSIO. Ex dictis colligi potest hæc definitio: *Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro facta Deo per realem immutationem ad testandum supremum illius dominium, & nostram subiectionem.* *Primo* dicitur *oblatio*, quia oblatio est genus sacrificij, vt docet *D. Thom. art.* 3. *ad* 3. *& alij passim*: quamuis hoc nomen aliquando strictè accipiatur pro oblatione, quæ solum est oblatio, non sacrificium. *Secundo*, dicitur *rei sensibilis*; vt excludatur interna oblatio, quâ quis seipsum Deo offert ac subijcit. *Tertio*, dicitur *à legitimo ministro*; quia sacrificium habet relationem ad sacerdotem. *Quarto*, dicitur *per realem immutationem*; quia per hanc distinguitur à simplici oblatione. *Quinto*, dicitur *ad testandum &c.* quia duo testamur & significamus in sacrificio, nempè diuinum principatum, & nostram subiectionem, & hæc significatio est sacrificio essentialis. Præter hanc quædam sacrificia habent significationem accessoriã, quæ mystica vel allegorica dici potest,

vt sacrificium Eucharistiæ significat sacrificium in cruce, & sacrificium Melchisedech præfigurabat sacrificium Eucharistiæ, & omnia veteris legis sacrificia præsignabant oblationem crucis vel Eucharistiæ.

9. Obijcies *primo*. Non videtur necessarium, vt minister sacrificij sit Sacerdos. Nam in lege veteri agnus paschalis à singulis familiis immolabatur, *Exod.* 12. *v.* 3. & tamen in singulis familiis non erant sacerdotes, sed tantum in tribu Leui. Resp. Singuli patresfamilias erãt sacerdotes respectu huius sacrificij, licet non respectu aliorum. Ratio est, quia sacrificium agni paschalis institutum fuit ante legem veterem, nempe in lege naturæ: ac proinde in eo offerendo seruata fuit consuetudo legis naturæ, nempe vt à singulis capitibus familiarum offerretur. Reliqua autem sacrificia quæ in ipsa veteri lege fuerunt instituta, non poterant offerri nisi à sacerdotibus in eadem lege consecratis.

10. Obijcitur *secundo*. Nec videtur requiri, vt fiat aliqua destructio, aut mutatio rei oblatæ, vt patet in sacrificio missæ, vbi Christus non destruitur aut mutatur. Resp. Mutatio illa, qua panis in carnem, & vinum in sanguinem mutatur, sufficiens est in hoc sacrificio. *De quo alibi plura.*

## Quæst. 2. *Quotuplex sit sacrificium?*

1. SOlet diuidi tribus modis. *Primo*, ratione materiæ. *secundo*, ratione formæ & finis simul. *Tertio*, ratione finis tantum.

2. PRIMA CONCLVSIO. Ratione materiæ diuiditur in victimam seu hostiam, immolationem, & libamen. Est enim triplex materia sacrificij: vel enim offertur aliquod animal, & tunc est victima seu hostia: vel offertur aliqua res inanimata, solida, & tunc est immolatio: vel aliqua res liquida, & tunc est libamen. Et quidem in veteri lege offerebantur hæc animalia,

Ouis, capra, Hœdus, Bos, vitulus, Columba, Passer, Turtur. Res autem solidæ erant Panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum: vt patet *Leuit.* 2. & 6. Liquidæ erant sanguis, vinum, oleum, aqua.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Ratione formę & finis diuiditur in Holocaustum, quod totum consumebatur ad honorem Dei: ideoque erat Sacrificium perfectissimum. Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in vsum sacerdotum: solebat autem offerri pro peccatis quibusdam externis, vt pro peccatis commissis per ignorantiam circa cæremonias, *Leuit.* 4. & 5. Item pro furto, periurio, & calumnia. *Leuit.* 6. 7 Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur, tum à sacerdotibus, tum ab offerentibus. Solebat offerri vel in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis: & tunc eodem die comedi debebat: vel ad noua beneficia impetranda: & tunc differri poterat eius consumptio in diem posterum, non tamen vlterius.

4 TERTIA CONCLVSIO. Ratione finis diuiditur in Latreuticum, Eucharisticum, impetratorium & propitiatorium, quæ diuisio parum differt à præcedentibus. *Latreuticum* dicitur quod solum fit ad Deum colendum, testando eius principatum, & nostram seruitutem. Hoc potissimum fit holocausto. *Eucharisticum* dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs. *Impetratorium* pro beneficijs accipiendis Vtrumque in lege veteri dicebatur hostia pacifica, *Propitiatorium* quod offertur pro peccatis & pro peccatorum pœnis ac flagellis auertendis. Idem est quod hostia pro peccato.

Quæst. 3. *An hoc tempore liceat offerre agnum vel vitulum.*

1. RAtio dubij est, quia offerre sacrificium est legis naturalis. Ita *D. Thom. art. 1.* ergo omni tempore licitum est. Nota nos loqui posse vel de Iudæo, vel de Christiano, vel de gentili.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si hoc tempore Iudæi offerrent huiusmodi sacrificium, esset superstitio. Ratio est, quia Iudæi offerunt sacrificia, vt in veteri lege sunt instituta à Deo; sed ibi sunt instituta tanquam signa Christi venturi: ergo hoc modo non licet amplius offerre, quia Christus iam venit.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Esset etiam superstitio, si Christiani offerrent tale sacrificium. Ratio est, quia in Ecclesia Christi est tantum vnum sacrificiũ propriè dictum, quod omnibus veteribus sacrificijs successit, & omnium virtutem eminenter in se continet, cum sit infinitæ dignitatis: ergo superstitiosum esset velle aliud addere. Hinc in quadam collecta Ecclesiæ dicitur: *Deus qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti.* Vide *August. 8. ciu. cap. vlt.*

4. TERTIA CONCLVSIO. Probabile tamen est non fore superstitionem apud Ethnicos Christi legem ignorantes, si illorum sacerdotes vero Deo offerant huiusmodi sacrificium, vt colligitur ex *August. epist. 49. quæst. 3.* Ratio est, quia offerre sacrificium est legis naturæ, vt dixi ex *D. Thom.* ergo lumen naturæ vel obligat, vel suadet Ethnicis, vt offerant Deo sacrificium. Atqui non apparet illis conuenientior ratio offerendi, quam si offerant aliquid ex animalibus: ergo.

5. QVÆRES. Vnde gentiles habeant suos Sacerdotes? Respondeo. Ex electione & designatione Reipublicæ. Nam sicut perfecta Respub. iure naturæ ha-

bet authoritaem constituendi principem in rebus politicis: ita etiam in rebus ad cultum diuinum pertinentibus.

## QVÆSTIO LXXXVI.

*De oblationibus & primitijs.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nomine obligationis significantur omnia quæ Deo & Ecclesiæ offeruntur, vt sunt agri, oppida; dominia, fructus, pecuniæ, mobilia, ornamenta, instrumentum sacrum. Nomine autem primitiarum intelliguntur primi fructus agrorum & arborum Deo oblati, *Deut.* 26.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Nemo tenetur ad illas oblationes, nisi vel necessariæ sint ad sustentationem ministrorum, vel consuetudo ad eas alicubi obliget, vel legitimum superiorum præceptum accedat. Vide *Syl.* v. *Decima.* Porro ad primitias olim quidem iure canonico scripto tenebantur fideles, vt colligi potest ex c. *Decimam, de decimis* &c. *Reuertimini.* 16. q. 1. Iam tamen non tenentur, quia hoc ius consuetudine passim est abolitum.

## QVÆSTIO LXXXVII.

*De Decimis.*

Quæst. 1. *An Christiani teneantur soluere Decimas, & quo iure.*

1. VVicleff. docuit *Primo*, Decimas non esse illo iure Sacerdotibus debitas, sed esse meras eleemosynas. *Secundo*, populum ad libitum posse & debere eas negare sacerdotibus propter eorum peccata. Ita refert *Thom. VVald. lib. 2. doct. fid. antiq. cap.* 64. & 65.

2. PRIMA CONCLVSIO. Fide tenendum est decimas non esse eleemosinas, sed subsidium sacerdotibus debitum propter ministerium spirituale. Vnde sententia VVicleff. damnata est in *Conc. Constant. sess.* 8. Ratio est, quia constat ex Scriptura, ijs, qui populo

miniſtrant ſpiritualia, iure diuino ac naturali deberi ſuſtentationem. *Rom.15.v.27.& 1.Cor.9.v.11.& Luc.10. v.7.* Hæc autem ſuſtentatio præſtatur per decimas. Vide *decret.19.q.1.& in decretal.tit.de decimis,& in Conc. Trid.ſeſſ.25.c.12.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si decimæ ſpectentur ſecundum ſubſtantiam, quatenus ſunt neceſſaria ſuſtentatio miniſtrorum, Eccleſię, debentur Iure diuino ac naturali, vt ex dictis patet. Si vero ſpectentur ſecundum ſuam quotam, quatenus ſunt decima pars fructuum, debentur iure Eccleſiaſtico: vt patet ex *Clement.L.2.Conſtit.Apoſt.c.29.38.39.& ex can.cit.*

4. QVÆRES. An etiam debeantur iure diuino? Affirmant Canoniſtæ: Negant Theologi. Ratio eſt, quia in lege Euangelica nullum extat præceptum de hac re: ſolum enim dicitur miniſtris Eccleſiæ deberi congruam ſuſtentationem: An autem danda ſit illis 10. pars fructuum, An 20. nuſquam habetur. Nec obſtat, quod de hac re extet præceptum in veteri lege, *Exod.22.Leuit.27.& num.18.* quia præcepta iudiciaria & cæremonialia veteris legis ſunt abrogata. Confirmatur, quia hæc quota poteſt tolli per conſuetudinem, vt patet ex c. *in aliquibus, de decimis.* At non poſſet tolli, ſi eſſet iuris diuini.

3. Obijciunt Canoniſtæ *Primo*, quia in iure canonico dicitur, decimas conſtitutione diuina deberi, c. *Tua de dec. Secundo*, Deum præcepiſſe decimas ſibi ſolui in ſignum vniuerſalis dominij, ideoque non poſſe minui, c. *Tua nobis ibidem. Tertio.* Decimas eſſe in ius diuini 16. *quæſt.1.c.fin. Quarto*, quia Chriſtus *Matth.23. cum* dixiſſet, *decimatis mentam & anetum*: ſubiunxit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*, vbi τὸ *oportuit* indicat obligationem iuris diuini. *Quinto*, quia Chriſtus *Matth.5.* ait: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum*: ergo ſi illi ſoluebant decimas, multò

magis nos ſoluere debemus. Ad *primum* Reſpondeo. Decimæ dicuntur deberi conſtitutione diuinâ, quia quod debeantur, hoc tantum eſt ex conſtitutione diuina. Deus enim in veteri lege præcipit ſolui decimas; ad cuius imitationem Eccleſia idem præcipit in noua lege. Ad *ſecundum*. Decimæ nõ poſſunt minui, quia Deus olim hanc quotam taxauit, quam poſtea Eccleſia confirmauit. Ad *tertium* dicuntur eſſe iuris diuini, quia Deo conſecratæ & dicatæ ſunt in miniſtris: ſicut res ſacræ dicuntur iuris diuini, quia peculiari modo ad Deum pertinẽt, & in eius dominio ac iure cenſentur: Ad *quartum*. Cum Chriſtus ait: *oportuit hæc facere*, loquitur de tempore illius legis: tunc enim iure diuino decimæ erant ſoluendæ. Ad *quintum*. Noſtra iuſtitia debet eſſe maior quam Phariſæorum, non in ſoluendis Decimis (alioqui deberemus plus quam 10. partem ſoluere) ſed in reformandis actibus internis: illorum enim iuſtitia ſolum erat externa; noſtra debet etiam eſſe interna. Illi putabant ſufficere, ſi non occiderent aut mœcharentur exterius: nos debemus etiam internam iram & concupiſcentiam refrænare.

3. TERTIA CONCLVSIO. Ex dictis intelligi poteſt, cuius virtutis actus ſit ſolutio decimarum. Si enim ſpectetur, vt eſt debita ſacerdotibus ob ſacrum miniſterium, ſic immediatè eſt actus iuſtitiæ: mediatè verò religionis. Si verò ſpectetur, vt per eam fouetur cultus diuinus, vel vt per eam proteſtamur, Deum eſſe auctorem frugum terræ, & omnium rerum, quibus humana vita ſuſtentatur, ſic eſt ſolum actus religionis.

Quæſt. 2. *An Eccleſia conuenienter conſtituerit hanc quotam?*

1. RAtio dubij eſt, quia in veteri teſtamento conſtituta fuit 10. pars propter has cauſas. *Primo*, quia filij Leui erant ferè 10. pars populi. *Secundo*, quia in diſtributione terræ non acceperant ſuam partem,

*Tertio*, quia habebant vxores & liberos alendos. Hæ causæ iam non habent locum. *Primo*, quia Sacerdotes vix sunt 60. pars populi Christiani. *Secundo*, quia seruant suas possessiones hæreditarias, vt cæteri. *Tertio*, quia non habent vxores & liberos alendos: videtur ergo Ecclesia excessisse iustum modum in assignãda hac quota.

2. Conclvsio. Ecclesia iustissimis rationibus ad hanc partem indicẽdam mota fuit. *Primo*, quia Deus illam indixerat in veteri testamento. *Secundo*, quia synagoga mutata fuit in Ecclesiam. *Tertio*, quia non soli sacerdotes, sed omnes alij ministri Ecclesiæ debent aliã populo. *Quarto*, quia hi omnes non solum seipsos, sed etiam pauperes & orphanos, & viduas debent alere. *Quinto*, sunt digniores quam ministri veteris legis, & ideo pluribus egent ad dignitatem sui status in populo tuendam. *Sexto*, quia plus laborant, & habent graviores functiones. *Septimo*, opus est illis magna eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni sumptus. *Octauo*, in veteri lege tantum erat vnum templum & bene instructum: in noua sunt innumerabilia, quæ singula debent instrui & conseruari. *Nono*, in veteri lege erant plurima sacrificia, quibus sacerdotes poterant ali, in noua non sunt. *Decimo*, Deus hanc quotam videtur approbare fertilitatem concedens soluentibus; sterilitatem non soluentibus, vt notauit *Augustin. l. 50. hom. 48. & serm. 219. de tempore.*

Quæst. 3. *Ex quibus rebus soluendæ sint decimæ?*

1. Prima Conclvsio. In veteri lege soluebantur decimæ non ex omnibus rebus, sed tantum ex frugibus, & pomis arborum, & animalibus, quæ transeunt sub virga pastoris, vt habetur *Leuit. vlt.*

2. Secvnda Conclvsio. In noua lege, si ius scriptum spectemus, soluendæ sunt decimæ ex omnibus rebus, seu ex frugibus omnium rerum, quæ quo-

dammodo

dammodo nobis frugiferæ sunt: vt agrorum, arborum, animalium, domorum elocatarum, molendinorum, piscinarum, aucupiorum, omniumque negotiorum lucrosorum. Patet ex c. *Non est*, & c. *extransmissa*, & c. *pastoralis de decim.* & ex *Aug. serm.* 219. Hinc solent distingui triplices decimæ: nempe prædiales ex agris, piscinis, molendinis: personales ex negotiatione, artificio, militia, famulatu: & mixtæ ex animalibus, quorum fructus partim ex hominum industria, partim ex prædiis proueniunt.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si autem spectemus consuetudinem, multis in locis non sunt in vsu nisi prædiales ex prædiis rusticis, & quædam mixtæ. Nam reliquæ per consuetudinem, & tacitam condonationem Ecclesiæ abrogatæ sunt. Vnde semper spectari debet quæ sit cuiusque loci consuetudo.

4. QVÆRES *primo*. Cur Ecclesia voluerit dari decimas ex omnibus rebus, cũ in veteri lege solũ datæ fuerint ex fructibus, & quibusdã animalibus. Resp. Quia in veteri lege singulæ familiæ habebant suos agros, ex quibus poterãt soluere decimas, & ideo nõ erat necesse exigere personales. At in noua lege multæ sunt familiæ, imo multæ vrbes & Respub. quæ agris carent, & ideo necesse fuit iis imponere decimas personales, alioqui nihil contribuissent: neque potuissent alere clerum.

5. QVÆRES *secundo*. An Ecclesia habeat dominium decimarum ante separationem? Negat Glossa in c. *Tua nobis de decim.* & c. *moderamine* 16 *quæst.* 1. asserens decimas peti per Ecclesiam condictione ex canone vel officio Iudicis: non autem rei vindicatione. Condictio autem ex canone est actio personalis, vt patet *instit. de actib.* §. *si itaque*. Contrarium docet Panormitanus c. *Tua nobis de decim.* & c. *Commissum*, *ibidem*: nempe Ecclesiam habere dominium decimarum etiam antequam sint collectæ, idque probat tribus argumentis. *Primo*,

quia Deus dicit decimas & primitias esse suas c. *Tua nobis*. Atqui suum, indicat dominum. *Secundo*, quia Ecclesia dicitur posse decimas vindicare, *c. moderamine* 16. *quæst.* 1. Sed vindicatio datur domino in rem suam *L. in rem* §. *de rei vindicat. Tertio*, quia venditio fructuum non decimatorum non est valida. Nam Ecclesia semper potest ex ijs suam portionem extrahere, c. *Pastoralis de decim.* Atqui huius non potest esse alia ratio, quam quia Ecclesia habet dominium decimæ partis in confuso. Hinc infert Panorm. Ecclesiam duplici actione posse decimas petere. *primo*, condictione ex canone, id est, quia per canones impositum est laicis onus & debitum illas soluendi. *Secundo*, rei vindicatione, quæ est actio in rem, & conceditur domino, *L. In rem.* §. *de rei vindicatione.*

Quæst. 4. *Quomodo soluendæ sint Decimæ?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Debent solui integrè, & sine diminutione, c. *commissum*, & c. *Tua nobis, de decim.* Vnde qui fraudat Ecclesiam in parte notabili, peccat mortaliter contra iustitiam; & simul committit sacrilegium, vt patet *ex canon. citatis.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Decimæ debent deduci ex fructibus integris, priusquam ex illis deducantur expensæ, vel tributa, vel census, vel vlla alia debita, c. *cum non sit*, & c. *Tua nobis de decimis.* Ratio est, quia decimæ debentur in recognitionem & professionem dominij generalis, vt habetur *loc. cit.* sed hoc dominium antecedit reliqua omnia dominia & iura, & extendit se ad omnes fructus enatos; ergo huic dominio debet satisfieri ante reliqua quæque dominia & iura, & ex omnibus fructibus enatis. Hinc sequitur, si tributa, vel census, vel alia debita ante deducta & soluta sint, Ecclesiam posse agere vel in dominum fructuum, qui ea deduxit, vel in eum, qui illa indecimata accepit, compellendo illum per censuras, vt decimam ex acceptis

detrahat, c. *cum non sit, de decimis*. Simili modo non possunt detrahi sumptus in colendo agro facti, nec seminis æstimatio. Et quando decimæ soluuntur ex elocatione ædium, ex molendinis, piscinis, alijsve rebus, non possunt deduci expensæ factæ in reparationem, aut melioratione m. Hæc omnia habentur in c. *Non est*, &c. *Tua nobis*, &c. *Pastoralis*, *de decimis*. Quando tamen soluuntur decimæ de negotiatione, tunc sunt deducendæ expensæ, vt habetur c. *Pastoralis*. Ratio est, quia tunc solum soluuntur decimæ de lucro. Atqui id solum in lucro censetur quod remanet deductis expensis, quæ factæ sunt.

Quæst. 5. *Quibus soluendæ sint decimæ?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Ex prima Ecclesiæ ordinatione decimæ debebantur cœtui clericorum in genere: sic tamen vt distributio pertineret ad prælatum, cuius authoritate dabatur singulis quantum opus erat pro cuiusque statu & necessitate, vt patet ex antiquo Ecclesiæ more & consuetudine.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Postquam autem Ecclesia diuisionem fecit, erectis beneficiorum titulis, dabatur singulis ea portio, quæ cuiusque titulo attributa & annexa est. Hic disputari solet, an omnibus clericis debeantur decimæ, an solum ijs qui habent curam animarum, vt videtur sentire *D. Thom. art.* 3. Ratio est, quia ius accipiendi decimas fundatur in illo debito, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Resp. ijs solis qui habent curam animarum debentur decimę ex iustitia quoad sustentationem, sepositio omni Ecclesiæ præcepto & taxatione: non enim tenetur populus ex iustitia sustentare nisi habentes curam animarum, & necessarios eorum adiutores: posito autem Ecclesię precepto & taxatione, tenetur alere totum clerum.

Quæst. 6. *Qui teneantur soluere decimas?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Decimæ prædiales soluendæ sunt ab ijs omnibus qui titulo non spirituali habent prædia alicui Ecclesiæ subiecta, & soluendæ sunt illi Ecclesiæ, cui prędia subiacent, nisi consuetudo sit vt alienæ Ecclesiæ soluantur. In hac enim re maximè consuetudo seruanda est, vt habetur c. *ab apostolicæ, de decim.* Hinc sequitur ad has decimas teneri. *Primo*, omnes laicos qui habent prædia, his enim hoc onus annexum est. *Secundo*, Clericos, qui titulo patrimonij, vel alio non spirituali possident prędia, vt docet *D. Tho. art. 4. ad 1.* quia illa prædia per se illi oneri subiecta sunt, & per accidens est quod nunc à clerico possideantur. *Tertio*, monasteria & pia loca, nisi aliquo priuilegio, vel præscriptione, vel compositione, vel transactione sint exempta, vt patet ex c. *Nuper de decim.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Personales decimę soluendę sunt ab ijs solis qui sacramenta percipiunt, & illi Ecclesię à qua recipiunt, idque iuxta cõsuetudinem receptam, vt colligitur ex cap. *ab apostolicæ de decim.* Nota multis locis personales decimas esse sublatas, quibusdam eas solui tantum in fine vitæ, vt Venetijs: alibi in fine anni.

3. TERTIA CONCLVSIO. Omnes clerici, etiam Episcopi, tenentur ex omnibus bonis Ecclesiasticis decimas dare summo pontifici, si eas exigat. Ita *D. Thom. art. 4.* & probatur exemplo veteris Test. Nam *Num. 18.* Leuitis precipitur vt summo sacerdoti decimam decimæ pendant. Non tamen solet hanc decimam ab Ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesiæ id postulet. Vide *Panorm. in c. Inter cætera. de officio Iudicis ordinarij.*

# QVÆSTIO LXXXVIII.

## De Voto.

### Quæst. 1. Quid sit votum.

1. PRIMA CONCLVSIO. Votum est *promissio Deo facta*, vt communiter definiunt Theologi. Vnde patet omne votum esse promissionem, non contra. Nam promissio, quæ fit homini, non dicitur votum, sed ea tantum quæ fit Deo.

2 SECVNDA CONCLVSIO. Vt promissio sit valida, 5. requiruntur. *Primum*, vt sit deliberata. *Secundum*, vt libera. *Tertium*, vt fiat cum intentione se obligandi. *Quartum*, vt sit de re grata promissario. *Quintum*, vt promissor possit se obligare. *Primo*, debet esse deliberata, non quod opus sit longâ mentis agitatione, sed quia requiritur perfecta quædam animaduersio eius quod agis. Ratio est, quia promissio est quædam lex & onus, quod sibi quis sponte imponit. Nemo autem censetur sibi aliquod onus velle imponere, nisi plenè aduertat quid agat. *Secundo*, debet esse libera seu spontanea, id est, nec metu nec dolo iniustè extorta, nec ex errore facta. Vnde votum metu graui vel iniurioso extortum est irritum, vt patet ex capit. *Perlatum*, &c. *Abbas de eis quæ vi. Tertio*, debet fieri cum intentione se obligandi: actus enim ex intentione non operantur vltra intentionem, cum ab ea omnem vim suam habeant. Vnde sicut lex principis non habet vim nisi iuxta intentionem ipsius: ita promissio, quæ est lex quædam priuata, non habet vim nisi ex intentione promittentis. *Quarto*, requiritur vt res promissa sit grata promissario: promittere enim quod displicet, non est promittere, sed minari. *Quinto*, requiritur, vt promissor possit se obligare; quidam enim per leges non possunt se voto aut promissioni obligare, aut saltem non ita validè, quin possit in irritum reuocari.

Quæst. 2. *An propositum aliquando habeat vim voti?*

1. DIxi votum esse quandam promissionem. Nunc quæritur, an promissio ita necessaria sit ad rationem voti, vt propositum sine promissione non sufficiat. Aliqui putant propositum habere vim voti simplicis in vno casu nempe quando quis intrat religionem cum proposito perseuerandi, & Deo perpetuo famulandi. Ita Palud. *in 4. disp. 31. quæst. 1. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2.* & omnes ferè Canonistæ, ex quibus plerique putant, tale propositum cum susceptione habitus habere vim voti solennis. Probatur *primò*, ex quibusdam Canonibus, præsertim ex capit. *statuimus. de regularibus. &c. Consulti ibid. &c. Beneficium, de regula in 6. Secundo*, probatur ratione, quia qui facit contra tale propositum, inconstans est in re magni momenti; ergo peccat: ergo tenebatur in proposito perseuerare.

2. CONCLVSIO. Propositum non sufficit ad rationem voti: sed vlterius requiritur promissio. Ita *D. Thom. in art. 1. Bonau. in 4. d. 38. art. 1. Richard. ibid. quæst. 3. Abbas in c. libertatem de voto & voti redemptione. Nauar. c. 12. nu. 26. & passim recentiores.* Probatur *primo*, ex Scripturis, vbi obligatio votorum ex promissione nasci iudicatur. *Deut. 23. vers. 21. Cum votum voueris Domino tuo non tardabis reddere: si nolueris polliceri, absque peccato eris*, Et infrà, *v. 23. Facies, sicut promisisti*: Et Eccles. 5. *v. 3. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Secundo.* Probatur ex capit. *literarum*, vbi dicitur, eum, qui vltra propositum mutandæ vitæ non est progressus, in voto, non teneri. *Tertio.* Nemo obligat seipsum, nisi intendat se obligare: sed solo proposito faciendi aliquid non intendo me obligare; ergo solum propositum non habet vim voti obligantis. Canones contra citati loquuntur de proposito; quod propositione seu voto firmatum est.

3. Ad argumentum Resp. Esse aliquam inconstantiam, si absque vlla causa sola animi leuitate propositum mutes, hæc tamen inconstantia non est nisi venialis. Ex dictis patet, cum multa in voto reperiantur, nempe deliberatio, propositum boni operis, propositum vouendi, promissio, obligatio: solam promissionem esse votum: propositum & deliberationem esse quid præuium, obligationem esse effectum.

Quæst. 3. *Quotuplex sit votum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Votum diuiditur *Primo*, in commune & singulare. Ita *Magister in 4. d.* 38. *D. Thom. Durand. Richard. ibid.* *Votum commune* vocant actum illum, quo quis in baptismo profitetur se renunciare Sathanæ & adhærere Christo; hic enim actus est communis omnibus Christianis: non tamen est votum propriè dictum, vt iidem auctores docent. *Primo*, quia in verbis hominis baptizandi nulla continetur promissio: solum enim dicit: *abrenuntio, credo, volo. Secundo*, quia alioqui omne peccatum hominis christiani esset sacrilegium, & contineret in se duplicem malitiam, quod est contra communem hominum sensum. *Votum singulare* vocant, quod quisque pro suo arbitratu de rebus non necessariis concipit: quamuis reuera hoc genus voti possit etiam pertinere ad res præceptas, quatenus nostro arbitrio subiectæ sunt.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Diuiditur *secundo*, in votum conditionale & absolutum. Rursus conditionale in pœnale & non pœnale. *Pœnale* est, quando quis vouet aliquid in pœnam delicti, si fortè ceciderit in illud: quod potest fieri bifariam. *Primo*, si solum voueas pœnam delicti, non autem euitationem: vt v. g. Voueo me daturum eleemosynam, si inebriatus fuero: & hoc est simplex votum pœnale. Vnde talis non peccabit contra votũ per ebrietatem, sed purificabitur conditio, & absolutè ex voto tenebitur ad pœnam, quam si

non præstiterit, tum demum votum violabit. *Secundo*, si non solum voueat pœnam in euentum delicti, sed etiam cautionem delicti, vt v. g. voueo non amplius inebriari, alioqui dabo largam eleemosynam. Hoc votum non est simplex, sed duplex, quia continet duo vota: Alterum absolutum de non inebriando: Alterum conditionale de eroganda eleemosyna. *Votum non pœnale* est quando id quod vouetur, non vouetur in pœnam delicti: vt voueo Religionem, si pater consenserit, si mortuus fuerit. Hoc votum impletâ conditione æquiualet absoluto.

3. Tertia Conclvsio. Diuiditur *tertio* in *simplex* & *solemne*. *Solemne* vocant quod susceptioni status immutabilis coniunctum est, v. g. quod annexum est ex Ecclesiæ decreto susceptioni sacri ordinis, aut quod continetur in Professione Religionis approbatæ. Ita habetur capit. vnico *de voto & voti redemp. in 6.* Hæc enim duo, ordo sacer, & professio Religionis, sunt solemnes quidam actus, à quibus votum solemne dicitur, & certam quandam vim seu qualitatem ex decreto Ecclesiæ obtinet: nempe quod votum castitatis reddat irritum matrimonium, si attentetur: votum paupertatis faciat incapacem dominij. *Simplex* est omne aliud votum, etiam si perpetuum sit, quale est etiam professio religionis non approbatæ.

4. Qvarta Conclvsio. Diuiditur *quarto* in votum expressum & tacitum. *Expressum* est quod verbis distinctis exprimitur. *Tacitum* est quod censetur fieri eo ipso, quo voluntariè aliquid agitur, cui votum connexum est, vel supponitur. Tale est quod fit susceptione ordinis sacri.

5. Qvinta Conclvsio. Diuiditur *quinto* in votum personale, reale & mixtum. *Personale* est quo promittitur aliqua actio vel omissio: *Reale* quo res aliqua externa promittitur: *Mixtum* quo vtrumque

promittitur, vt peregrinatio cum oblatione.

Quæst. 4. *Quænam sit materia voti?*

1. CONCLVSIO. Vt aliquid cadat sub votum tria requiruntur. *Primum*, vt sit in nostra potestate. *Secundum*, vt sit bonum. *Tertium*, vt sit melius quam oppositum. Hinc sequitur non esse validum votum *primo*, si voueas te nunquam peccaturũ venialiter, quia hoc non est in tua potestate. *Secundo*, si voueas opus malum aut indifferens: nemo enim aliquid promittit alteri, nisi quod ei gratum est: Deo autem nihil est gratum nisi quod bonum. *Tertio*, si voueas te non daturũ eleemosynã, non futurum Religiosum, non susceperurum sacros ordines: melius enim est dare eleemosynam, fieri Religiosum, suscipere sacros ordines. Vide *D. Thom. art. 2.*

2. QVÆRES *primo*. An votum sit validum, si voueas opus bonum ob malum finem. Resp. Hoc dupliciter fieri potest *primo*, vt malus finis non solum sit finis voti, sed etiam operis quod vouetur, vt si voueas eleemosynam ad obtinendam vindictam, aut illicitos amores, & tunc votum est irritum. *Secundo*, vt malus finis sit tantum finis voti, vel potius applicationis voluntatis ad vouendum, vt si profitearis in Religione vt lautè viuas. Nam lautè viuere non est finis paupertatis, castitatis & obedientiæ quam profiteris, sed est finis propter quem applicas te ad actum vouendi & profitendi. Hoc casu votum est validum, licet non fiat sine peccato.

3. QVÆRES *secundo*. Quale peccatum sit vouere opus malum? Respondeo si opus illud malum sit peccatum mortale, tunc votum illius est etiam mortale: idque duplici titulo, tum propter affectum illius operis, tum propter irreuerentiam, seu contumeliam, quæ per tale votum Deo irrogatur. Si autem opus malum tantum sit veniale, multi putant votum illius esse tantum veniale, vt Sylu. v. *Iuram. 2. quæst. 7. Sotus lib. 7. de Iustitia quæst. 1. art. 3. Nauar. c. 12. num. 33.* Probatur *primo*, quia

materiæ paruitas videtur excusare. *Secundo*, quia impletio talis voti solum venialis est. Contrarium tamen rectius tenet Caiet. in Summa V. *voti materia*. Ratio est, quia si scias opus illud, quod voues, esse peccatum, & tamen voues Deo, est magna irreuerentia erga Deum. Nam vel est irrisio quædam, vt si promittas alicui tanquam gratum, quod scis esse ingratum, vel implicita blasphemia: quia cum seriò promittis Deo, quod scis esse malum, insinuas Deo placere peccatum, eoque coli, & honorari. Similis irreuerentia erit, si eodem animo votum impleas. Confirmatur, quia *Malach. 1. v. 8.* grauiter reprehenduntur qui victimam claudam, cæcam, vel alio defectu notabilem offerebant; ergo multo magis reprehensibilis est, qui opus malum Deo offert; si tamen huiusmodi votum fieret sine plenâ animaduersione, non esset nisi veniale.

4. QVÆRES *tertio*. An votum sit validum, si voueas opus indifferens, quod nec bonum, nec malum sit pro illo tempore quo voues, sed postea sit bonum, v. g. vouisti abstinere perpetuo fraternis ædibus ob aliquam offensionem in fratrem, deindè contingit ibi habitare aliquos quorum cõsuetudo tibi foret noxia. Resp. Tale votum nunquam obligat. Ratio, quia ab initio irritũ fuit: non enim hoc vouisti Deo tanquam bonum, & ipsi gratum, sed vt te in vindictam fratris in proposito non bono confirmares. Vnde etiamsi speciem voti habeat, tamen votum non est. Confirmatur ex *regul. 18. iuris. Nõ firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit.* Si tamen intuitu alicuius boni ab initio vouisses, & postea ratio boni mutaretur in aliam, tunc esset votum validum: v. g. vouisti abstinere perpetuo tali domo propter periculum impuritatis, post sublato illo periculo succedit periculum societatis in furtis, vel inimicitiis: Hoc euentu manet obligatio voti, quia manet periculum peccati, & abstinere à tali domo manet tempe-

bonum, & Deo gratum. Nec refert, quod alterius speciei bonitatem accipiat, quia vouetur absolutè quatenus Deo gratum est: non autem præcisè quatenus huius vel illius speciei bonitatem obtinet.

5. QVÆRES *quarto*. An votum sit validum, si voueas inire matrimonium? Resp. *primo*. Si absolutè id voueas non est validum, vt patet ex tertia conditione supra assignata. Nam melius est non inire, quã inire matrimonium. Resp. *secundo*, si autem voueas inire matrimonium cum hac paupercula propter Deum, suppositã matrimonij constanti voluntate, tunc validum est votum, quia perseuerante tali voluntate melius est hanc ducere, quam aliam; si tamen eam voluntatem deponas, desinit obligatio voti, quia absolutè melius est nullam ducere. Sed difficultas est de eo qui non potest se continere, & ideo vouet matrimonium ad vitandam fornicationem. Nam aliqui affirmant, tale votum esse validum, vt *Caiet. art. 2. & Nauarr. c. 12. num. 43.* Resp. Non est validum absolutè, ita vt non possit irritum reddi, sed solum ex suppositione; nempe supposito quod ipse nolit alia remedia contra carnis tentationem adhibere: tamdiu enim obligabitur ex voto ad matrimonium suscipiendum. Quod si corporem illum excutiat, & alia remedia capessere velit, iam cessabit illius voti obligatio, quia iam est ei melius non ducere, quam ducere vxorem.

QVÆRES *quinto*. An votum sit validum, si voueas te non amplius voturum? Resp. irritum est propter rationem assignatam. Nam absolutè melius est vouere, quàm non vouere, si tamen aliquis facilior sit ad vouendum, is validè vouere poterit, se in posterum non voturum nisi re prius cum viro prudente communicata. Melius enim est, præsertim tali homini vouere ex matura deliberatione cũ viro prudente, quã vouere absque huiusmodi deliberatione. Vnde hoc ipsũ potest

maadere sub aliud votum: Si tamen post tale votum rursus ex animi leuitate voueret, valeret hoc votum posterius, modo ea consideratio adsit, quæ in alijs rebus ad meritum vel peccatum mortale sufficeret, peccaret tamen sic vouendo, quia violaret prius illud votum quo promiserat se non amplius voturum sine alterius consilio.

7. QVÆRES *sexto*. An opera præcepta cadant sub votum? aliqui videntur negare. *Primo* quia votum est promissio boni melioris: At nomine boni melioris intelligitur opus consilij, seu supererogationis, vt patet ex D. *Tho. art.* 2. Deinde quia ibidem indicat huiusmodi vota quibus homo vouet se seruaturum præcepta, esse solum analogicè vota, vocatque ea communia, quasi non propriè, sed generali solum ratione dicantur vota, sicut ea quæ in baptismo fiunt. *Tertio*, quia ad opera præcepta iam ante obligamur, & illa obligatio est sufficiens: ergo frustra adhibetur alia obligatio voti. *Quarto*, quia si votum inducit nouum vinculum super vinculum præcepti; ergo etiam inducet vinculum nouum supra obligationem prioris voti: ergo si quis centies idem voueret, centuplici obligatione teneretur, ac proinde centuplum peccaret violando votum, quod est absurdum. Resp. Certum est laudabiliter aliquid posse vouerì Deo, ad quod præcepto naturali vel positiuo adstringimur, & per tale votum induci nouum vinculum. Ita *Durand. 4. d. 38. q. 1. Richar. d. 39. q. 2.* Probatur *primo*. ex perpetuo vsu Ecclesiæ, vbi non solum vouetur abstinentia à nuptiis, quæ non est præcepta, sed etiam abstinentia ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium, quæ omnibus est præcepta. *Secundo*, quia *Gen.* 28 *v.* 20. Vouit Iacob se culturum verum Deum, & non Deos alienos, & tamen hoc est præcepti, non consilij. *Tertio*, quia iuramento possumus nouum vinculum inducere ad seruanda ea, ad quæ aliàs tenebamur: cur non

etiam voto? *Quarto*. Si aliquid debeam proximo ex mutuo, vel alio contractu, possum rursus me illi obstringere ad idem per promissionem: ergo idem possum in iis, quæ Deo debeo. *Quinto*, opera præcepta sunt Deo gratissima, ergo possunt illi promitti, hæc autem promissio adferret nouum vinculum: sicut enim creditor pluribus titulis potest idem exigere à debitore: ita debitor potest pluribus titulis se ad idem obstringere.

8. Ad *primum* negatur nomine melioris boni solum intelligi opus consilij, seu supererogationis, quamuis præcipuè id intelligatur. Ad *secundum* Resp. D. Th. vti distinctione: dicit enim rem præceptam cadere sub votum, non quatenus est iam debita, sed quatenus est in nostra potestate eam facere, vel omittere. Ad *tertium* etiamsi obligatio præcepti sit sufficiens, tamen obligatio voti superueniens non est superflua: tum quia magis excitat nos ad præstandum id quod tenemur facere: tum quia est causa meriti maioris, quia operamur ex duplici virtute. Ad *quartum*. Si is, qui secundo vouet, intendat se nouo modo obstringere, tunc erit noua obligatio eiusdem speciei, vel certè augmentum prioris obligationis intra eandem speciem. Ac proinde si violet votum, grauius peccabit: si tamen non intendat nouam obligationem sibi inducere, sed solum renouare priorem ad excitandum spiritum, tunc non inducetur noua obligatio, neque prior crescet intra eandem speciem, quia votum non operatur vltra intentionem vouentis.

## Quæstio 5. *An bonum sit vouere ad colendum Deum?*

1. CAluinistæ & Lutherani docent impium esse vouere aliquid Deo, quod non sit præceptum ad colendum Deum, posse tamen tale quid vouere ob aliũ finem v.g. ad vitandam aliquam molestiam, vel alia vitæ negotia melius transigenda. Ratio illorum est, quia

mæ nihil vsurpandum est ad cultum diuinum, nisi quod tis Deus præceperit. Alioqui est cultus voluntarius, quem tanquam superstitionem reprehendit Apostolus *Coloss. 2. v. 22. Caluinus 4. inst. c. 13. §. 1. & seq. Luth. de libertate Christiana.* Vnde inferunt vota Religiosorum esse iniqua & irrita, & Franciscum, Dominicum Bernardū damnatos esse, nisi forte professi fuerint in religione, non ob cultum diuinum, sed vt liberi essent ab vxoribus, & alijs curis temporalibus.

2. PRIMA CONCLVSIO. Bonum est vouere Deo etiam opus non præceptum animo deferendi cultum & Deo placendi. Est de fide. Probatur *primo*, quia Scriptura hortatur nos ad vouendum, *Psal. 75. v. 12. Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius offertis munera.* Sed implicat fieri votum, & non animo colendi Deum saltem implicitè, quia votum intrinsecè est quidam Dei cultus. Nulla enim Deo fit promissio vel oblatio ad laudandum eius inopiam, aut vtilitatem conferendi, sed solum ad eum honorandum. & gratum obsequium offerendum. *Secundò*, si votum fieri potest ob aliam causam, cur non etiam ad colendum Deum: præsertim cum Apostolus hortetur vt omnia faciamus ad Dei gloriam quæcunque facimus. *Tertio*, quia omnia vota, de quibus agitur *Leuit. 27. Deut. 12. & 23. & alibi*, sunt de rebus præceptis.

3. TERTIA CONCLVSIO. Non solum bonum est vouere Deo ad ipsum colendum, sed etiam votum soluere, & perficere, animo colendi Deum. Est de fide. Probatur *primo*, *Psalm. 75 v. 12. Vouete & reddite. Deut. 23. v. 21. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris*, vbi apertè loquitur de voto rei liberæ, non præceptę. *Secundo*, quia eiusdem virtutis est vouere & reddere: etsi enim promittere homini, & promissa soluere, non sint eiusdem vir-

tutis: cum illud sit liberalitatis, hoc fidelitatis: tamen promittere Deo, & soluere promissa pertinent ad eandem virtutem Religionis. Nam vtroque actu Deum honoramus, & bonorum nostrorum authorem profitemur, quamuis vouere sit voluntatis, soluere necessitatis Ad rationem hæreticorum Resp. falsum esse quod assumitur, vt ex dictis patet; neque Apost. ad Colos. reprehendit cultum voluntarium simpliciter, sed eum qui solâ inuentione humana constat, quod potest fieri dupliciter. *Primo*, si deferatur numini falso, & ab hominibus inuento, qualis est cultus Angelorum, quem Platonici, & Simon Magus eis deferebant, qua de re agit Apost. vt plerique interpretantur. *Secundo*, si exhibeatur vero Deo, sed cum falsa opinione. *secundo*, si exhibeatur vero Deo, sed cum falsa opinione: vt si quis abstineat à cibis quod putet eos esse immundos, vel ponat vim in aliqua re, vel circumstantia, in qua non est ponenda, vt in numero, in situ, in colore.

*Quæst. 6. An melius sit facere aliquid ex voto, quam sine voto?*

1. CONCLVSIO. Facere aliquid ex voto non solum bonum est, vt dictum, sed etiam melius est, quam facere illud idem sine voto. Probatur *primo*, quia Scriptura hortatur ad vouendum, quod non faceret nisi opus factum ex voto esset Deo gratius. *Secundo*, quia quãdo opus, quod aliàs ex se bonum est, fit ex voto, tũc habet duplicem laudem: vnam ex se & ex sua specie alteram ex affectu religionis. *Tertio*, quia qui vouet & voto soluit nõ solũ offert Deo bonũ opus, sed etiam boni operis facultatẽ. Nam priuat se facultate illius omittendi. Vnde similis est illi qui donat non solum fructus arboris, sed etiam ipsam arborem, vt ait *Anselm. l. de similitudinibus c.* 84. Qui autem solum opus præstat absque voto non dat Deo operis illius facultatem. *Quarto*, qui facit ex voto, operatur ex proposito firmiori & magis immutabili: hoc autem est melius. *Vid. D. Thom. art.* 6.

2. Obijcies *primo*. Quod fit ex neceſſitate, eſt minus Deo gratum, quam quod fit liberè; ſed quod fit ex voto, fit ex neceſſitate: ergo quod fit ex voto, eſt minus Deo gratum quam quod fit ſine voto. Maior patet ex illo 2. *Cor.* 9. *v.* 7. *non ex triſtitia aut neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Minor probatur, quia votum inducit vinculum. Vnde Apoſt. 1. *Cor.* 7. *v.* 35. vocat laqueum, cum ait: *Hoc ad vtilitatem veſtram dico; non vt vobis laqueum injiciam*: q. d. hortor ad continentiam, non ad votum, ne ſit vobis in laqueum. Reſpondeo tribus modis poteſt aliquid fieri ex neceſſitate. *primo*, quia fit ex abſoluta determinatione ad vnum, vt viſio beatifica. *Secundo*, quia fit ex aliqua coactione, id eſt, repugnante voluntate. *Tertio*, quia fit ex obligatione, ſiue ea proueniat ex præcepto: ſiue ex voto: ſiue aliunde. Maior ergo propoſitio vera eſt de neceſſitate coactionis, de qua loquitur Apoſt. Ad minorem Reſpondeo votum non vocari laqueum, ſed præceptum inuitis impoſitum.

3. Obijcies *ſecundo*. Melius eſt donare quid gratis, quam ex obligatione: ergo melius eſt facere ſine voto. Reſpondeo. Antecedens poteſt eſſe verum reſpectu hominum, non tamen reſpectu Dei. Nam hominibus gratius eſt vt aliquid ipſis donetur gratis, quia tunc videmur aliquid lucrari. At Deo non eſt ſemper gratius, quia non quærit lucrum ex noſtris operibus; ſed id ſemper eſt ei gratius, quod facimus ex pluribus, vel melioribus affectibus.

Quæſt. 7. *An votum vnius poſſit obligare alterum?*

1. QVæſtio eſt, an votum parentis poſſit obligare filium; aut votum teſtatoris hæredem: aut deceſſoris ſucceſſorem. Suppono aliud eſſe votum perſonale, aliud reale, aliud mixtum.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si votum ſit perſonale non obligat niſi perſonam. Tale eſt votū ieiunij, peregrinationis,

tionis, Religionis, militiæ sacræ, & similia. Ratio est, quia hæc vota solum sunt de actionibus personalibus, quæ à sola persona vouente sunt exequenda. Vnde si huiusmodi votis nondum solutis vouens decesserit, non tenetur hæres.

3. QVÆRES. An si voto personali implendo occurrat impedimentum, teneatur vouens per alium implere? Respondeo non tenetur, quia sola ipsius persona obligatur, quæ iam per impedimentum excusatur. Quod si per alium fecerit, non ideo liber erit cessante impedimento, nisi commutetur votum. Excipe nisi intendisset se obligare ad implendum votum per alium, casu quo per se non posset, tunc enim teneretur curare, & sic liberaretur.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si votum sit reale, nisi ante mortem persolutum fuerit, obligat hæredem. Ita *Sylu. v. votum 2. quæst. 11. & alij passim.* Colligitur ex c. *hæredes, de testamentis & ex l. 2. ff. de pollicitationibus.* Ratio est, quia sicut hæres succedit in bonis, & actionibus, & iuribus defuncti; ita etiam in oneribus quæ hæreditatem attingunt, etiamsi nulla res per se sit obligata. Vnde sicut ea quæ testator promisit homini, tenetur soluere; ita etiam quæ promisit Deo. Idem dicendum est, si defunctus vouerat aliquam peregrinationem ea intentione, vt si per se non posset exequi, per alium curaret: tunc enim sub conditione censetur tacitè vouisse, se daturum sumptus ad hoc præstandum; ac proinde fecisse votum reale, ad quod tenetur hæres. Simile est si quis vouit ædificare monasterium, vel aliam piam fundationem.

5. QVÆRES. An hæres peccaret contra votum, si non exequeretur? Resp. non, quia ipse nihil vouit, aut Deo promisit. Simile est de hærede qui tenetur promissione testatoris iuramento confirmata: non enim tenetur vinculo iuramenti. Cõtra quam virtutem ergo

peccaret? Resp. partim contra obligationem, qua defuncto obstringitur ratione hæreditatis acceptæ, seu ratione taciti pacti, quo acceptat onera defuncti, hæreditatem adeundo: partim contra religionem, quia non soluit quod debet: etsi enim Deo non promiserit, tamen factus est Deo debitor, suscipiendo in se obligationem alterius Deo debentis.

6. Tertia Conclvsio. Si votum sit mixtum, partim obligat, partim non obligat. Obligat qua reale: non obligat qua personale, v. g. si vouisti peregrinari Lauretum, & offerre ibi calicem, hæres tuus tenetur mittere calicem, non autem eo peregrinari.

2. Qværes. An teneatur sumptus itineris in pios vsus conferre? Resp. non, quia sunt accessorij voto personali: ergo euanescente voto personali, desinunt deberi. Dices. Quid si defunctus, cum faceret votum, intendisset, vt per alium expleretur. Resp. tunc hæres teneretur ad sumptus faciendos.

## Quæst. 8. *Quot modis possit quis solui, aut liberari a voto.*

1. Conclvsio. Id potest fieri 5. modis. *Primo*, defectione materiæ; vt si id quod ante erat legitima materia, desinat esse materia voti, vel absolutè, vel respectu vouentis, v. g. si fiat impossibilis, si mala, si indifferens, si inutilis, si maioris boni impeditiua. *Secundo*, defectu conditionis; vt si votum factum sit eueniente, vel durante certa conditione, & non eueniat, vel desinat. *Tertio*, irritatione; vt quando materia quam vouemus, aliquo modo subiecta est alterius potestati, & ab illius consensu dependens, qui tamen nolit consentire. *Quarto*, commutatione, vt quando obligatio voti ab vna materia transfertur in aliam. *Quinto*, dispensatione, vt quãdo quis auctoritate Ecclesiastica absoluitur omnino à voto. *Vide Sylvest. v. votum 4. q. 1. & Navarr. c. 12. n. 63.*

Quæst. 9. *Quorum vota possint irritari, & à quibus?*

1. DIcam primo generatim. Deinde ad certa hominum genera in particulari descendam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Omnium illorum vota possunt irritari qui alteri subiecti sunt, vel in omnibus, vel saltem quoad illam materiam, quam vouerunt. Ratio est quia horum vota pendẽt à consensu alterius, ac proindè includunt hanc tatitã conditionem, nisi Superior, vel cuius interest contradixerit. Vnde si ille certior factus de voto cõtradixerit, cessabit obligatio. Hinc sequitur ad irritationẽ non requiri causam, sed sufficere irritantis voluntatẽ, vt docent cõmuniter Theologi.

3. QVÆRES. An peccet qui sine causa irritum fecerit alterius votum? Negant *Palud. in 4. d. 38. q. 4. a. 2. Sylu. v. votum 4. qu. 2. Angelus v. Votum 2. nu. 10.* Ratio, quia totum votum in eius arbitrium collatũ est, nec vlla lege cogitur illud approbare. *Secundo*, quia vtitur suo iure, siue probet, siue improbet. Alij putant illum peccare. *Primo*, quia irritare votum alterius sine causa est actus otiosus, cum careat honesto fine: ergo est peccatũ saltem veniale. *Secundo*, quia Scriptura dicit, maritum peccare qui irritat votum vxoris sine causa. *Num. 2. v. 6. Sin autem contradixerit, postquam resciuit, portabit ipse iniquitatem eius.* Resp. probabilius non excusari à peccato veniali. Ratio est, quia sine causa velle impedire bonũ opus, est malum: cum enim alia causa non subest, videtur fieri ex displicentia boni operis. Locus tamen scripturæ citatus non facit ad propositum. Nam ibi agitur de marito, qui sciens votum vxoris diu dissimulauit, & postea irritauit, cum tamen statim id facere debuisset.

4. SECVNDA CONCLVSIO. In particulari disputari solet, an vota Religiosorum irritari possint à Superiore: Nouitiorum à Prælato: impuberũ mà parentibus: seruorum à Dominis: vxoris à marito: Laicorum à Pontifice: Hæc breuiter examinanda sunt.

5. QVÆRES *primo*. An omnia vota Religiosorum possint irritari à Superiore. Suppono Religiosos posse multa validè & meritoriè vouere, nempè ea quæ Regulæ, vel superioris præcepto non repugnant, quia vouere per se est opus consilij, & aliàs non est religiosis prohibitum. Vnde obligantur etiam antequam Superior consentiat, aut resciscat vt docet *Palud. in 4. d. 38. qu. 4. art. 2. Syl. v. votum 3. qu. 3. Caiet. art. 8. Sotus l. 7. de iust. q. 3. art. 1. Nauar. cap. 12. num. 67. & plerique alij.*

6. DICES *primo. c. Monacho* 20. *q.* 4. dicitur: Monacho non licet vouere sine consensu Abbatis sui; si autem vouerit, frangendum erit. Confirmatur, quia Monachus non habet propriam voluntatem, sed eam transtulit in Abbatem. Ob hoc argumentum aliqui putant Monachum non posse vouere sine Abbatis consensu, & ante illius consensum votum non habere vim, vt *Richard. in 4. d. 38. circa 4. principale quæ. 1. Maior. ibid. q. 4. Aug. V. votum 2. nn. 3.* Resp. canonem illum esse dubiæ authoritatis. Non enim est alicuius Pontificis, aut Concilij, neque est Basilij M. (etsi Gratianus id insinuet) quia in toto Basilio non est nomen Abbatis. Dici tamen potest cum Glossa c. illud intelligendum esse de voto abstinentiæ, quo scandalizantur cæteri. Ad confirmationem Resp. Monachum non ita transtulisse voluntatem suam in superiorem, quin in multis, quæ superior non prohibuit, sui sit arbitrij.

7. His positis. communior sententia est, omnia vota Religiosorum irritari posse à prælato, præter votum arctioris Religionis. Ita *Aug. Syl. Sotus, Nau.* & colligitur ex *D. Thom. a. 7. ad 3.* vbi docet nullum votum Religiosi esse firmum, nisi de consensu Prælati. Ratio est, quia voluntas Religiosorum debet esse perfecta & dependens à voluntate Superioris, in omnibus, quæ ad vitæ directionem spectant: ergo etiam in nouis obligationibus suscipiendis. Hæc tamen ratio non videtur firma,

vt ex dictis patet; nec puto firmam afferri posse ex natura rei, siue Professionis, siue Status Religiosi, nihil enim horum tantam subiectionem & dependentiam voluntatis postulat) sed solum ex dispositione iuris: sicut enim ex dispositione iuris in omnibus votis impuberum est tacita conditio, si parens, vel tutor non contradixerit; ita in omnibus votis Religiosorum ex eiusdem iuris dispositione videtur inesse hæc tacita conditio, nisi Prælatus contradixerit. Nam sicut potestas ciuilis in contractibus potest apponere conditiones quæ semper intelligi censeantur, etiamsi à contrahentibus additæ, vel cogitatæ non fuerint; ita Ecclesia potest statuere in votis & iuramentis, quando iusta causa subest.

7. DICES *secundo*. Vnde constat Ecclesiam de votis Religiosorum ita statuisse. Resp. id colligi ex ipso vsu & praxi recepta in religionibus, quæ non potest aliunde, quam ex Ecclesiæ consensu prouenire. Excipitur tamen votum arctioris Religionis, quia iura concedunt omnibus Religiosis, vt possint trãsire ad arctiorem Religionem etiam inuito Superiore, ac proinde nõ volunt hoc votum in arbitrio Superioris constituere.

9. QVÆRES *secundo*. An postquam Prælatus consensit in votum, possit illud irritare? *Negant Richard. loc. cit. q. 3. & quidam recentiores. Primo*, quia postquam Prælatus consensit, non amplius votum est pendens, sed trãsit in absolutum: ergo Prælatus nihil amplius habet, quod circa illud agat. *Secundo*, si subditus ex consensu Prælati promittat aliquid homini, non potest reuocari: ergo neque si Deo. Contrarium tenet *Panorm. in c. Carissimus, de conuersatione coniugatorum. Sylu. v. votum 4. c. 2. Caiet. a. 8. Nauar. nu. 61. Sotus ar. 1.* Probatur *primo*, ex *D. August. q. 59. in nostros*, vbi apertè docet vxorem non amplius teneri voto, si vir contradixerit, etiamsi antea concessisset. Loquitur autem de votis ieiuniorum, & similibus, in quibus vir est caput mulieris. Idem ergo

dicendum de omnibus Superioribus. *Secundo*, quia Superior per consensum priorem non desinit esse Superior, nec censetur cessisse suo iure, quod habet in subditum quoad illam actionem: ergo si Superior eam prohibet, inferior tenetur obedire. *Tertio*, si sit iusta causa potest superior irritare. Atqui non est inferioris discutere, an talis causa subsit: ergo quandocumque Superior irritauerit, potest inferior censere se esse liberum. *Quarto*, successor potest irritare votum Religiosi, in quod Prælatus decessor consenserat, vt omnes fatentur: ergo idem poterat ipse decessor, quia non minor est ipsius potestas, quam successoris. Hæc sententia probabilior est, quamuis putem, non habere locum, quando materia non subest irritandi, sed solum persona ratione defectus iudicij: vt si pater consentiat in votum filij impuberis vouentis castitatem, vel Religionem, tunc enim non videtur amplius irritum posse reddere.

10. Ad *primum contrarium* Respond. Votum illud per consensum Prælati non ita fieri absolutum, vt à nulla amplius conditione dependeat, alioqui non posset irritari à prælato successore. Itaque manet in illo hæc tacita conditio, nisi aliquando Superior contradixerit, & merito quia non decet vt sit ligitium inter subditum & Superiorem in ijs, in quibus ille Superior est. Ad *secundum*. Etsi talis consensus non possit sine peccato reuocari absque legitima causa: tamen reuocatio valida est, ita vt subditus non possit rem promissam tradere, quia non solum promissio, sed etiam traditio & executio pendet à voluntate Superioris.

11. QVÆRES *tertio*. An vota Nouitiorum possint irritari à Prælato? Resp. *primo*, non possunt irritari, quia Nouitij sunt adhuc sui iuris, nondum in potestate Prælati. *Secundo*, possunt tamen suspendi, si illorum executio impediat exercitia probationis. *Tertio*, si non impediat, non possunt suspendi. Ita *Sylu.* v. *votum* 4.

7. Hinc sequitur vota realia non posse à Prælato suspendi, quamuis commutari possint in onera Religionis vel à Prælato, vel à Confessario, vel etiam (vt quibusdam videtur) ab ipso nouitio, quia est commutatio in id quod agenti melius est. Nota quando votum fuit suspensum, reuiuiscit obligatio, si contingat illum egredi ante professionem; si professionem fecerit, omnia commutantur ex dispositione iuris in vota professionis.

12. QVÆRES *quarto*. An vota impuberum possint irritari à patre? Resp. possunt irritari à patre, vel à tutore qui est loco patris; non tamen à matre, nisi mortuo patre sit loco tutoris. Colligitur ex c. *mulier*. 32. & ex c. 1. *de regul. in 6.* & ex c. *ad nostram de regul.* Ratio est, quia ante tempus pubertatis non præsumuntur habere satis iudicij, vt maturè de huiusmodi rebus statuere possint.

13. QVÆRES *quinto*. An vota impuberum, quæ ante pubertatem facta sunt, possint irritari à patre post pubertatem Negat *Sotus l. 7. q. 3. a. 2.* quia iam non amplius subiecti sunt quoad votum: sicut Dominus votum serui emissum in seruitute non potest irritare post seruitutem, eo quod iam sit extra ipsius potestatem. Contrarium rectius tenent *Caiet. q. 189. a. 5. Nauar. c. 12. num. 72. & aly*. Ratio est, quia illud votum ex interpretatione iuris erat conditionatum, nempe si parens vel tutor non contradixerit, quam conditionem per tractum tẽporis non amisit. Suppono enim nullam circa ipsum votum mutationem esse factam, neque illud in ætate pubere fuisse ratificatum. Itaque cum conditio adhuc maneat, & firmitatem voti quasi suspensam teneat: si parens nolit esse firmum, desinet obligatio: Nec est simile de seruo. Nam Dominus solum potest irritare votum serui, quatenus officit illius obsequiis. Vnde quando non potest amplius officere, non potest irritare.

14. QVÆRES *sexto*. Quid dicendum de votis impuberum, quæ cõferuntur in tẽpus pubertatis, vt si voueat

aliquid exequendum cum adoleuerit: Resp. Hæc eodem modo possunt irritari, vt docet *Sylu. v. votum 4. qu. 2. Nauar. c. 12. num. 67. Sotus l. 7. q. 3. a. 1.* Ratio est, quia omnia vota impuberum habent tacitam conditionem ex dispositione iuris, propter ætatis illius imprudentiam, quæ in omnibus illorum votis locum habet.

15. QVÆRES *septimo*. Vtrum vota seruorum vel mancipiorum possint irritari à Domino. Resp. possunt irritari, quatenus eius obsequio possunt esse impedimento, etiamsi ante seruitutem emissa essent; vt votum peregrinandi, aut recitandi horas canonicas: si non impediunt, non possunt; vt votum castitatis, votum se non inebriandi, signandi se cruce, commendandi se Deo, & omnia illa quæ referuntur ad tempus finitæ seruitutis.

16. QVÆRES *octauo*. An maritus possit irritare vota vxoris. Aliqui generatim affirmant, vt *Panorm. in c. scripturæ de Voto, Sotus suprà, Abulensis in c. 30. n. q. 80.* Alij sentiunt ea tantum irritari posse à marito quæ ipsi incommodant: vel quæ ad familiæ administrationem pertinent, in quibus maritus est caput vxoris. *Ita Palud. dist. 38. quæst. 4. art. 2. & passim Canonistæ.* Ratio, quia vxor non in omnibus est subiecta viro, nec in omnibus ipsius iuri officit: Nec censenda est ea iudicij debilitate, sicut impuberes, vt in omnibus dirigi debeat. Itaque maritus non potest tollere vota certarum precum, eleemosynarum (præsertim ex rebus quarum integram administrationem habet vxor) non mentiendi, non omittendi facti; potest tamen tollere votum ieiunij, peregrinationis.

17. QVÆRES *nono*. An Pontifex possit irritare omnia vota laicorum? Aliqui affirmãt, quia ipse est omniũ Superior, ac proinde eius authoritas censetur vbique recepta. Hæc tamen sententia non placet; quia non est Superior in omnibus publicis & priuatis, neque quoad domesticam gubernationem; sed solum in iis, quæ ad

totam Ecclesiam spectant; non enim potest præcipere, aut impedire, ne laicus ieiunet, ne peregrinetur, oret, eleemosynam largiatur: Idem dicendum de votis Clericorum sæcularium, nisi sint de rebus quæ ipsius administrationi officere queant, vt si voueat aliquis resignare beneficium suum in fauorem monasterij: vel si Episcopus voueat longam peregrinationem, aut ingredi Religionem.

Quæst. 10. *Quinam possint vota commutare, & quo pacto?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Vnusquisque potest propria sua authoritate commutare votum suum in id quod constat esse melius. Ita *Maior in 4. d. 38. qu. 3. Angelus verbo votum 4 quæst. 2. Caiet. hic art. 12. Sotus l. 7. quæst. 4. art. 3. Nauar. c. 12. num. 75. Couarr. in c. Quamuis pactum p. 1. §. 3. num. 4.* Probatur ex c. *peruenit 2. de iureiurando*, vbi dicitur; propositum seu promissum non infringit, qui in melius illud commutat. Ratio est, quia in eo quod melius est, censetur contineri quod minus est. Vnde qui dat melius, excellenter soluit quod promiserat: sic inter homines optimè soluit promissum, qui dat id quod promissario est gratius, vt si loco ouis promissæ det bouem; aut loco nummi argentei det aureum. Hinc fit, vt votum orādi 7. Psalmos possim commutare in votum faciendi sacrum, & peregrinationem ad locum vicinum, in peregrinationem Lauretanam, & omnia personalia & realia in votum Religionis, & votum ingrediendæ Religionis laxioris in strictiorem. Melius voco, non quod ex genere suo est præstantius, sed quod omnibus expensis Deo gratius est nos facere.

2. DICES *primo*. Commutatio votorum pertinet ad authoritatem Superioris, sicut & dispensatio, vt patet ex c. 1. *de voto & voti redemptione*, vbi dicitur commutationem voti pendere ab arbitrio Superioris: ergo

ficut nemo priuata authoritate potest in suo voto dispensare, ita nec commutare. *Secundo*, quia creditor soluens debitori rem meliorem, non soluitur ab obligatione, sed tenetur soluere quod debet, vt habetur *l. 2. ff. si certum petatur*. *Tertio*, quia nemo potest esse Iudex in propria causa. Ob hæc argumenta quidam putant, vota non posse propria authoritate in melius commutari, vt *Sylvest. v. votum 4. quæst. 7. vbi citat pro se Innoc. Ioann. Andr. & Goffredum*. Ad *primum* Respondeo. Commutatio requirit authoritatem Superioris, nisi quando non constat id esse melius, in quod fieri debet commutatio; vel enim requiritur authoritas Prælati, vt in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum, vt docet *Diu. Thom. ar. 12.* ac proinde non erit necessaria, quando id est per se satis notum: vel requiritur vt nomine Dei condonet priorem obligationem pro posteriore, & hoc non est necessarium in proposito casu, quia promissio rei minoris abundè soluitur in re maiori, ita vt non sit opus beneficio condonationis. Ad *secundum*. Lex illa intelligenda est de re meliore, quæ tamen non sit gratior creditori: sæpe enim quod melius est, homini non est gratius. Ad *tertium*, nemo potest esse Iudex in propria causa inuita parte; potest tamen si pars consentiat: hoc autem fit in proposito.

3. QVÆRES An aliquis sua authoritate votum reale factum in fauorem huius Ecclesiæ, vel pię causæ, possit commutare in votum reale melius, quod sit in commodũ alterius Ecclesiæ? Vt si vouisti dare 3. aureos Ecclesiæ B. Petri, an possis commutare in calicem aureum Ecclesiæ B. Virginis. Quidam putant, ne authoritate quidem Episcopi id fieri posse. Ratio est, quia in causis piis per promissionem ius acquiritur absenti, vt possit rem promissam exigere, vt patet L. *illud*, & L. *vt inter*, C. *de sacros. Eccles. & ita tenet Archidia. aliique Canonistæ apud Sylu. v. votum 4. qu. 7.* Resp. Probabilius est posse

tale votum etiam ab ipso vouente in melius commutari. Ratio est, quia per tale votum non acquiritur ius pio loco vel Ecclesiæ, sed solum Deo, cui ipsum votum fit, cui gratum est illud in melius commutari, vt ostendit *Caiet. tom. 2. opusc. 11. q. 3.*

4. DICES. Quid si addatur promissio, qua res promittatur Ecclesiæ, vel sancto illius Ecclesiæ præsidi. Resp. Tunc est distinguendum: si enim verba promissionis dirigantur ad Sanctum, solum acquiritur ius ipsi Sancto, cui gratum est promissionem illam in melius commutari: si autem dirigantur ad Ecclesiam, vel prælatum, Ecclesia nullum ius acquirit, nisi promissio acceptetur: vnde ante acceptationem potest commutari in melius ad commodum alterius propria authoritate: post acceptationem non potest nisi à prælato.

5 SECVNDA CONCLVSIO. Omnia vota ante emissa possunt cõmutari propria authoritate in vota Religionis: nempè Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ. Est communis, & colligitur ex c. *Scripturæ de Voto*, vbi Alexander III. sic ait: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis obseruantiam nouit commutare.* Vota Nouitiorũ ante emissa possunt durante nouitiatu authoritate Prælati commutari in exercitia Religionis, donec vel profiteantur, vel egrediantur. Vide *Syluest. v. votum 4. qu. 7.*

6. TERTIA CONCLVSIO. Quisquis habet potestatem dispensandi ordinariam vel delegatam, habet etiam commutandi: non tamen contra. Prima pars est *Palud. in 4. d. 3. q. 4. art. 3. Sylu. v. votum 4. q. 3. Sot. l. 6. q. 4. art. 3. Couar. de pact. p. 1. §. 3. num. 10.* Ratio est, quia commutatio est quædam pars dispensationis, vel imperfecta quædam dispensatio, vt patet ex c. 1. *de voto*: qui autem potest quod maius est, potest etiam quod minus est. Hinc probatur secunda pars, quia non statim qui potest quod minus est, potest etiam quod maius est.

7. QVARTA CONCLVSIO. Quod ad modum commutationis attinet, qui solum habet potestatem commutandi, debet commutare in æquale, & penè æquale: si enim notabiliter esset minus, admisceretur dispensatio: quanquam probabile sit, priuilegium commutandi, ita intelligendum esse, vt possit fieri in minus. Nam vt fiat in æquale, non requiritur priuilegium, iuxta multorum sententiam. Itaque admiscetur fere semper parua dispensatio.

8. QVINTA CONCLVSIO. Quod ad causam attinet, ad cõmutationem minor requiritur causa quam ad dispensationem, quia dispensatio omnino liberat, commutatio aliud subrogat. Vnde si commutatio fiat in melius, nulla alia causa requiritur, si in æquale & authoritate Superioris, sufficit maior voluntatis in illud propensio. Si autem dubitetur an sit æquale; sufficit aliqua notabilis molestia in implendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia parentis aut mariti, vel simile quoddam iuxta prudentis æstimationem.

9. QVÆRES. An facta commutatione possit vouens redire ad prius votum omisso eo, in quod facta est commutatio? Resp. Potest quia facta est in ipsius fauorem, vnde potest ei renunciare: alioqui non tam esset fauor, quam onus.

Quæst. II. *Quinam possint in votis dispensare?*

1. DIspensare in voto nihil aliud est, quam relaxare voti vinculum, & tollere eius obligationem, condonando nomine Dei illud debitum, quod erga Deum vouendo contraximus.

2. PRIMA CONCLVSIO. In Ecclesia est potestas dispensandi in votis, iuramentis, & similibus obligationibus erga Deum contractis, vt patet ex perpetuo vsu Ecclesiæ: Probatur *primo*, ex illo 2. *Cor.* 2. *nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi,*

vbi Apostolus significat se condonasse debitum pe[illegible] contractum ex culpa. Hinc colligitur re[illegible] *D. Th.* [illegible] *& alij Theologi*, Ecclesiæ Prælatos posse condonare [illegible] mine Dei debitum contractum ex voto [illegible] iuramento. Ratio est, quia si Christus Ecclesiæ suæ [illegible] tulit potestatem soluendi à vinculo culpæ & pœnæ, cur non etiam à vinculo votorum & iuramentorum? præsertim cum id sæpè ad salutem animarum sit necessarium.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc potestas ordinario competit solis Prælatis habentibus iurisdictionem in foro externo. Probatur *prima*, quia pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas relaxandi leges, aut excommunicandi. *Secundo*, quia non est potestas ordinis, sed iurisdictionis: ergo ordinariè non competit nisi habenti iurisdictionem externam. Dixi *ordinariè*, quia ex delegatione, vel privilegio, potest aliis conferri.

4. TERTIA CONCLVSIO. Episcopi iure ordinario possunt in omnibus suorum subditorum votis dispensare, exceptis iis, quæ summo Pontifici sunt reseruata. Est communis. Ratio est, quia Episcopus, seposita reseruatione Pontificis, potest omnia in sua Diœcesi, quæ potest Pontifex in tota Ecclesia.

5. QVÆRES. quænam vota sint Pontifici reseruata? *D. Thom. a.* 10. dicit ei reseruari vota perpetua. Hi addit *a.* 12. votum peregrinationis terræ sanctæ. Resp. communis ferè sententia est, hæc quinque esse illi reseruata, votum castitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Iacob. Compostellam, & vltra marinæ, seu in terram sanctam. Hinc sequitur Episcopum posse dispensare. *Primo*, in voto paupertatis, & obedientiæ perpetuæ in tali religione. *Secundo*, in voto castitatis non perpetuæ. *Tertio*, in voto non petendi debitum. *Quarto*, in voto nubendi. *Quinto*, in voto suscipiendi sacros ordines. *Sexto*, in

7. Suidam qualitatibus substantiæ voti reseruati addum cedis, vt si votti ingredi religionem strictam, potest ce commutare in arctiorem: aut si voluisti peregrinari pedibus, potest concedere equum.

6. Qvarta Conclvsio. Prælati Regularium habet potestatem quasi Episcopalem in suos, possunt dispensare in votis Regularium, sicut Episcopus in votis suorum subditorum. Est communis. Ratio est, quia quando aliqua Religio vel Monasterium eximitur per Pontificem ab iurisdictione Episcopi, tunc concedunt Prælato ea omnia, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis.

7. Qvinta Conclvsio. Confessarij ordinum mendicantium possunt ex priuilegio Pontificis dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas; id est, 40. milliaria Italica, vt patet ex *compendio priuileg. FF. Minorum num.* 115. quorum priuilegia cum reliquis ordinibus mendicantium communicantur.

8. Sexta Conclvsio. Parochi non habent potestatem dispensandi, ne quidem in articulo mortis. Ratio est, quia carent iurisdictione fori externi: ergo non habent potestatem ordinariam dispensandi: imò nec delegatam, quia nulla extant de hac re eorũ priuilegia.

9. Septima Conclvsio. Vt dispensatio sit valida requiritur, vt subsit iusta causa. Ita *D. Thom. ar.* 12. *ad* 2. *& alij omnes.* Ratio est, quia nulla auctoritas potest validè condonare, quod Deo debetur, si iusta causa condonandi non subsit: Deus enim huiusmodi condonationem ratam non habet: vt si quis absoluatur sine legitima dispensatione est inualida absolutio. Confirmatur, quia potestas dispensandi data est Ecclesiæ ad ædificationem, non ad destructionem.

10. Qværes. Quæ sit iusta causa dispensationis voti? Respond. generatim loquendo sunt duæ iustæ

causæ, nempe vtilitas Ecclesiæ, & honor Dei, vt docet D. Thom. art. 12. Item vtilitas vouentis & magnanimitas eiusdem, per quam timetur sæpe victurus. Vide Nauarr. cap. 12. num. 77. Sot. lib. 7. quæst. 4. a. 3. Caiet. a. 12.

Quæst. 12. *An Papa possit dispensare in voto solemni castitatis Religiosorum?*

1. NEgat D. Thom. art. 11. Ratio eius est, quia votum castitatis est essentialiter annexum statui Religioso: ergo ab eo non potest diuelli: ergo nec tolli potest ab homine habente talem statum, quia ille status non potest tolli ab homine. Hoc probatur, quia hic status consistit in quadam consecratione per quam homo totus Deo consecratur: id autem quod semel Deo consecratum est, non potest amplius ad vsus humanos conuerti, nec potest desinere esse consecratum quamdiu integrum manet: vt patet in calice consecrato, & in homine consecrato in sacerdotem; ergo qui semel consecratus est per votum Religionis, non potest desinere esse Religiosus. Hinc vlterius infert D. Tho. non posse dispensari in voto solemni paupertatis & obedientiæ: quia etiam hæc vota essentialiter sunt statui Religioso annexa, vel potius innixa, & intrinsecè inclusa. Hic est totus discursus D. Thom. qui consistit in duabus propositionibus. Prior est. Votum castitatis est essentialiter annexum statui Religioso. Hæc est verissima & ab omnibus conceditur: & apertè colligitur ex capite cum ad Monasterium de statu Monach. Altera est, Status Religiosus non potest tolli ab homine quamdiu viuit: hæc est ambigua, & à multis negatur. Eandem sententiam (licet non eodem fundamento) tenent *Altisiodorensis l. 3. summæ cap. 22. Glossa in cap. cum ad Monast. de stat. Monach. & in cap. 1. de voto & voti redempt. Alb. in 4. d. 38. art. 7. Almayn. tract. de potestate Papæ cap. 3. Syluest. totum 4. quæst. 9. Sot. l. 7. de iust. quæst. 4. art. 2.*

7. Sa Arrag part. II. Armilla V. dispensatio num. 12. du Probatur *prim* quia nihil est melius continentia, quo tes possit per ea fieri compensatio, iuxta illud *Ecclesiastici* n 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* Se- d *cundo*, in voto solemni est traditio sui; in voto simplici n solum est professio: id autem quod semel est traditum N non potest vnquam repeti. *Tertio*, si posset Papa dispen- t sare in voto continentiæ solemni, posset fieri vt viuente priore vxore posset quis ducere secundam, vt si Petrus ductâ vxore ante matrimonium consummatum ingrediatur Religionem: deinde Papâ dispẽsante egrediatur, & ducat secundam. *Quarto*, si talis voti vinculum posset tollere, posset etiam tollere vinculum matrimonij rati quod soluitur professione. Atqui hoc videtur absurdum: ergo.

2. PRIMA CONCLVSIO. Solemnitas voti Religiosorum non consistit in aliqua benedictione vel cõsecratione, vt innuit *D. Thom.* nec etiam traditione & acceptatione, vt volunt *Sotus & Arrag.* sed in eo quod ipsum votũ coniunctum sit professioni Religionis approbatæ, vel susceptioni sacri ordinis. Prima pars probatur, quia nulla benedictio aut consecratio est necessaria præter eam, quæ fit ab ipso vouente per votum, quo se Deo consecrat, qualis reperitur etiam in voto simplici. Nec refert quod in aliquibus Religionibus fiat aliqua benedictio à superiore, quia hæc non fit in omnibus: non enim fit in ordinibus mendicantium, nec est cõstitutiua rei sacræ, qua res accipiat quoddam esse sactum (qualis est benedictio aquæ, salis, vestium sacrarum) sed est tantùm innocatiua, sicut benedictio Pontificis & Episcopi super populum, & benedictio mẽsæ. Secunda pars probatur, quia etiã in voto simplici castitatis fit traditio sui corporis ad cultũ Dei; & acceptatio, tũ à Deo tũ à Prælato, vt patet in ijs qui vouent castitatẽ in manib⁹ Episcopi, & qui tria vota substãtialia

faciunt

faciunt in nostra societate. Tertia pars apertè patet ex c. *Quod votum, de Voto in* 6. vbi Pontifex dicit votum solemnizari per susceptionem ordinis sacri, aut professionem Religionis: consistit ergo solemnitas eius formaliter in coniunctione cum professione aut susceptione ordinis. Idem expressè habet *Greg. XIII.* in constitutione quæ incipit: *Ascendente Domino.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Solemnitas voti introducta est ex sola Ecclesiæ constitutione, vt expressè habetur in *can. cit.* & in *constitut. Gregor XIII.* Dicitur autem esse ex constitutione Ecclesiæ, *Primo*, quia Ecclesia approbat Religiones, sine qua approbatione votum non esset solemne, sed simplex. *Secundo*, quia statuit vt ratione huius coniunctionis censeatur solemne, & habere certos effectus, quos per se non haberet: nempe vt reddat inhabilem ad matrimonium. *Tertio*, quia Ecclesia potest plura, vel pauciora ad voti solemnitatem requirere, plures, vel pauciores effectus ei tribuere: sicut etiam ad solemnitatem matrimonij plura vel pauciora potest exigere.

4. TERTIA CONCLVSIO. Papa ex iusta causa potest relaxare votum solemne Religionis, & concedere vt matrimonium contrahant. Ita *passim Canonistæ teste Navarr. cap. 12. num. 77. & plerique Theologi, Henricus quodlibet. 5. quæst. 22. Richard. in 4. d. 38. art. 1. Scotus & Durand. ibidem quæst. 2. Palud. quæst. 4. D. Thom. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. ad 3.* Quamuis hic mutarit postea sententiam ex prauo intellectu decretalis *Cum ad monasterium*, teste *Caietano art. 11.* Probatur *primo*, quia Pontifex potest relaxare votum simplex castitatis perpetuæ, vt omnes concedunt: ergo etiam solemne, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ constitutione est introducta. At Ecclesia potest relaxare suam constitutionem. *Secundo*, Pontifex potest dispensare in voto solemni Clericorum, vt fatetur *D. Thom. & alij passim*: ergo vt pa-

in voto solemni monachorum: non enim illud est minus solemne, nec minus continet sui traditionem, quã hoc: nec refert, quod illud non sit essentialiter annexum ordini sacro, sicut hoc statui Religioso, quia inde solum sequitur fieri non posse, vt quis maneat Religiosus soluto voto, non autem sequitur votum tolli non posse vnà cum statu Religioso. *Tertiò* probatur, quia Pontifex sæpe vsus est hac potestate, vt fide digni authores referunt. *Primo*, quia cum Nicolao Iustiniano Monacho professo dispensauit *Alexander III.* vt posset vxorem ducere, ne familia tam illustris extingueretur, ex qua susceptis sex filiis, & tribus filiabus, rediit ad monasterium, & post multis miraculis claruit. Habetur in *vita S. Laurent. Iustiniani, & apud Volaterr. lib. 4. hist.* Secundo cum Rege Arragoniæ dispensauit, qui cum esset Monachus professus, & eius pater sine liberis obiisset, solutus est votis monasticis, vt vxorem duceret, *teste Pelud. d. 38. quæst. 4. art. 4.* & refertur in *annal. Hispaniæ. Tertio*, dispensauit cum Constantia filia Regis Siciliæ Noniali professa, vt nuberet Henrico VI. vt refert *Platina in Cœlestino III.*

5. Ad argumentum D. Thom. negandum est, statum Religiosorum non posse auferri ab homine, non enim consistit in aliqua consecratione, sed in ipsa votorũ obligatione, quatenus fit in professione Religionis approbatæ: obligatio enim voti potest auferri ab homine, vt patet in voto sacris ordinibus annexo. Ad *primum aliorum* Resp. Negando nihil esse, quo continẽtia possit compensari. Nam oratio & contemplatio est multo præstantior, quia est finis continentiæ: & tamen votum horum potest relaxari. Deinde scriptura non confert continentiam cum cæteris virtutibus, sed cum talentis auri. Ad *secundum*. Etiam in voto simplici est traditio sui, quia per votum simplex castitatis statim tenetur homo omnia ea, ad quæ per votum castitatis solem-

he tenetur. Ad *tertium* negandum est illum habiturum duas vxores viuas, quia prior desiit esse vxor, cùm per professionem Religionis solutum sit vinculum coniugale. Ad *Quartum*. Non est absurdum, sed valde probabile, Pontificem ex causa posse dispensare in matrimonio rato non consummato, vt docent plerique Canonistæ & Iurisperiti.

## QVÆSTIO LXXXIX.

### *DE IVRAMENTO.*

Quæst. 1. *Quid sit iuramentum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Iuramentum est *attestatio diuini Numinis, vel inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.* Hinc patet duplicem esse finem iuramenti: nempè fidem facere, & promissionem firmare: ac proinde duplex est iuramentum, assertorium, & promissorium. De quo infra.

2. DICES. Quidam iurant per falsos Deos in quibus nihil est numinis: vel per creaturas: ergo non omne iuramentum est attestatio diuini numinis. Respondeo. Iuramentum per falsos Deos non est verum iuramentum, neque obligat nisi ex conscientia erronea, qua nulla reuerentia illis debetur. Vnde non est per se peccatum mortale iurare falsum per Iouem, si scias Iouem nihil esse, quia verè non iuras, sed iocaris, & ludis imagine iuramenti, perinde ac si chymeram testeris, nisi fortè fiat seriò, vel ad imperium Tyranni, vel cum illis circumstantiis, vt videaris Ioui honorem diuinum deferre. Infidelis tamen putans Iouem esse Deum, erit periurus saltem affectu & culpa, si falsum iuret, vel promissa iurata non seruet. Iuramentū autē per creaturas est verum iuramentum: quia cum sic iuramus, non volumus ipsas nobis esse testes, sed eum qui in ipsis singulari modo præsidet & relucet, cuius ipsę sunt templū, sedes, thronus, tabernaculū, scabellum pedum, vt patet

7. dum *Matth.* 5. & 23. Possumus tamen etiam Sanctos secundum se in testes vocare, vt testor B. V. Sanct. Petrum iuxta illud 2. *Timoth.* 5. *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis eius*, sed in tali casu non est proprie iuramentum, aut actus religionis, sed obseruantiæ seu dulliæ supernaturalis, sicut supra dictum est de oratione ad Sanctos directa.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Duo requiruntur ad essentiam iuramenti: intentio iurandi, seu Deum testem faciendi, & locutio qua in testem vocetur, quæ locutio partim est interna pertinens ad intellectum, partim externa, quæ voce vel signo exprimitur. Si alterum horum desit, non erit iuramentum. Hinc patet *primo*, Eos, qui ex ira iurant, proprie non iurare, sed potius imprecari malum, vel patefacere iram. Deest enim intentio iurandi: *Secundo* nec eos iurare, qui vtuntur his formulis: per fidem meam, Fide boni viri, fide boni sacerdotis, vel Christiani, vt ordinariè accipiunt, vt docet *Nauarr. cap.* 12. *num.* 2. *Caiet. hic art.* 6. *Sotus lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. Ratio est, quia qui sic loquuntur, non intendunt iurare, sed solum significare se loqui ex virtute fidei, aut veritatis, quam Vir bonus, Christianus, Sacerdos, in dictis & promissis suis adhibere debet: si tamen intelligant fidem Catholicam, erit iuramentum; qui enim dicit per fidem Catholicam, per Sanctum Euangelium, censetur authorem illius in testem adducere. *Tertio* patet, nec eos iurare, qui aiunt per meam conscientiam, super meam conscientiam, in conscientia, in veritate: quia tantum significant se loqui ex conscientia, ex veritatis notitia, censetur tamen esse iuramentum, si quis dicat, coram Deo loquor, scit Deus ita esse, Deus videt me vera dicere. Simile est illud Apost. *Galat.* 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.*

Quæst. 2. *Quotuplex sit iuramentum?*

1. PRIMA DIVISIO. Aliud est per simplicem contestationem, in quo Deus solum vt testis vocatur v. g. testis mihi sit Deus, testor Deum, iuro per Deum, quæ omnia idem valent, vt docet *Aug. sermone 28. de verbis Apostoli*: aliud per execrationem in quo Deus vocatur etiam in vindicem, vt scilicet puniendo testetur, si fallo: Sic Apost. 2. *Cor. 1. Testem inuoco Deum in animam meam.* Item peream, dispeream: ita me Deus amet, adiuuet: ita mihi sit propitius. Nam in his non solum significatur, vt sit propitius si est verum: sed etiam vt non sit propitius, si falsum. Item illud, quod olim frequens apud populum Iudaicum: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat. Aliquando non nostram personam, sed nobis coniunctam obligamus Deo, vt in ea nos puniat, si fallimus, vt v. g. per vitam filij, vxoris, per salutem Regis.

2. SECVNDA DIVISIO. Aliud est per Deum: aliud per creaturam. Potest autem creatura spectari 4. modis. *Primo* secundum se. *Secundo* vt in ea relucet vel apprehenditur numen diuinum. *Tertio* vt est aliquid ad nos pertinens, quod obligamus Deo. *Quarto*, vt falsò putatur habere aliquid diuinitatis. Si *primo modo* spectetur; non est verum iuramentum per creaturam; quia ipsa vel per se testis esse non potest: vel non vt prima veritas. Vel enim ipsa non cognoscit quod dicimus, & sic stultum est illã in testem adducere: vel cognoscit, vt sancti in cœlo, & sic potest quidem vocari secundum se in testem, sed non vt suprema veritas. Vnde non est propriè iuramentum sed actus duliæ, vt ante dictum est. Si *secundo modo* spectetur, vt continens singulari modo, & simul quodammodo inuoluens diuinum numen, sic per illam est verum iuramentum. Hoc modo, qui iurat per cœlum, censetur iurare per eum qui ibi colitur. Si *tertio modo* spectetur, erit iuramentum

Execratorium, vt cum iuramus per animam, vel vitam Parentis, vel rem aliam nobis charam. Sic Ioseph per vitam Pharaonis, *Gen.* 42. *Si quarto modo* spectetur tanquam ipsa aliquid diuinitatis habeat, erit blasphemia, & species Idololatriæ.

3. TERTIA DIVISIO. Aliud est simplex: aliud solemne. *Solemne* est quod habet aliquam notabilem circumstantiam externam, vt si fiat coram testibus, vel Notario, vel in tribunali, vel tactis Euangeliis, aut reliquiis. *Simplex* quod caret huiusmodi circumstantia. Vtriusque eadem vis est coram Deo; si tamen solemne violetur est maius peccatum propter scandalum.

4. QVINTA DIVISIO. Aliud est assertorium: aliud promissorium: aliud comminatorium. *Assertorium* adhibetur solum vt credatur aliquid, quod aliter probare non possumus. *Promissorium* est, quo intendimus nos alteri obstringere, vel promissionem nostram confirmare. *Comminatorium* est, quo minamur alteri pœnam.

5. QVINTA DIVISIO. Aliud est absolutum: aliud conditionale: hoc habet tacitam vel expressam conditionem. Tacita conditio subest vel ex iuris dispositione, vel ex iurantis intentione.

Quæst. 3. *An licitum sit iurare siue per Deum, siue per creaturas:*

1. PRIMA CONCLVSIO. Id licitum est, tametsi Pelagiani, Vvaldenses, & Anabaptistæ negent. Probatur *primo*, quia ex Scripturis constat, viros sanctissimos in contractibus iurasse. Nam *Genes.* 21. Abraham fœdus iniit cum Abimelech, & illud iuramento confirmauit. Idem fecit Isaac *Genes.* 19. cum eodem Abimelech, vel eius successore. Item Iacob. *Genes.* 31. cum Laban. *Secundo* probatur ex vsu omnium gentium & tribunalium: omnis enim controuersiæ finis est iuramentum, teste Apostolo, *Heb.* 6. *v.* 3. quia iura-

mentum facit, vt ex reuerentia diuini numinis veritatem dicamus, pacta custodiamus, fidem seruemus, pacem retineamus, ab iniuriis abstineamus, controuersias dirimamus, quæ omnia valdè bona sunt, & rebus humanis necessaria.

2. Obiicies *primo*, *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum.* Et infrà. *Sit autem sermo vester est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Et *Iacob.* 1. *Nolite iurare quodcumque iuramentum.* Resp. Christus & Apostolus corrigunt errorem Pharisæorum, qui putabant licitum esse quâuis occasione iurare per creaturas, & tale iuramentum non obligare: significant ergo iuramentum extra necessitatem adhibitum, vbi simplex affirmatio vel negatio sufficit, à Diabolo, non à Deo introductum esse, ideoque valdè cauendum.

3. Obiicies *secundo*. *C. Clericorum* 22. *quæst.* 1. dicitur clericum per creaturas iurantem esse acerrimè obiurgandum, & si perstiterit in vitio, excommunicandum. Resp. Loquitur de Clerico iurante per creaturas more Ethnico, velut Deos quosdam, vt per Iouem, Mineruam, Solem. Quamuis enim non credantur Dij, tamen turpe est Christiano & scandalosum sic iurare, quia externo actu videtur illis deferre cultum diuinum, & periculum est, ne sensim putetur aliquid diuinum illis inesse.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Vt non peccetur in vsu iuramenti, requiruntur 3. conditiones, vt docet *D. Thom. art.* 3. *& cæteri Theologi.* Veritas, Iustitia, & Iudicium, iuxta illud *Ier.* 4. *Iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia*: quasi dicat, iurabis in re vera, & iusta, & cum debita discretione & reuerentia.

Quæst. 4. *An iramentum promissorium liberè factum semper obliget?*

1. ID quod promittitur vel est bonum exequi, vel est malum, vel indifferens. Item vel sub aliqua conditione, vel nulla.

2. PRIMA CONCLVSIO. *Si executio eius quod promittitur sit peccatum, iuramentum promissioni adiunctum non obligat.* Ratio est, quia implicat contradictionem obligari aliquem ad peccatum. Vnde tali iuramento dicitur *deesse iustitia.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. *Si quis iuret se aliquid facturum quod est indifferens, vel quod non fieri est melius, non obligatur; nisi fortè sit factum in fauorem alterius.* Colligitur ex *D.Thom. art.7. Caiet. ibidem. Nauarr. c.12.num.12. Sot. l.7.qu.1.art.3.* Ratio est, quia quando iuramentum non est in fauorem alterius, solum potest obligare per modum voti, cum solum Deum respiciat. Atqui votum de tali re non obligat: ergo nec iuramentum. *Secundo*, quando iuramentum est factum in fauorem alterius, non obligat ipso nolente vel condonante debitum: ergo si factum sit in fauorem proprium, non obligabit, si is qui fecit, mutet propositum, & nolit impleri, v. g. si iureste hodie non ambulaturum, non egressurum domo, vel contrarium huius, nullo fine honesto; sed vel ex indignatione, vel ob aliquod commodum aut incommodum naturæ.

4. TERTIA CONCLVSIO. *Quando promissio de re bona habet tacitam aliquam conditionem vel restrictionem, siue ex mente loquentis, siue ex dispositione iuris, siue ex recepta consuetudine; tunc iuramentum illi appositum censetur habere eandem conditionem.* Est communis apud *Couarr. in c. Quamuis pactum, p.2.d.4.* quia iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit. Accessorium enim sequitur naturam principalis, vt habet *regula 42. iuris in 6.* Itaque si

actus habet tacitam conditionem, etiam iuramentum habere censetur. Confirmatur, quia iuramentum non additur, vt promissio aliter accipiatur, quam per se accipi solet, sed vt eo modo intellecta quo solet intelligi, non possit reuocari. Itaque non tollit nec excludit solitas conditiones.

Quæst. 5. *An iuramentum promissorium metu graui extortum obliget?*

1. VIdetur non obligare. *Primo*, quia talis promissio est irrita, vel arbitrio promittentis saltem potest reuocari, vt passim docent Theologi: ergo etiam iuramentum illi appositum est irritum, quia iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit. *Secundo*, quia votum tali metu extortum non obligat, vt supra dictum: ergo nec iuramentum. *Tertio*, quia tali iuramento deest consensus: nihil enim tam contrarium consensui, quam vis & metus, vt habetur l. *Nihil consensui*, §. *de Regula iuris*.

2. CONCLVSIO. Certum est tale iuramentum metu expressum obligare, modo factum sit animo obligandi, & de re licita. Est communis *in* 3. *d.* 39. Ratio est, quia iure naturæ tenemur efficere vt verum sit quod iuramus, ne Deum efficiamus testem falsi. Hæc enim est magna iniuria in talem maiestatem: neque refert, vtrum id quod iuramento promissum est, sit per se actus virtutis, nec ne: sufficit rem esse indifferentem, quæ sine peccato positâ promissione fieri possit. Confirmatur, quia soluere vsuras non est per se bonum, sed potius habet speciem mali, cùm præbeat occasionem maioris iniquitatis: & tamen si iuramento promisisti, teneris vt habetur c. *debitores*, *de vsuris*. Hinc sequitur *primo*, eum qui pro redimenda vita promisit latroni cum iuramento 100. aureos, teneri soluere. Nam etsi latro ex hac promissione nihil iuris acquisierit, eique nulla fiat

iniuria, si non soluas; tamen Deus ius habet, vt verifices id ad quod eum testem adduxisti: postquam tamen soluisti latroni, potes repetere, quia momentaneâ solutione satisfacis iuramento, quando iniuria causam dedit. *Secundo*, sequitur eum, qui iureiurando promisit se rediturum ad carcerem, quamuis iniurioſum, teneri, etiamsi sciat se iniustè plectendum, vt docet *Caiet. & Soto supra. Sylu.* v. *Iuram.* 4. *quæst.* 26. *Toletus l.* 4. *c.* 22. Ratio est, quia illa promissio fuit prudens. Nam sine illa non potuit obtinere reditum ad res suas componendas: ergo eius executio est licita, quia licitum est exequi quod prudenter promittitur: ergo executio est seruanda si fuerit iuramento confirmata.

3. Ad *primum argumentum* Respondeo. Vt iuramentum obliget, non requiri, vt promissio per se obliget, sed satis est vt eius executio sit licita. Dicitur autem iuramentum sequi naturam actus, non quoad firmitatem, vel irritationem, vt per se notum est: sed quoad conditiones tacitas, & alias limitationes, quas contractus ex iure, consuetudine, vel contrahentium mente habet. Ad *secundum* non est eadem ratio voti & iuramenti. Nam in voto spectatur solum, an executio operis sit Deo gratior, an eius omissio: in iuramento autem, an executio sit licita, & promissario commoda. Ad *tertium*. Non deest consensus, qui iure naturali ad substantiam actus est necessarius. Nam qui metu consentit, absolutè, voluntariè consentit, secundum quid inuoluntariè.

Quæst. 6. *An iuramentum dolo vel errore extortum obliget?*

1. NOTA, Dolum & errorem posse versari vel circa substantiam rei, vel circa qualitatem.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si dolus versetur circa substantiam, vt si putes vitrum esse gemmam, vel aurichalcum esse aurum, certum est iuramentum appositũ contractui, cui talis error causam dederit, irritum,

esse; quia deest consensus. Itaque qui læsus est ex huiusmodi contractu vel promissione, non tenetur, quia mens eius non fuit contrahere super hac re, sed super aliâ.

3. Secunda Conclusio. Si dolus versetur circa qualitatem rei, & causam contractui dederit, plerique docent iuramentum non obligare, vt *Nauarr. ca. 12. num. 13. Sylu. v. Iuramentum 4. quæst. 8. & alij ab illis citati.* Probatur *primo*, quia vbi dolus est, excluditur voluntas l. 1. *ff. de dolo. Secundo*, quia iuramentum non obligat contra mentem & intentionem iurantis c. *Vemens, de iureiurand. Tertio*, quia Deus non acceptat iuramentum nisi secundum intentionem eius, qui bonâ fide iurat: non autem secundum intentionem eius qui fraude extorsit c. *Humanæ aures. 22. quæst. 5.*

Quæst. 7. *An qui ficto animo aliquid promittit cum iuramento obligetur?*

1. Tribus modis fieri potest, vt quis ficto animo iuret. *Primo*, si exterius iuret sine animo iurandi. *Secundo*, si iuret animo quidem iurandi: non tamen se obligandi. *Tertio*, si iuret animo non implendi.

2. Prima Conclusio. Si primo modo iures, nempe absque animo iurandi, non obligaris ex vi iuramenti coram Deo, quia reuera non iuras, sed simulas & fingis te iurare. Nota tamen, si occcasione talis iuramenti obueniat damnum parti, teneris illud sarcire, quia causam dedisti, nisi fortè per iniuriã fit extortum. Similiter si scandalum iuramento non seruato nasceretur, teneris ratione scandali. Denique in foro externo poteris cogi ad seruandum iuramentum, nisi fortè metu extortum esset: tunc enim per Iudicem est relaxandum.

3. Secunda Conclusio. Si secundo modo iures, nempe animo non obligandi, multi putant te non teneri vi iuramenti, vt *Bonauent. in 3. d. 36. art. 3. quæst. 2. Scotus ibid. Sylu. v. Iuramen. 4. quæst. 7. vbi citat multos*

dios; Probabilius tamen est tale iuramentum, si seriâ intentione iurandi factum sit, obligare, etiamsi animus se obligandi defuerit. Ita *Caiet. art. 7. Sotus l. 8. quæst. 1. art. 7. & multi recentiores.* Ratio est, quia obligatio est omnino inseparabilis à iuramento promissorio: nec est in potestate hominis efficere, vt sit tale iuramentum, & ex ea non nascatur obligatio. Confirmatur, quia ex iuramento nascitur obligatio non ratione intentionis obligandi, vt in contractibus; sed ex natura operis, sicut ex damno illato nascitur obligatio restitutionis.

4 Tertia Conclvsio. Si tertio modo iures nempe absque animo implendi, quidam putant non nasci obligationem: contrarium tamen est probabilius. Ratio est, quia in contractibus animus non soluendi non tollit obligationem: ergo neque in iuramento. Confirmatur, quia prius est obligari quam exequi, cum executio nascatur ex obligatione: ergo ex eo quod desit animus exequendi, non tollitur obligatio, quia sublato posteriore non tollitur quod prius est.

## Quæst. 8. *An, si alio sensu, quàm aliter intelligit, iures, obligeris?*

1. Hoc dupliciter fieri potest. *Primo*, si oratio sit ambigua, & tu de industria alium sensum intendas, quam is qui iuramentum exigit. *Secundo*, si non sit per se ambigua, sed illi tacitè aliquam restrictionem addas. Rursus vel sponte iuras, vel compulsus ab alio, idque vel iure vel iniuria.

2. Prima Conclvsio. Qui alio sensu iurauit, non tenetur præcisè ex vi iuramenti, nisi iuxta suum sensum. Ita *Couarr. in c. Quamuis pactum p. 1. §. 5. Caiet. & Arrag. art. 7. Sotus l. 8. qu. 1. art. 7.* Ratio est, quia iuramentum vi sua solum obligat ad id quod per ipsum est confirmatum & assertum, quia ad hoc so-

lum is qui iurat, Deum in testem adducit. Sed solum id assertum est, quod iurans in mente habuit: ergo solum ad illud præstandum tenetur.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Quando quis sponte sua se offert ad iuramentum, vel legitimè ad hoc compellitur, peccat mortaliter, si alieno sensu iuret. Ita *Nauarr. cap.* 12. *num.* 8. *Caietan. Sotus, Arrag.* quod maximè verum est in iudicijs & contractibus. Nam in contractibus est grauis deceptio: in iudicijs vero peruertitur iudicium, & fit contra obedientiam superioris.

4. TERTIA CONCLVSIO. Quando quis iniustè cogitur ad iuramẽtum, vel alias habet iustam causam celandi mentem suam oratione ambigua, vel tacita restrictione, non peccat: etiamsi alieno sensu iuret: præsertim si necessitas, vel vtilitas iuramentum exigat. De oratione ambigua est ferè communis sententia. Ratio est, quia cum non teneatur loqui ad mentem alterius, potest orationem in aliam sententiam vsurpare, & aliena à proposito alterius respondere. De restrictione occultâ aliqui negant, quia oratio illa, quæ exterius profertur, est falsa. Sed contrarium est probabilius, & tenet *Nauar. c.* 12. *num.* 8. *Toletus l.* 4. *c.* 21. v.g. si Reus non iuridicè rogetur, potest dicere: Non feci, mente addendo, in carcere: non habui complices, puta in alio carcere. Ratio est, quia in his & similibus euentis non tenetur homo totam mentem suam circa rem, de qua interrogatur, aperire: ergo nec tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperiatur: ergo potest partem exprimere, & partem tacitus addere. Confirmatur, quia non magis tenetur totam mentem suã exterius declarare coram isto, quam dum solus agit, & secum loquitur, cum iste nihil iuris ad hoc habeat. Atqui dum secum loquitur non tenetur totum exprimere, sed potest partem in animo retinere. Nec obstat, quod illud quod exterius

exprimit, sit falsum, quia non intendit per se solitariè illud exprimere, sed coniunctum cum eo quod in mente habet. Quod enim exprimitur, solum est pars totius orationis quæ constat partim locutione mentali, partim externa. Quod autem talis coniunctio rectè fieri possit, si causa subsit, patet *Primo*, ex *D. Greg. hom. 1. in Ezech.* vbi dicit Prophetam connectere orationem externam cum interna, & ideò incipere suam prophetiam ab hac particulâ copulatiua: Et factum est. *Secundo*, patet ex multis scripturæ exemplis *Gen. 27. Ego primogenitus tuus Esau*, scilicet iure & priuilegio. *Marci 13. De die illo & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius*, scilicet quatenus est legatus Dei Patris, quo pacto legatus dicit se nescire, quod non habet in mandatis vt aperiat. Item *Ioan. 7. Ego non ascendam ad diem festum hunc*; scilicet modo, vel manifestè, vt soleo.

Qu. 11. *An liceat deferre iuramentũ ei quẽ, putas peieraturũ?*

1. Prima Conclvsio. Non licet, nisi iusta causa subsit. Quia quantũ in nobis est, tenemur tantã Dei iniuriã, & proximi peccatũ impedire, quantum in nobis est. Vide *D. Aug. ser. 11. de sanctis*, vbi refert exemplum de quodam qui diuinitus in raptu flagellatus est, eo quod iuramentum à proximo in tali casu exegisset.

2. Secvnda Conclvsio. Sæpè potest subesse iusta causa, ob quam hoc sit licitum. *Primo*, si sis Iudex & pars id postulet, vel alias ratio officij id exigat, vt cũ adducuntur testes, vel proceditur via inquisitionis. Ita *D. Th. q. 98. a. 4. & Caiet. ibid.* Iudex. n. nõ debet sequi priuatã sententiã, sed præscriptũ iuris, adhibẽdo ea, quibus solet elici veritas, alioqui daret iustã causã scãdali. quãdo tamen id cõmodè potest declinare (vt si aliud remediũ posset facilè adhibere) tenetur. Sic nõ potest exigere iuramentũ à Clerico de relinquẽda cõcubina, vt habetur c. *Clericos de cohabitat. Cleric. & mul.* quia metuẽdũ est, ne periurium incurrat, & alia remedia suppetunt.

*Secundo*, si alterius causam agas, & ratio officij tui postulet; vt ab aduersario iusiurandum petas: si enim omittas, videberis præuaricari. *Tertio*, si speras illum reuerentiâ numinis non peierare ausurum, & alias magni tua interest. *Quarto*, si eius periurio possis vti in tuum commodum, v. g. ad eius fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, vt sic iniuriam euadas, aut ius obtineas.

Quæst. 10. *Quibus modis tollatur obligatio Iuramenti?*

1. GEneratim tolli potest duobus modis, *Primo*, impediendo, ne illam ab initio inducat. *Secundo*, tollendo iam inductam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Obligatio iuramenti potest impediri per legem, si lex statuat vt iuramentum contractui vel promissioni alicui adiunctum sit irritum, & nullam inducat obligationem. Sic *Concil. Trid. sess. 35. c. 16. de Regularibus*, irritum reddit iuramentum adiectum renunciationi bonorum, si fiat ante trimestre, quod præcedit professionem: sic in regno Lusit. irriti redduntur per legem omnes contractus, obligationes, conuentiones, promissiones, remissiones, & distractus iuramento confirmati, si alioqui ad forum sæculare eorum cognitio pertinebat, nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit. Idem fit in regno Castellæ, exceptis quibusdam contractibus, vt refert *Molina disp.* 149. Quod ideo factum est, ne lites super huiusmodi contractibus traherentur ad forum Ecclesiasticum. Iuramentum enim facit, vt causa quæ alias est merè ciuilis fiat fori mixti, vt patet ex c. *fin. de foro competenti in 6.*

3. QVÆRES. Quomodo potestas humana hoc possit efficere, præsertim cum obligatio naturaliter & necessario resultet ex iuramento. Respondeo dupliciter id fieri posse. *Primo* eum, in cuius fauorem fit, reddendo inhabilem ad acceptandū: cum enim iuramentū promissorium non obliget, nisi promissio acceptetur ab eo, in cuius fauorem factum est, si hic sit inhabilis ad acceptandum, nulla potest nasci obligatio. *Secundo*,

condonando, seu remittendo obligationem hoc ipso quod iurans tentat illam inducere: cum enim iuramentum promissorium non obliget, si ille cui fit statim remittat; etiam non obligabit, si superior eius ex iusta causa remittat. Hæc enim remissio non est minus efficax, quam remissio inferioris cuius interest, quia virtualiter eam in se continet.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Obligatio iam inducta per iuramentum potest tolli 5. modis. *Primo*, mutatione materiæ, vt si res iurata fiat impossibilis iuranti, aut illicita, Superiore prohibente. *Secundo*, condonatione, vt si is in cuius fauorem factum, remittat obligationem. *Tertio*, commutatione, vt si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius quod iuramento promissum est præstare. *Quarto*, irritatione, vt quando materia iuramenti promissorij subest alterius potestati, sicut dictum est de voto. *Quinto*, dispensatione; quæ fit authoritate Superioris.

## QVÆSTIO XC.

### *De Adiuratione.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Sicut iuramentum est contestatio rei sacræ, per quam homo seipsum alteri obligat, & ordinat ad aliquid: Ita adiuratio est contestatio rei sacræ ad alterum promouendum, vt aliquid faciat, vel omittat. Dicimur enim adiurare quando rem sacram contestamur, & veluti præsentem adducimus, vt eius reuerentia permoueamus alterum ad aliquid faciendum, vel non faciendum.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Adiuratio potest fieri duobus modis: præcipiendo, & deprecando. Ita *D. Thom. art. 1.* Priori modo Abraham adiurauit seruum per Dominum cœli & terræ, *Gen. 24. v. 3.* & Pontifex adiurauit Christum per Deum viuum. *Matth. 26. v. 63.* & *Paulus* adiurauit Thessalon. vt legerent epistolã corã omnibus

omnibus fratribus 1. *Thess.* 5. *v.* 27. Denique sic adiurantur dæmones in exorcismo Ecclesiæ. Posteriori modo vtitur Ecclesia in precationibus, quando per Christum petit exaudiri, & in litaniis, cùm ait, per mysterium sanctæ incarnationis, per aduentum.

3 TERTIA CONCLVSIO. Sola natura rationalis est idonea, quæ per se adiuretur, quia hæc sola potest percipere diuina, & eorum reuerentiâ ac amore impelli ad aliquid agendum. Res autem in animæ per se, & directè adiurari non possunt, quia non intelligunt. *Vid. D. Thom. art.* 3. *Dominic. Sot. l.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3.

## QVÆSTIO XCI.

### *De Dei Laudibus.*

DOcet D. Thomas, vtile esse Deum laudare voce & cantu, tum ad excitandum intensiorem affectum, tum ad alios nostro exemplo promouendos, vt & ipsi Deum laudent, *Psalm.* 33. *v.* 4. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius.*

## QVÆSTIO XCII.

### *De Superstitione.*

1. HActenus egit D. Thomas de actibus religionis, deinceps agit de vitiis oppositis, quorum alia sunt per excessum cultus diuini: vt superstitio cum suis speciebus. Alia per defectum vel contemptum, vt periurium, Tentatio Dei, sacrilegium, simonia.

2. PRIMA CONCLVSIO. Superstitio partim significat cultum falsorum Deorum: partim excessum cultus veri Dei, vt docet *D. Thom. art.* 1. *& Aug. lib.* 2. *de doctrina Christiana c.* 18. *&* 20. *Excessum* dico non quod Deus nimium coli possit vero cultu, vel maiori quam dignus sit: sed quia ad illum colendum assumuntur ea, quæ non sunt idonea. Itaque excessus non est respectu dignitatis diuinæ, sed respectu

eorum quibus coli debet.

3. Secvnda Conclvsio. Hinc patet duas esse species superstitionis. Vna est superstitio cultus indebiti vel incongrui, quando verus Deus colitur perverso cultu: Altera est superstitio ratione rei cultæ, quando colitur falsus Deus.

4. Tertia Conclvsio. Superstitio cultus incongrui diuiditur in superstitionem cultus falsi, & cultus superflui. Cultus falsus dicitur vel ratione falsæ significationis, vt si quis Deum colere vellet cæremoniis Iudaicis, quę significant Christum venturum: vel quia imitatur & simulat verum cultum, cum tamen non sit: vt si quis falsis miraculis doctrinam fidei confirmare vellet, vel falsas reliquias proponeret. Cultus superfluus, quando præter consuetudinem Ecclesiæ ponitur religio in quibusdam rebus vel circumstantiis, in quibus non est ponenda, vt in certo numero, colore, situ, v. g. vt tot sint candelæ & non plures, & cera potius sit alba, quam flaua.

9. Qvarta Conclvsio. Superstitio ratione rei cultæ diuiditur in 3. species iuxta D. Th. scilicet in idololatriã, diuinationem, & obseruantiam superstitiosam, vel enim colitur Diabolus, vt honoretur tanquam Deus, & tunc est idololatria: vel vt aliquid occultum reuelet, & est Diuinatio: vel vt iuuet & dirigat in operando, & est superstitio vanarum obseruationum. His addi potest quarta *species* Magię, de qua D. Th. non agit.

## QVÆSTIO XCIII.

### *De illegitimo Dei cultu.*

IAm dixi illegitimum seu indebitum Dei cultum in eo consistere, vt vel falso, vel superfluo cultu verus Deus honoretur,

## QVÆSTIO XCIV.

### *De Idololatria.*

NOmen Idololatriæ sumitur dupliciter. *Primo*, generatim & metaphoricè pro omni peccato, quo quis moraliter inhæret creaturæ. *Eph.* 5. *v.* 5. Auaritia vocatur Idololatria. *Secundo*, speciatim & propriè pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Dicitur autem idololatria ab idolo, quia omnis cultus quo olim falsi Dij colebantur, solet in idolo, & per idolum plerumque exerceri.

## QVÆSTIO XCV.

### *De Diuinatione.*

DIuinatio fit dupliciter. *Primo*, reuelatione diuinâ, & sic vocatur prophetia. *Secundo*, ope dæmonis, & sic est species superstitionis. Diuiditur autem in varias partes, vt in haruspicium, oraculum, necromantiam, præstigium, augurium, omen, Chiromantiam, sortilegium.

## QVÆSTIO XCVI.

### *De vana obseruatione.*

1. VAna obseruatio dicitur quando aliqua fiunt vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vllam vim habent. Item cum ex consideratione alicuius euentus fortuiti coniicit quis aliquid prosperi vel aduersi, & inde actiones suas moderatur. Diuiditur obseruatio in 3. species, artem notoriam, obseruantiam sanitatum, & obseruantiam euentuum. *Ars notoria* est ratio quædam consequendi scientiam infusam per quædam ieiunia, inspectiones figurarum, & similia adminicula vana & inefficacia.

2. *Obseruatio sanitatum est*, quando adhibentur aliqua verba, aut alia signa & cæremoniæ inanes ad hominum vel aliorũ animalium morbos curandos, sanguinem sistendum, dolores mitigãdos, ad vitam vel valetudinem

conseruandam: ad se præstandum immunem contrà læsiones hostium, vel casus fortuitos. Huc etiam pertinet, cum adhibentur quidem medicamenta naturalia, tamen ijs aliqua friuola adiunguntur tanquam necessaria: eodem etiam spectant omnia amuleta, breuia, inuolucra, reliquiæ, verba sacra, preces descriptæ quæ gestantur à quibusdam, ne possint lædi, aut ne effluat sanguis, aut ob similes alios fines, si contineant aliquas circumstantias perergas tanquam necessarias. Omnis enim circumstantia inutilis; si tanquam necessaria adhibetur, vt opus sit superstitiosum.

3. *Obseruantia euentuum*, quando aliquid fortuitò occurrit vel accidit homini, ex quo sibi vel alteri aliquid læti vel aduersi coniectat, & inde actiones suas moderatur; vt si quis mane domo egrediens pedem offendat, ideoque domum reuertatur, putans, vel metuēs iter infaustum fore. Item si calceos induens sternuiet, & idcirco lectum reperat, vt omen auertat. Vide hæc & plura exempla apud *Aug. l. 2. de doctrin. Christ. c. 20. & Chrys. hom. 21. ad popul. Antioch.*

## QVÆSTIO XCVII.

*De tentatione.*

TEntatio Dei est, quando quis absque iusta causa aliquid dicit, aut facit, ad capiendum experimentum diuinæ potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ, voluntatis, aut alterius attributi. Potest autem fieri dupliciter. *Primo*, expressè quando directa intentione talis experimenti capiendi aliquid agitur: vt si petas miraculum, vt tu, vel alius sciat, Dei in aliquo negotio voluntatem; si salias in puteum, vt experiaris, an Deus sinat te lædi, quod fecit quidam Monachus apud *Cass. Coll. 2. Abb. Moys. c. 2.* Huc pertinent purgationes vulgares, quæ fieri solent ferro candenti, vel aquæ feruenti, vel duello, quæ reprobantur c. *omnibus*, &c. *consuluisti* &c. *Monomachiam 2. quæst. 4. &*

*Conc. Trident. sess. 25. c. 19. de reform. Secundo*, interpretatiuè, quando expressè non intendis tale experimentum: tamen id facis, quod per se ad illud tendit; vt si velles abstinere totis XL. diebus, vt Christum imiteris: vel si alicui alteri periculo te sponte committas, à quo non possis eripi, nisi extraordinario modo Deus adiuuet.

## QVÆSTIO XCVIII.

### *De Periurio.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nomen periurij sumitur dupliciter. *Primo*, propriè pro iuramento cui deest veritas, siue præsens, vt si falsum sciens confirmes: siue futura, vt si fidem datam, & iuramento confirmatam, sine iusta causa non serues *Secundo*, generatim pro omni iuramento, cui ex tribus conditionibus aliquid deest, siue iustitia, siue iudicium, siue veritas. CL

2 SECVNDA CONCLVSIO. Pœnæ periurij propriè dicti apud omnes p tiones sunt valde graues, vt docet *Couarr. c. Quamuis actum p.* 1. §. 7. Nam apud Scythas & Ægyptios periuri plectebantur pœna capitis: apud Indos manuum pedumque extremorum absciſſione: in multis locis absciſſione manus. Iure ciuili sunt infames, si periurium cedat in nocumentum alterius: non autem, si nemini noceat, vt docet Glossa in l. *si quis maior* C. *de transactionibus*. Iure Canonico sunt etiam infames, vt patet c. *infames*, &c. *Quicumque* 6. *quæst.* 1.

## QVÆSTIO XCIX.

### *De Sacrilegio.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Sacrilegium propriè accipitur pro violatione rei sacræ. Res sacra vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata est: siue sit persona, vt Sacerdos: siue res alia, vt templum, altare, calix. Hæc dicitur violari quando in-

dignè, seu contra reuerentiam Deo debitam in rebus ipsi dicatis tractatur.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Diuiditur sacrilegium secundum diuersitatem rerum sacrarum: sunt autem tria genera rerum sacrarum secundum D. Thomam, vel enim sanctitas tribuitur personis, vel locis, vel aliis rebus ad cultum Dei ordinatis. Hinc oriuntur tres species sacrilegij. *Prima*, qua violatur persona. *Secunda*, qua locus. *Tertia*, qua res aliæ. Ad *primam speciem* pertinet percussio clerici, fornicatio Sacerdotis, aut Religiosi, pertractio personarum Ecclesiasticarum ad tribunal seculare, extractio vectigalium ab iisdem per principes seculares contra canones. Ad *secundam speciem* pertinent omnia, quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri. *Primo*, effractio vel incēdium loci sacri, euersio altaris. *Secundo*, effusio iniurioſa sanguinis, effusio seminis, sepultura excommunicati, vel infidelis, extractio violenta personæ, quæ asyli causa eo se contulit. *Tertio*, mercatus, deambulationes, clamores, & alia huiusmodi profana, quæ per se cultum diuinum impediunt, c. *Decet*, *de immunitate Eccles. in 6.* Quamuis in his posterioribus non semper sit peccatum mortale; maximè si scandalum absit, & cultus diuinus non impediatur. *Quarto*, furtum in loco sacro. Ad *tertiam* pertinent ea peccata quibus aliæ res sacræ temerantur. Dicuntur autem aliæ res sacræ: vel quia sanctitatem efficiunt, vt sacramenta: vel quia rebus sacris administrandis sunt instrumenta, vt vasa vestes, ornamenta: vel quia ea repræsentant, vt imagines Christi & Sanctorum: vel quia sunt mensura actionum sacrarum, vt dies Dominici & festi: vel denique quia ad sustentationem sacrorum sunt dedicata, vt bona Ecclesiarum. Hæc omnia continentur nomine rei sacræ, vt distinguitur à persona, iuxta D. Th. Inter hęc primũ locũ tenent sacramenta. Itaque ad hanc speciẽ sacrilegij.

*Primo*, referenda est omnis iniuria omnisque abusio sacramentorum. Item perceptio & administratio eorundem in statu peccati mortalis.

## QVÆSTIO C.

### *De Simonia.*

Dicam primò de Simonia secundum se. Deinde de præcipuis modis in particulari, quibus fieri solet. Tertio de pœnis.

Quæst. 1. *Quid & quotuplex sit Simonia?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Simonia est vitium contra virtutem religionis, consistens in rerum sacrarum indigna tractatione, non qualibet; (variis enim modis indignè tractari possunt) sed qua res sacræ tanquam profanæ æstimantur, & in contractus deducuntur. Hæc enim est magna in Deum, à quo sanctitatem habent, irreuerentia. Solet autem sic definiri. Simonia est *studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Ita *Glossa in c. Qui studet 11. quæst. 1. & alij passim. Primo* dicitur *studiosa voluntas*, id est, deliberata: vt excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia culpabili; loquimur enim de peccato simoniæ in sua specie perfecto. *Secundo*, dicitur *emendi aut vendendi*, quibus verbis significatur omnis omnino contractus non gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio. *Tertio* dicitur *pretio temporali*: si enim detur spirituale pro spirituali, non erit propriè simonia, vt infrà dicetur. Solet autem à DD. distingui triplex pretium ex cap. *Saluator 1. quæst. 3.* nempe pretiũ muneris, vt pecunia, equus, bos, vestis, & similia vendi consueta: pretium linguæ, vt laus, vituperatio, patrocinium aduocati, commendatio apud Principem: & pretiũ obsequij, vt ministeriũ aliquod in rebus temporalibus, vt est famuli, Oeconomi. *Quarto* dicitur *aliquid spirituale, vel spirituali annexũ*; quia res merè temporalis

non est materia simoniæ. Spirituale hic vocatur quod est aliquo modo supernaturale, siue sit aliquid reale, siue morale tantum: siue per modum actus, siue per modum habitus. Talia sunt virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes, gratiæ gratis datæ, sacramenta, consecrationes, benedictiones Ecclesiæ, & omnis vsus potestatis supernaturalis. Spirituali autem annexum est quod cum aliquo spirituali connexionem habet, quod tripliciter fieri potest: Antecedendo, vt ius patronatus, quia supponitur præsentationi beneficiorum. Consequendo, vt beneficia Ecclesiastica, quæ supponunt officium diuinum. Comitando, vt labor in ministerio sacramentorum.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Simonia dupliciter potissimum diuiditur. *Primo*, in eam quæ est iuris diuini, & in eam quæ est iuris humani. De vtraque dicam in seqq. *Secundo*, diuiditur in mentalem, conuentionalem, & realem. *Mentalis* est non internum propositum, quo quis vult exterius simoniacè contrahere; (quamuis hoc etiam simonia appellari possit) sed propositum internum, quo quis dum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale: vel contra, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum spirituale, sine vllo pacto externo; vt si quis seruiat Episcopo hac conditione, vt in mercedem conferatur ei beneficium, & tandem beneficium reipsa conferatur, nullâ tamen externis verbis aut nutibus facta conuentione. *Simonia conuentionalis* est, quando non solum est internum propositum obligandi, sed etiam proceditur ad externam conuentionem, sine tamen executione; saltem vtrimque facta. Est autem hæc conuentionalis duplex: alia enim est purè conuentionalis, vtpotè neutra ex parte completa: alia est conuentionalis mixta, quæ completa est ex altera tantum parte; ita vt quodammodo

consistet reali & conuentionali, & si pactione initâ conferatur beneficium, alterâ parte nondum soluente pretium; vel contra si soluatur pretium nondum collato beneficio. Huc spectat simonia confidentiæ; qua quis paciscitur cum eo cui confert beneficium, vt id postea conferat alteri. *Realis* est, quando pactis ex vtraque parte impleta est saltem inchoatè, vt si collatio beneficij facta sit, & pretij pars soluta.

Quæst. 2. *An omnis venditio rerum Spiritualium pro temporalibus sit simonia iure diuino prohibita.*

1. NOta *primo*. Res posse vocari spirituales vel sacras quatuor modis. *Primo*, quia ex natura sua tales sunt, vt virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes, & gratiæ gratis datæ. *Secundo*, quia sunt causa sanctificationis: siue effectiua, vt sacramenta, siue dispositiua, & excitatiua, vt sacramentalia, concio, preces, exorcismus. *Tertio*, quia sunt effectus vel vsus sacræ potestatis, vt excommunicatio, benedictio, & consecratio quam facit Ecclesia: item prophetare, miracula facere. *Quarto*, quia sunt annexa rebus sacris; idque vel propriè, vt beneficia, ius patronatus, ius eligendi: vel impropriè, vt officium Sacristæ, officium œconomi Ecclesiæ.

2. NOTA *secundo*. In quibusdam rebus spiritualibus esse aliquid temporale secundum se pretio æstimabile, vt in calice consecrato, in beneficiis: in quibusdam nihil esse tale; vel si quid sit, esse minimi pretij vt in Eucharistia, baptismo.

3. PRIMA CONCLVSIO. Omnis venditio & commutatio rerum spiritualium cuiuscuis generis pro pretio temporali, si in ea habeatur ratio consecrationis, vel eius quod supra naturam est, continet simoniam iure diuino prohibitam; vt si quis vendat sacramenta, vel sacramentalia, vel functiones potestatis spiritualis, vel si pluris vendat calicem consecratum, quam non con-

secratum: globulos benedictos, quam non benedictos; idque non ratione latoris vel sumptuum quos fecit vt curaret benedici, sed ratione benedictionis. Ita *Diu. Thom. a. 2. Durand. in 4. d. 15. quæst. 5. Adrian. quodlib. 9. ens. 1. Victoria in relect. de simonia num. 15. Sotus 9. q. 5. a. 2. Nauarr. c. 23. num. 99. & alij.* Probatur *primo*, quia Giezi diuinitus punitus est leprâ, quod ausus fuerit pecuniam exigere pro curatione lepræ per miraculum facta, vt haberetur 4. *Reg.* 5. Deinde quia Christus prohibet talem venditionem aut permutationem, *Matt.* 10. Gratis accepistis, gratis date.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Spiritualia in quibus est aliquid pretio æstimabile, possunt ratione illius aliquando vēdi; vt patet de calicibus, vestibus sacris, chrismate, & similibus, quorum materia magno constat, antequam consecretur: non enim amittit suum pretium per consecrationem. Sed maxima est controuersia de beneficiis. Sunt 2. sententiæ. Prior est ferè communis Theologorum, beneficia iure diuino esse inuendibilia, quia ius percipiendorum fructuum est spirituale. Ita *Caietan. t. 2. tract. 9. q. 2. Victoria in Relect. de simon. nu. 42. Sotus lib. 9. quæst. 1. & alij.* Altera est *Nau. c. 23. num.* 108. vbi multis rationibus probare nititur, beneficia quoad partem pecuniariam & temporalem, vendi posse à summo Pontifice, sicut vasa sacra. Eandem ferè omnes Canonistæ habent cum Glossa in cap. *ex parte, de officio delegati*, & in cap. 1. *de simonia*. Vtraque sententia rectè explicata videtur vera: si enim beneficium cōsideretur planè formaliter, quatenus est ius fructuū obtingēs per officiū sacrū, sic iure diuino est inuendibile, quia non potest vendi officiū sacrū, per quod hoc ius habetur. Simili modo ius decimarum dicitur esse inuēdibile, quia non potest vendi ministerium sacrum, per quod hoc ius cōpetit. Nam vendere hoc modo ius fructuum est vendere officiū, in quo illud ius consistit, neque Nauarrus intendit id negare: si vero beneficium

consideretur materialiter, nempe pro iure ad illos fructus qui officio sunt annexi, sic beneficium vendi potest per Pontificem absque simonia iuris diuini, quia in potestate ipsius est ius ad illos fructus separare ab officio, & alteri dare, vel relinquere officio annexum: sicut ergo, si illud ius separaret, & alteri venderet, nullam simoniam committeret, quia non venderet aliquid spirituale: sic etiam, si aliquã summam pecuniæ exigeret ab eo, qui beneficium sibi cupit conferri, vt ius illud titulo annexum relinquat, vel vt separatum illi vniat, nullam simoniam iuris diuini committeret. Hæc est mens Nauarri. Idem docet Adrianus *quodlib. 9. ad 5. principale*, vbi ait: beneficia ratione iuris fructuum posse vendi, si Papa intendat vendere ius fructuum, non mediante aliquo officio spirituali: secus autem, si mediante tali officio.

Quæst. 3. *An permutatio rerum spiritualium inter se sit simonia iuris diuini?*

1. AFfirmant *Richard. in 4. d. 25. q. 1. & Adr. quodlib. 9. ad 4. confirmationem.* Negãt *Victor. in relect. de simon. n. 17. Sot. l. 9. q. 5. a. 2. Durãd. d. 25. q. 5. & alij plures.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Huiusmodi permutatio non est simonia diuini iuris, si nullum tẽporale interueniat, ratione cuius hæc permutatio fiat. Probatur *primo*, quia omnes Theologi & Canonistæ tenent licere cũ authoritate Superioris permutare beneficiũ cũ beneficio, & titulum cum titulo, idque etiam constat ex c. *Ad quæst. de rerum permutatione, & exclementina vnica eod. tit.* vbi Ecclesiarum, beneficiorum, & titulorum permutationes à Pontificibus approbantur. Hoc autem non liceret, si esset contra ius diuinum. *Secundo*, quia hæc permutatio non videtur vllam irreuerentiam continere; nihil enim indecori est, si paciscamur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuã operam in audiendis confessionibus, & similibus officiis, vt rectè notat Sotus: similiter si globuli benedicti & rosaria inter se com-

mutentur, etiam habita ratione sanctitatis, & benedictionis: non enim est iniuria rei sacræ, si cum alia sacra conferatur, sed si conferatur cum temporali.

3. Obiicit Adrianus, *Matth.* 10, *Gratis accepistis, gratis date*: sed is qui permutat rem sacram cum sacra, non dat gratis: ergo. Respond. gratis dare nihil aliud esse eo loco, quàm sine mercede vel pretio temporali dare, vt colligitur ex verbis seqq. Nolite possidere aurum. Ita *Hieron. Chryso. & Glossa in hunc locum, Matth. & alij PP.*

Quæst. 4. *An sit aliqua simonia iuris humani?*

1. NEgat *Durand. in 4. d. 25. & quidam recentiores. Primo*, quia circa id quod non ex se, sed ex sola prohibitione iuris est malum, potest tantum esse peccatum inobedientiæ, non autem irreligiositatis. Nam tota ratio peccati oritur ex violatione præcepti humani. Atqui violatio præcepti humani solum constituit peccatum inobedientiæ. *Secundo*, quia Ecclesia sua prohibitione non potest facere sacrum, id quod non est sacrum; sed necesse est, si velit facere sacrum, vt adhibeat aliquam benedictionem, & tunc venditio eius erit simonia iuris diuini, non humani.

2. PRIMA CONCLVSIO. Est aliqua vera & propriè dicta simonia, solo iure Ecclesiastico introducta. Ita passim Theologi & Canonistæ in c. *quæsitum, & c. Cum olim, de rerum permutat.* Ratio est, quia Ecclesiâ suâ lege & ordinatione potest facere, vt id quod naturâ suâ ob partem temporalem non erat inuendibile, fiat inuendibile, seu inhabile ad venditionem ob spiritualem partem illi annexam, non addendo tamen nouam aliquam sanctitatem vel consecrationem: ergo si quis tum rem illam pretio venderet, committeret veram simoniam, violando rei illius sanctitatem per contractum. Confirmatur à simili, quia locum sacrum ratione sanctitatis potest reddere immunem suo decreto, ita vt Iudex secularis non possit Reum inde vi abstrahere, adeo vt si contra faciat, peccet non solum con-

tra obedientiam, sed etiam contra virtutem religionis & loci sanctitatem. Similiter eum, qui habet ordinem aliquem, vel tōsuram, potest reddere immunem à potestate Iudicis secularis, ita vt peccet contra Religionem, si eum ad suum tribunal pertraxerit: ergo etiam rem sacram potest reddere immunem à venditione, ita vt si vendita fuerit pretio temporali, peccetur contra rei sanctitatem, & non solum contra obedientiam.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc simonia iuris humani habet locum in 3. potissimum casibus. *Primo*, in Venditione officiorum secundum partem temporalem. *Secundo*, in venditione officiorum minus spiritualium, vt officij sacristæ, œconomi Ecclesiæ, aduocati Ecclesiæ. *Tertio*, in permutatione beneficiorum facta sine authoritate Superioris: in renunciatione reciproca: in simonia confidentiæ. Prima pars, de venditione beneficiorum probatur, quia ex communi sententia constat hanc esse simoniam, cum plurimi canones id expressè habeant. Atqui non est simonia iuris diuini, vt supra dictum est: ergo est simonia iuris humani: sicut iuris humani sacrilegium est, capere reum in Ecclesia, percutere Clericum. Secunda pars de venditione officiorum probatur ex c. *Saluator* 1. *quæst.* 3. & c. *si quis Episcopus* 1. *quæst.* vbi dicitur esse simoniam vendere officium œconomi, vicedomini, aduocati, sacristæ, castaldi: Atqui non est simonia iuris diuini, quia sunt officia temporalia ordinata solum ad temporalium administrationem: ergo est simonia iuris Ecclesiastici. Tertia pars de permutatione beneficiorum probatur ex c. *quæsitum* & ex c. *Cum olim de rerum permutatione*, vbi iubentur priuari suis beneficiis, qui ea propria authoritate permutant, eo quod incurrant labem simoniæ.

4. NOTA tamen hanc permutationem, nōn dici propriè simoniam, sed tantum generali ratione, & quadam imitatione. Nam propriè simonia est, cū datur tēporale

pro spirituali, vt supra diximus. De renunciatione reciproca, & simonia confidentiæ infra agendum est.

5. Ad *primum* Durandi Respondeo. Negando id, quod tantum est malum ex iuris prohibitione esse solum contra obedientiam. Nam esse contra obedientiam, est solum ratio generica, præter quam debet habere malitiam certæ speciei contra aliquam virtutem particularem, in cuius materia peccatur, & ex cuius motiuo præcipitur. Sic vesci carne in Quadragesima non solum est contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam, & omittere missam die festo, non solum est contra obedientiam Ecclesiæ debitam: sed etiam contra religionem, qua Deum colere tenemur, & auellere furem è loco sacro est sacrilegium contra reuerentiam sanctitati loci debitam. Ratio communis est, quia præceptum humanum in materia alicuius virtutis potest intuitu motiui illius virtutis id quod non erat materia necessaria facere necessariam materiam: Ad *secundum*. Etsi Ecclesia per suam prohibitionem ex re profana non faciat sacram, sicut facit per suam benedictionem & consecrationem, tamen facit vt illa res propter ordinem quem habet ad rem sacram, fiat inuendibilis, & hoc sufficit ad obiectum simoniæ.

*Particulares modi Simoniæ.*

Quæst. 5. *An in graui vel extrema necessitate liceat dare pretium pro sacramentis?*

VErbi gratia, habes infantem baptizandum morti vicinum, & sacerdos non vult eum baptizare, nisi 10. aureos numeres, nec alia ratio tibi suppetit procurandi baptismi. Item tu ipse nondum es baptizatus, & morte instante alia ratione baptismum obtinere non potes.

1. PRIMA SENTENTIA. In hoc casu non esse licitum dare pretium pro baptismo, etiamsi infans sine baptismo moriturus esset. Ita *D. Thom. in 4. d. 5. q. 2.*

art. 2. & d. 25. quæst. 3. a. 2. Alensis 2. p. quæst. 187. memb. 5. a. 1. Richard. d. 25. a. 3. quæst. 1. Palud. ibid. quæst. 8. & Glossa in c. Baptizandus 1. quæst. 1. Ratio horum est, quia emere sacramentum est intrinsecè malum, sicut & vendere: ergo nullo casu licitum est: non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona.

2. Secvnda Sententia. In eo casu licere dare pecuniam, non quidem pro sacramento propriè, sed ad vexationem redimendam. Ita *Gerson tit. de simon. ad 6. rationem Panorm. c. cum in Ecclesiæ corpore, de simonia. Caiet. hic art. 2.* sed hi duo tantum in casu infantis, non adulti id concedunt, quia adultus potest sibi alia ratione consulere.

3. Tertia Sententia est, absolutè licitum esse in eo casu dare pecuniam pro ipso Sacramento obtinendo. Ita indicat *Sot l. 9. q. 6. a. 1.* & dicitur Franciscus Victoria ita sensisse, & Thomistæ dicunt esse probabile, & apertè tenet *Adrian. supra.*

4. Prima Conclvsio. Non potest dari pretium pro baptismo tanquam pretium æquiualens, quia hoc intrinsecè malũ est. Nam res sacra non potest pecunia æstimari, iuxta hunc sensum prima sententia est vera.

5. Secvnda Conclvsio. Si Sacerdos aliquis nollet hoc vel aliud sacramentum administrare, nisi pro pecunia, possem ei dare pecuniam vt prauam illam voluntatem deponat, & debito modo administret. Ratio est, quia hoc non est emere sacramentum, sed inducere sacerdotem, vt malum propositum commutet, & iniuriam rebus sacris non inferat: sicut enim potest induci pecunia vt ab aliis peccatis abstineat, ita etiam vt à Simonia.

6. Tertia Conclvsio. Valde probabile est in casu proposito licitum esse offerre pecuniam, non quidem tanquam pretium sacramenti propriè, sed tanquam medium alliciendi animi alterius ad obtinen-

dum sacramentum. Ita *Altisiodorensis p. 3. summæ q. 3. de Simonia.* Et idem videntur sentire authores 2. sententiæ, cum dicunt licere ad redimendam vexationem. Probatur *primo*, quia dans pecuniam, illo casu non censetur vllam irrogare irreuerentiam sacramento, sed reuerentiam, dum suo facto testatur sacramentum necessarium ad salutem: non enim æstimat illud pretio temporali, sed tantum inducit sacerdotem, vt velit facere quod tenetur facere. *Secundo*, licitum est talem sacerdotem inducere: minis ergo etiam pretio & muneribus. *Tertio*, si quis alius sacerdotem impediret, ne Sacramentum conferret, possem ei dare pecuniam vt cesset impedire: ergo etiam possum ipsi sacerdoti dare, vt tollat impedimentum, quod ipse sibi per auaritiam posuit.

Quæst. 6. *An liceat dare pretium pro functionibus spiritualibus, quibus labor aliquis coniunctus est: v. g. an liceat dare pro administratione sacramentorum, missa, consecratione Ecclesiarum, concione, & similibus?*

1. NOTA. In tali functione 4. spectari posse. *Primo*, ipsam actionem qua talis est. *Secundo*, laborem intrinsecè coniunctum. *Tertio*, laborem exterius annexum. *Quarto*, ministri sustentationem.

2. PRIMA CONCLVSIO. Pro ipsis actionibus spiritualibus, qua spirituales sunt, aliquid dare vel accipere est simonia. Ratio, quia hoc est sanctitatem rei pretio temporali æstimare, quod intrinsecè malum est.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non est simonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinsecus adiunctis. Est communis. Ratio quia illi labores sunt temporales, & per se pretio æstimabiles.

4. TERTIA CONCLVSIO. Non est etiã simonia, si des aliquid pro sustentatione ministri sub obligatione rei spiritualis, aut si minister aliquid pro sustenta-

tione

tione exigat. Ita *D. Thom. a. 3. & alij passim.* Ratio est, quia ministris rerum spiritualium ex iustitia debetur sustentatio, siue sint pauperes, siue diuites: ergo possunt de eo pacisci, quilibet enim potest pacisci sibi dari, quod ipsi iure naturæ debetur: ergo.

5. DICES. Si possum pacisci de pretio: ergo non gratis ministrabo. Respondeo. Negando consequentiam, dicor enim gratis ministrare, quia non exigo quidquam tanquam ministerij pretium: hoc enim tanquam maius omni pretio gratis præsto: vt tamen hoc præstem gratis, requiro necessariam sustentationem à populo.

6. QVÆRES. Quid si nimium exigant pro sustentatione, erit ne Simonia? Respondeo reipsa non erit, sed præsumetur, tamen in foro externo. Nam cum illud stipendium necessariam sustentationem superet, videtur illud auctarium accipi non pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritualis, vt insinuat *D. Thom. art.* 3. tamen reuera solum erit iniustitia: cum enim lege iustitiæ solum debeatur sustentatio, si amplius exigas, erit contra iustitiam.

QVARTA CONCLVSIO. Difficultas est, an pro labore intrinsecus coniuncto v. g. pro labore in faciendo sacro, in baptizando, confirmando, ordinando, consecrando templo, liceat aliquid pacisci, vel exigere? Affirmant *Adrian. quodlib. 9. a. 1. Altisiodor. 3. p. qu. penult. de Simonia, Bonau. d. 25. quæst. Vlt. de Simonia. Richard. ibid. a. 3. quæst. 2. Glossa in c. significatum, de præbendis.* Alij docent esse Simoniam, si pecunia pro hoc labore exigatur. Ita *D. Thom. art. 4. d. 25. quæst. 3. art. 2. Durand. ibid. quæst. 3. num. 10. Palud. ibid. quæst. 3. art. 3. Sylu. v. Simon. quæst. 9. Caiet. hic art. 3. Hostiensis in c. significatum de præbendis, & passim Canonistæ.* Probatur *primo*, quia hic labor ita coniunctus est actioni sacræ, vt ipsa sine eo nullo modo fieri possit. *Secundo*, quia nul-

lam habet æstimationem inter homines, nisi ex ipsa sanctitate actionis: labor enim qui suscipitur à sacerdote in muneribus sacris, non æstimatur, nisi ob gratiam spiritualem coniunctam, vel inde manantem.

Quæst. 7. *An Prælati possint aliquid exigere pro dispensatione, v. g. cum dispensant in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij, aut quibusuis legibus Ecclesiasticis?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Simonia est, si pro huiusmodi dispensatione aliquid exegerint. Ratio, quia talis dispensatio est vsus potestatis spiritualis qui vendi non potest, neque interuenit aliquis labor intrinsecus, qui sit pretio æstimabilis.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Certum est Prælatos inferiores nullo titulo quidquam accipere posse pro dispensatione. Ita *D. Thom. art. 3. ad 3. & alij passim.* Ratio est, quia iure canonico prohibitum est, tum antiquo, tum nouo in Concilio Trident. *sess. 25. c. 18. de reform.* his verbis: *si vrgens iustaque ratio postulauerit cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: alioquin facta dispensatio subreptitiæ censeatur.* Nota tamen posse Episcopum imponere onus largiendi eleemosynam pauperibus, vel monasterio: hoc enim concilium non prohibet, sed tantum ne ipse Episcopus inde capiat commodum temporale.

3. TERTIA CONCLVSIO. Pontifex potest à Simonia excusari, etiamsi causa dispensationis accipiat; modo illud non accipiat in pretium dispensationis, sed velut in mulctam, per quam alter compenset recessum à lege communi. Ratio est, quia cupienti sibi concedi exemptionem à lege licitum est imponere aliquod onus, quod compenset hanc deformitatem, v. g. vt soluat aliquam pecuniam ad piam causam, vt pere-

grinationem suscipiat, quod etiam Episcopi facere possunt: decet enim hanc exorbitantiam aliquo modo cõpensari & sarciri, vt huiusmodi oneribus veluti quibusdam repagulis coerceantur homines intra communes leges. Potest autem Pontifex hanc pecuniam suis necessitatibus applicare, quia nemini est debita nisi cui ipse eam attribuerit. Idem possent Episcopi, nisi ipsis iure positiuo esset prohibitum. Vnde si alicubi esset cõsuetudo contraria iam legitimè præscripta, vel Pontifice sciente: & non contradicente, per aliquot annos recepta, non esset damnandum Simoniâ.

Quæst. 8. *An Episcopi, vel eorum officiales, possint aliquid exigere pro litteris ordinis susceptis, vel dimissoriis, vel sigillo?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nec Episcopi, nec eorum ministri (exceptis Notarijs) possunt aliquid exigere pro supradictis, vt expressè habetur in *Conc. Trid. sess. 21. c. 1. de refor.* & in *Concil. Braccar. 2. c. 3.* & in c. *sicut Episcopum 1. quæst. 2.* Addit *Conc. Trid.* non posse aliquid accipere etiamsi sponte offeratur, quod ante in Concilio non erat prohibitum. Excipiuntur ab eodem Concil. Trident. Notarij, sed iis tantum locis, vbi est consuetudo aliquid accipiendi, & nullum salarium pro exercendo officio est constitutum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si Episcopi, vel eorum ministri aliquid acceperint, vel exegerint, videtur esse Simonia saltem iuris humani, vt colligitur ex eodem Concil. Trident. quia prohibet hanc acceptationem tanquam prauitati Simoniacæ fauentem, & infligit pœnam excommunicationis ipso facto olim iure statutam.

Quæst. 9. *An pro ingressu religionis aliquid dare vel accipere sit Simonia?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Simonia est, si pro ipso statu religioso aliquid offeratur, vel accipiatur. Est

communis. Ratio est, quia hic status est res omnino supernaturalis.

2 SECVNDA CONCLVSIO. Si monasterium est opulentum, videtur esse simonia saltem iuris Ecclesiastici exigere aliquid pro sustentatione egredientis. Ita *D. Thom. in 4. d. 25. quæst. 3. ar. 2. ad 7. Adrian. quodl. 9. Victor. in relect. de simonia p. 2. n. 12.* Ratio est, quia ius viuendi de bonis monasterij ita est annexum professioni, sicut beneficium Ecclesiasticum est annexum officio Ecclesiastico: ergo sicut pro beneficio non potest quidquam exigi, ita neque pro iure sustentationis. Quidam tamen putant reuera non esse simoniam, sed tantum præsumi in foro externo, vt *Sylu. v. Simonia qu. 15. Tolet. l. 5. c. 89. Sotus l. 9. de iustitia q. 6. a. 2. ad 4. & multi alij recentiores*, quia non exigitur aliquid temporale pro spirituali tanquam pretium, sed solum tanquam conditio, vt monasterium accessu aliorum non grauetur.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si monasterium inopia premitur, ita vt non possit plures sustentare, non est simonia paciscí cum ingredientibus de sustentatione. Ita *D. Th. & Sylu. l. c. Victor. Sotus, Cajet. Na. Medina & alij plerique.* Ratio est, quia hic nihil spirituale venditur. Nam illa pecunia solum requiritur, vt conditio quædam necessaria, vt alij religiosi non grauentur.

Quæst. 10. *An simonia sit resignare beneficium in fauorem Tertij cum clausula: Nonaliter, nec aliàs?*

1. PRIMA SENT. Committi veram simoniam, si resignatio fiat in manus Ordinarij: non autem fiat in manus Pontificis. Prima pars probatur, quia omnis pactio in spiritualibus Simoniam continet c. *fin. de pactis*, &c. *ex parte 1. de officio delegati.* Secunda pars probatur, quia Pontificis præsentia potest Simoniam purgare, & veluti sol tenebras depellere. Ita *Rebu. ff. de benef. §. de pura resignatione*, addens beneficium resignatũ in fauorem Tertij coram Ordinario, & ab Ordinario

collatum posse impetrari à Papa tanquam vacans per simoniam. Idem tenet *Nauarr. c. 23. n. 107. & passim Canonistæ cum Glossa* in cap. *ex parte*, quam sequuntur aliqui Theologi.

2. SECVNDA SENTENTIA. Talem resignationem in manus Ordinarij factam, nullam continere simoniam iuris diuini vel humani, nec esse illicitam, modo is in cuius fauorem fit, verè sit dignus. Ita *Soto l. 9. q. 7. art. 2.* quem sequuntur multi Thomistæ, & *Couarr. l. 1. var. resol. c. 5. num. 5. 6.* vbi pro sententia citat *D. Anton. & Sylu.* Ratio est, quia qui ita renunciat, nihil temporale dat, vel accipit pro spirituali, sed solum indicat se renunciare, si collator velit conferre Petro: non renunciare, si nolit. Confirmatur, quia in permutatione licitum est in fauorem Tertij resignare etiam in manus Ordinarij, vt patet ex *Clementina vnica. de rerum permutatione*, cur non etiam in simplici cessione. Nec obstat, quod Episcopus videatur obligari. *Primo*, quia etiam obligatur in permutatione, si eam permittat. *Secundo*, hæc obligatio non est pretio æstimabilis, quando alter est verè dignus. *Tertio*, quia obligatio solum quæritur vt conditio, nec vllo modo censetur pretium remunerationis, alioqui etiam censeretur pretium quando fit cum Pontifice.

3. PRIMA CONCLVSIO. Hic nulla est simonia iuris diuini, vt patet ex allatis probationibus.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Non potest etiam ex Canon. conuinci esse simoniam iuris humani, quia nulla propriè hic interuenit pactio: non enim requiritur promissio Prælati, sed solum fit resignatio sub conditione, quam si Prælatus non acceptat, nihil actum est. Nota plerosque sentire Episcopum posse acceptare talem resignationem reiecto modo, & conferre, cui voluerit, quia illa clausula habetur pro non adiecta, cum resignatio in spiritualibus purè fieri debeat.

Contrarium tamen est probabilius cum *Rebuffo. Primo*, quia quando actus fit cum aliqua adiectione, non potest pars altera illius recipi, & altera reiici, sed debet totus reiici, vel totus recipi. *L. Aurelius, ff. de deliberatione delegata*, vbi vide *Bartol. Secundo*, quia apertè significatur resignationem esse nullam, nisi admittatur cum illo modo, vnde non potest ille modus vel conditio haberi pro non adiecta.

5. TERTIA CONCLVSIO. Huiusmodi resignationes propter speciem vel imaginem simoniæ iuxta stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manus Pontificis. Ita *Nau. & Rebuff. supra. & Flamin. q. 3.* Vnde sequitur, non posse fieri coram Ordinario, nisi ex priuilegio vel consuetudine ei sit concessum. *Secundo*, sequitur, resignationes seu cessiones reciprocas non posse coram illo fieri, v. g. resigno meum beneficium in fauorem tui nepotis, vt tu resignes tuum in fauorem mei nepotis. Nam præterquam quod hæc resignatio sit in fauorem Tertij, continet pactum resignationis reciprocæ, quod omnino extra casum permutationis est iure prohibitum, vt patet ex *cap. Quæsitum, de rerum permutatione.*

Quæst. II. *An licitum sit resignare beneficium reseruata pensione.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Licitum est, modo pensio sit moderata, & legitima authoritate constituatur. Est communis. Et patet c. Ad *quæstionem, de rerum permutatione.* Idem confirmat vsus quotidianus. Ratio est, quia si Pontifex potest plures fructus annectere titulo beneficij, ita eidem titulo potest partem fructuum detrahere, & alteri ius ad illos concedere: vel onus soluendi ex fructibus certam portionem ipsi titulo imponere, idque ad vitam resignantis, & tunc ad quem transibit beneficium, ad eundem transibit onus soluendæ pensionis. Itaque resignare beneficium reseruatâ pensione, nihil aliud est, quam resignare sub ea lege,

& modo, vt superior partem fructuum à beneficio separet, vel vt onus pensionis illi imponat, quod cum superior iure possit facere, nihil exigitur nisi quod iure fieri potest.

2. DICES. Superior in hoc casu obligatur ex pacto: ergo videtur esse Simonia. Respondeo *primo*, non obligari, quia non tenetur admittere resignationem sub tali modo. *Secundo*, admissa resignatione non est opus vt se obliget, quia sufficit, vt liberè constituat pensionem. Quod si nolit, iam resolutur renunciatio. *Tertio*, etiamsi se obligaret, nihil referret, quia pensio non exigitur, vt pretium beneficij aut resignationis, sed vt pars eius quod dimittit: non enim paratus est renunciare beneficio toti cum omnibus fructibus, sed cupit retinere partem.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Aliqui superiores possunt imponere hanc pensionem; alijnõ possunt; ac *Primo* certum est Pontificem posse, cui plenaria dispositio beneficiorum competit. *Secundo*, idem potest Legatus à latere, vt docet *Rebuff. §. de resignatione condicionali, n.* 12. *Tertio*, dubium est de Episcopis. Alij negant, alij affirmant. Probabilius tamen est non posse iuxta stylum curiæ Romanæ.

4. QVÆRES. An si quis expensas fecerit in beneficio litigioso possit eas repetere, si beneficium velit resignare? quidam putant posse, si non petat aliquid pro beneficio, sed tantum pro expensis litis vt se indemnem seruet: hæ enim totæ redundant in vtilitatem resignatarij quasi in eius gratiam factæ essent. Mihi placet contraria sententia quæ est communis DD. vt docet *Flamin. l.* 14. *quæst.* 7. *n.* 1. Ratio est, quia omne pactum in spiritualibus de onere temporali, quod iure non est annexum, reprobatur, si absque authoritate superioris fiat, vt supra dictum.

Quæst. 12. *An licitum sit resignare beneficium in confidentiam.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si resignes, vel alio modo procures alicui beneficium, confidens ipsum aliquando illud nepoti, vel amico tuo resignaturum, si nullam obligationem illi imponere intendas, non erit Simonia, quamuis propter circumstantias possit esse illicitum. Ita *Nauarr. c. 23. n. 109.* Ratio est, quia nullum interuenit pactum, nec externum, nec internum: sine pacto autem non potest esse simonia, vt ex definitione patet.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si resignes, conferas, vel aliter procures alicui beneficium cum intentione obligandi, vt post aliquod tempus nepoti vel alicui alteri resignet, nullo tamen signo exterius hanc tuam intentionem insinues, erit Simonia mentalis, quæ tamen non infert pœnas iure constitutas.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si alicui beneficium aliqua ratione procures eligendo, præsentando, postulando, resignando in fauorem, conferendo, instituendo, cõfirmando, vel commendando, cum pacto, vt is qui beneficium accepturus est, illud tibi vel alteri aliquando resignet, seu relinquat, aut vt pensionem ex eo, vel fructus aliquos alteri præstet, erit Simonia confidentiæ externa, quæ pœnas iuris infert. Patet ex *Bulla Pij IV.* & maxime *Pij V.* quam refert *Nau. loc. cit.*

Quæst. 13. *An licitum sit permutare beneficia compensata fructuum inæqualitate?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Permutatio beneficiorum facta sine authoritate Prælati est illicita: non tamen est Simonia iuris diuini naturalis, sed Ecclesiastici, vt patet ex supradictis.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si alterum beneficium sit altero dignius, & reditus sint pares, est Simonia iuris diuini, si pecuniâ vel pensione excessus ille dignitatis

compensetur. Ratio est, quia illa dignitas est omnino spiritualis.

3. TERTIA CONCLVSIO. Si beneficia habeant prouentus inæquales, possunt inter se commutari excessu prouentuum alterius compensato per pecuniam, vel pensionem. Ita *Sotus l.9.quæst.7.art.2. Cajet. hic art. 4. Sylu.* v. *permutatio* 2.q.6. vbi citat *Panorm. Angelum* V. *Permutationum.6.* Probatur ex c. *ad quæstionem, de rerum permutatione*, vbi *Clemens III.* approbat permutationem duarum Ecclesiarum parochialium compensato excessu opulentioris pecuniâ. Contrarium videtur sentire *Adrian. quodlib.9.art.3.d.5.* & *Couarr. l.1. var. resol. c. 5.num.8. 9.*

4 NOTA. Hinc compensationem fieri posse tripliciter. *Primo*, si beneficium opulentius non separatis prouentibus à titulo commutetur cum tenui, & pro excessu prouentuum exigatur compensatio. Hic modus non est licitus, quia excessus ille hoc ipso quod manet annexus titulo, est debitus illi titulo; ac proinde debet transferri cum titulo : ergo pro eo nihil potest exigi, quin id etiam pro titulo exigi censeatur, & hoc videntur velle *Adrian.* & *Couarr. Secundo*, si compensatio exigatur non pro excessu manente annexo, sed pro incommodo temporali quod subeo, spoliando me istis prouentibus. Hic modus est licitus, quia ob hanc causam possum petere à Pontifice, vt vel pensionem mihi reseruet ex beneficio quod relinquo, vel beneficiario imponat obligationem; vt ex alio beneficio mihi aliquid pro mea indemnitate soluat. *Tertio*, si iura prouentuum separentur à titulis, & *primo* ipsi tituli nudi simpliciter permutentur : deinde alio contractu permutentur iura prouentuum compensato excessu opulentioris : iura enim prouentuum à suis titulis hoc modo separata non sunt spiritualia, sed temporalia, ac proinde possunt sub tali pacto commutari, vt incremen-

tum alterius, pretio compensetur. Hoc modo intelligitur citatum c. *ad quæstiones, de rerum permutatione.* Hic tamen cauendum est, ne hi contractus misceantur, vt ait Pontifex, quod fieret, si ei in permutatione titulorum apponeretur pactum de permutatione prouentuum compensatione.

## Quæst. 14. *An licitum sit redimere vexationem in beneficiis?*

1. NOTA. Aliud est ius ad rem in beneficiis: aliud ius in re. Is dicitur habere ius ad rem, qui est electus, vel præsentatus, vel postulatus, sed nondum confirmatus, aut institutus. Is dicitur habere ius in re, qui iam est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam acceptauit, quamuis nondum possessionem ceperit.

2. PRIMA CONCLVSIO. Qui nondum habet ius in re non potest oblato pretio vexationem redimere, ab iis qui non tantum possunt obesse, sed etiam prodesse. Est communis, & apertè colligitur ex c. *Matthæus, de simon.* Ratio est, quia quando datur pecunia ei qui potest prodesse, censetur illum inducere ad non opponendum, quod iure posset opponere, & ad præbendum consensum; & ita viam sibi sternere directè & propriè ad ipsum beneficium, v.g. si electus, vel præsentatus reiicitur ab Episcopo, qui deberet illum confirmare vel instituere; non licet ei dare pecuniam, vt ab hac vexatione cesset; quia hæc vexatio consistit in confirmationis negatione: negatio autem non tollitur, nisi per affirmationem; quæ in hoc casu est ipsa confirmatio, vel institutio, ac proinde dare vt cesset à vexatione, est dare pro ipsa confirmatione.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Qui nondum habet ius in re, potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui solum possunt obesse, siue vi & fraude

pbsint, siue muneribus & precibus, apud electores vel collatorem. Ratio est, quia hoc non est directè aditum sibi ad beneficium parare, sed iniquam machinationem alterius impedire: datur enim pretium pro cessatione nocumenti.

4. TERTIA CONCLVSIO. Qui habet ius in re per confirmationem, vel institutionem, vel liberam collationem, potest pretio redimere vexationem, si fortè aliquis illum à capienda possessione impediat. Ita *D. Thom. art. 2. Caiet. tract. de Simonia quæst. 3. Nauarr. c. 23. nu. 102. Sotus l. 9. quæst. 6. art. 1. & plerique Canonistæ in* c. *Dilectus*, & c. *Matthæus*, *de Simonia*. Sotus tamen dubitat, an hic liceat vexationem redimere ab eo, cuius est in possessionem mittere. Ratio dubij est, quia dare aliquid tali, ne impediat possessionem, est dare, vt mittat in possessionem: non enim aliter definit impedire possessionem, quam mittendo, seu introducendo in eam: possessio autem est aliquid spirituale. Vnde dare aliquid pro possessione est aliquid pro re spirituali.

5. Sed est communis sententia in contrarium. Resp. ergo possessionem secundum se non esse quid spirituale, sed id habere ex titulo cuius vi capitur, quem titulum cum ille plenè iam teneat, accedēte nouâ possessione non accedit noua ratio spiritualis, sed possessio ipsa per se adiaphora fit spiritualis ex coniunctione cum titulo. Vnde non dat pretium pro re spirituali. Nota ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 14. de refor.* Capitulum, aut alios, nihil omnino posse exigere ab eis, qui sunt electi, præsentati, instituti vel instituendi, confirmati vel confirmandi, vel possessionem ingressuri, vel distributiones recepturi, nisi ex antiqua consuetudine hæc in pios vsus solita sint conuerti alioquin censebitur Simonia, & incurrent pœnas Simoniacorum, vt ibidem Concilium definit.

Quæst. 15. *An licitum sit offerre pecuniam Electoribus, ne eligant indignum?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Pro electione particularis personæ etiam dignissimæ non est licitum pecuniam offerre. Ratio est, quia hoc esset emere actionem spiritualem, nempe ipsam electionem, & annexum beneficium, sine vlla necessitate, neque censeretur esse redemptio vexationis. De statu necessitatis paulo post dicam.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Licitum est offerre pecuniam, vt non eligant ineptum. Ratio, quia hæc est mera redemptio iniuriæ seu lasionis iniustæ: Ecclesia. n. habet ius, vt non detur ei minister ineptus.

3 TERTIA CONCLVSIO. Etsi non videatur licitum offerre pretium pro electione particularis personæ, tamen licitum videtur offerre pro electione personæ idoneæ in genere. Ita *Sotus, Caiet. & alij.* Probatur, quia eiusdem rationis censetur offerre pretium, ne eligant ineptum, & vt eligant aptum. Si enim volunt eligere: hoc ipso quod non eligunt ineptum, necesse est vt eligant idoneum: ergo si aliud licet, hoc etiam licebit.

4. QVÆRES. quid si vnus tantum reperiatur idoneus, an tunc liceat offerre pretium vt eligatur, cum electio eius sit necessaria ad malum Ecclesiæ auertendum? Resp. cum *Soto suprâ & Nau. c. 22. num.* 102. id licere, quando nulla alia ratio obtinendi idonei suppetit. Ratio est, quia tunc non tam emitur electio, quam auertitur malum Ecclesiæ imminens.

Quæst. 16. *An licitum sit conferre beneficium pro munere vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio?*

1. VRbanus II. in c. *Saluator* 1. *quæst.* 33. prohibet his verbis: *Quisquis res Ecclesiasticas, non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel obsequij, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est.*

2. PRIMA CONCLVSIO. Si des aliquod huiusmodi munus ad conciliandam amicitiam duntaxat, vt postea tui memor tibi ex amicitia conferat beneficium, non erit Simonia in dante, nec in Collatore accipiente, si ea tanquam gratis donata accipiat, nec propter illa quasi pacto obligatus beneficium conferat. Ratio est, quia tunc non interuenit pactum, sine quo non potest esse Simonia. Dixi, *quasi pacto obligatus*, quia etsi se agnoscat sui obligatione gratitudinis adstrictum, & conferat beneficium, vt huic obligationi satisfaciat, non erit Simonia, vt docet *Nauarr. num. 106. & Couar. l. 1. var. resol. c. 20. num. 4.* quia Simonia requirit vt ex obligatione iustitiæ, seu ex pacto detur. Nota Quamuis hæc vera sint in foro conscientiæ, tamen satis esse periculosa in praxi, quia sæpe est magnum periculum Simoniæ, vel certè non probæ electionis, vbi munera intercedunt.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Si huiusmodi munus des cum intentione obligandi vt te præsentet, eligat, vel instituat, erit Simonia saltem mentalis ex parte tua. Similiter ex parte alterius, si eadem mente accipiat, vel postea velut ex pacto tacito beneficium conferat. Hoc probat Canon citatus.

## Quæst. 17. *An sit simonia conferre beneficium propter timorem?*

1. CONferre beneficium ob timorem nihil aliud est, quam conferre ad euitandum aliquod malum, quod ab alio times.

2. PRIMA CONCLVSIO. Conferre beneficiũ propter timorem, si nullum intercedat pactum non est Simonia, Est communis. Probatur ex defectu pacti. *Secundo*, quia licitum est confiteri aut communicare ex timore: ergo etiam dare beneficium. Nam vterque actus est æquè spiritualis.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si interueniat aliquod pactum, saltem occultum, per quod alter nouo modo censeatur in posterum manere obstrictus ad non nocendum, videtur esse Simonia. Ita *Sotus l. 9. quæst. 7. art. 3. & Victoria in relect. de Simon. num. 25.* Ratio est, quia illa obligatio est pretio æstimabilis: est enim nouum vinculum superadditum iuri naturali, quo vinculo obstringitur ille lege iustitiæ mihi non nocere.

4. TERTIA CONCLVSIO. Si non intercedat talis obligatio in posterum, sed solum agatur de præsenti euitatione mali non videtur esse Simonia, quia deest pactum iuxta primam conclusionem.

Quæst. 18. *An pensio possit vendi aut redimi pecunia?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Pensio quæ datur ad officium aliquod spirituale, qualis est pensio quæ datur Coadiutori Episcopi, vel Concionatori, non potest pretio vendi absque vitio Simoniæ. Est communis. Ratio est, quia talis pensio est annexa rei spirituali, sicut beneficium est annexum officio.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Pensio illa quæ fundatur in titulo merè temporali, potest redimi & vendi etiam pretio sine Simonia. Ratio est, quia nec in titulo spirituali fundatur, nec refertur ad functionem spiritualem. Sed difficultas est de reliquis pensionibus, quæ sunt quadruplices. *Prima*, quæ datur parocho seni non valenti amplius deseruire, vt se sustentet beneficio eius alteri collato. *Secunda*, quæ datur pauperi Clerico ad sustentationem. *Tertia*, quæ ad litem componendam. *Quarta*, quæ datur resignanti in fauorem, vel commutanti cum altero.

3. TERTIA CONCLVSIO. Non est Simonia, si is qui aliquam ex his pensionibus debet, eam præsenti pecunia redimat. Ita *Tolet. l. 5. c. 92. & passim DD.* in

*Clement. vnica, de supplendis negligentiis prælatorum.* Ratio est, quia redimere talem pensionem non est emere aliquod ius spirituale, sed extinguere onus temporale, nempe debitum soluendi quotannis certam summam.

4. QVARTA CONCLVSIO. Probabilius est, si ius antiquum spectemus, non esse simoniam, aliquam ex his pensionibus emere aut vendere. Ita *Caiet. opusc. 3. respons.* 10. & Canonistæ suprà de pensione quæ datur Parocho seni. Ratio est, quia huiusmodi pensiones non sunt spirituales: non enim dantur propter officium spirituale, sed ad alimenta, vel ad aliam causam temporalē.

5. NOTA *primo.* Magnum esse discrimen, an ius fructuum immediatè detur personæ, quamuis in ea requiratur certa conditio spiritualis. An vero detur ei titulo spirituali. Si enim titulo spirituali annectatur, ita vt qui illum titulum acquirit, simul acquirat ius prouentuum, iam hoc ius spirituale erit, nec vendi poterit: secus autem si immediatè detur personæ.

6. NOTA *secundo.* Vbi Bulla *Pij V. de pensionibus* est recepta, ibi pensionem esse rem spiritualem: statuit enim *Pius V.* vt omnes pensionarij ratione pensionis teneantur recitare officium B. V. & hac ratione pensio reuera est quoddam beneficium; sed plerisque locis hæc Bulla non videtur recepta.

## *De Pœnis Simoniacorum.*

Quæst. 19. *An omnis simonia inducat pœnas iuris?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nulla simonia inducit pœnas iuris ipso facto, nisi in ordine, beneficiis, & Religionis ingressu. Ita *Nau. c. 28. num.* III. *& Sylu. v. simonia quæst.* 19. Vnde si quis in aliis sacramentis cōferendis, vel accipiendis, si in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione emenda vel vendenda, in vicaria temporali conferenda simoniam cōmittat; grauiter quidē peccabit, non tamen cōtrahet

pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Simonia mentalis quæ absque externo aliquo contractu tacito vel expresso in ordine, beneficiis, aut religione peragitur, nullas pœnas iuris inducit, vt communiter docent Theologi, & Canonistæ. Imo plerique sentiunt Ecclesiam non posse simoniam internam hoc modo punire, quia non iudicat nisi de externis.

Quæst. 20. *Quas pœnas inducat simonia realis in ordinibus?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui confert ordines per simoniam realem. *Primo*, est excommunicatus, vt patet in *extrauag. Cum detestabile de Simonia. Secundo*, est suspensus à collatione cuiusuis ordinis, etiam primæ tonsuræ. Ita Bulla *Sixti V. de malè promouentibus & promotis. Tertio*, est suspensus ab executione omnium munerum Pontificalium, vt à consecratione templorum, altarium, calicum, Abbatum, Virginum; à benedictione vestium sacrarum, vt patet ex eadem Bulla. *Quarto*, interdictus est illi ingressus Ecclesiæ ibidem. *Quinto*, si contra suspensionem vel interdictum istud fecerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ, & à perceptione suorum fructuum omnium beneficiorum ibid. *Sexto*, nemo potest eum absoluere præter Romanum Pontificem etiamsi delictum sit occultum, quia Pontifex id sibi reseruat cum clausula derogatiua omnium priuilegiorum regularibus datorum, & concessionis factæ Episcopis à *Conc. Trid. sess 24. c. 6.* Puto tamen hanc Sixtinam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse vsu receptam.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui ordinem aliquem per simoniam realem suscepit. *Primo*, est excommunicatus ipso facto, vt habetur in *cit. extrauag. Secundo*, est suspensus ab executione suorum ordinum,

nec refert,

nec refert, an crimen sit occultum, an publicum, vt habetur in *eadem Extrauag.* An autem ab omnibus sit suspensus, an solum ab eo quem simoniacè suscepit, dubitari potest. Communior sententia est ab omnium ordinum executione suspensum esse. *Tertio*, si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis, quia violat censuram. Deinde per *Bullam Sixtinam* priuatur ipso facto omnibus dignitatibus, beneficiis, officiis, efficitur inhabilis ad omnia. *Quarto*, nemo præter Romanũ Pontificem potest illum absoluere à censuris, aut cum eo dispẽsare ex eo, vt patet ex *Bulla Sixti.* Sepositâ autem hâc Bullâ potest Episcopus, si casus sit occultus, & necdum ad forum externum deductus, vt patet ex *Trid. sess.* 24. *c.* 6.

Quæst. 21. *Quas pœnas inducat Simonia realis in beneficijs.*

1. PRIMA CONCLVSIO. Qui beneficium confert vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando, est ipso facto excommunicatus, vt patet in *Extrauag. cum detestabile*; hoc tamen non habet locum in officiis Ecclesiasticis quæ nõ sunt beneficia; neque in pensionibus, vel vicariis temporalibus, quia dicta extrauagans non loquitur de talibus.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Qui verò beneficium per talem Simoniam acquirit. *Primo*, est ipso facto excommunicatus, *ibid. Secundo*, omnis collatio & prouisio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit, *ibid. Tertio*, fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum *c. Nobis fuit de Simon. & c. penult. de elect.*

Quæst. 22. *Quas pœnas inducat simonia realis circa Religionis ingressum.*

1. CONCLVSIO. Simonia realis circa huiusmodi ingressum. *Primo*, inducit excõmunicationem

personis tam dantibus, quam accipientibus. *Secundo*, conuentui vel capitulo, si consensit in hanc simoniam, inducit suspensionem; vtrumque patet in *Extrauag. Vrbani IV. quæ incipit sanè ne in vinea Domini, de simonia*. *Tertio*, simoniaci admissi ad Religionem videntur iure inhabiles ad manendum in illo monasterio, vbi sic recepti sunt. Nam egent dispensatione Ordinarij, vt in eo possint permanere, vt patet in *dicta extrauag.* quod tamen locum non habet, si ipsis ignorantibus Simonia commissa sit.

Quæst. 23. *Quas pœnas inducat simonia confidentiæ?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Hæc simonia inducit *primo*, excommunicationem papalem vtriq; parti contrahenti. *Secundo*, priuationem beneficij, in quo commissa est simonia. *Tertio*, priuationem reliquorum beneficiorum ante obtentorũ, quamuis hæc non teneantur dimittere ante sententiam Iudicis. *Quarto*, inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cętera omnia. *Quinto*, omnia beneficia collata & acceptata in confidentiam simoniacam reseruata sunt sedi apostolicæ, ac proinde Ordinarius collator non potest ea conferre. Vide *Bullam Pij 5. apud Nauarr. de qua supra quæst. 12.*

2. SECVNDA CONCLVSIO. Quod si solum contractus huis simoniacæ esset celebratus & neutra ex parte completus, tunc dictæ pœnæ non contraherentur, vt colligitur *ex Bulla cit. Nauarr. supra.*

Quæst. 24. *An simonia conuentionalis inducat pœnas iuris?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Nulla simonia conuentionalis excepta ea, quæ confidentiæ dicitur, inducit ipso facto vllas pœnas iuris positiui. Ita *Nauarr. c. 23. num. 104. & plerique recentiores*, præsertim si loquamur de ea cõuentionali, quæ neutra ex parte completa est, vel de ea, in qua datum est quidem pretium,

sed nondum tradita res spiritualis. Dissentiunt tamen authores de ea, in qua res spiritualis tradita est, & nondum pretium persolutum. Nam *Sotus & Caiet.* putant hanc inducere omnes pœnas iuris, perinde ac si vtrimque completa esset; sed contrarium sine scrupulo teneri potest cum *Nau.* qui id benè probat, & soluit argumenta contraria.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si tamen postea hæc simoniaca pactio vtrimque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ & retrotrahuntur ad tempus pactionis. v. g. collator conuenit cum Petro 100. aureis de dando illi beneficio, & statim illud confert; sed Petrus nondum soluit pecuniam promissam; proinde nondum incurrunt pœnas iuris, nec collatio est irrita; si tamen postea etiam post menses vel annos Petrus soluerit, iam incursa censebitur excommunicatio ab vtroque ab initio contractus, & contractus censebitur ab initio nullus, & collatio inualida, vt ostendit *Nauar. c. 23. num.* 140. & patet ex praxi curiæ Romanæ, cui in hac re standum est. Nota tamen videri quibusdam hanc retrotractionem non habere locum in foro conscientiæ; sed tantum in externo. Vide *Henri. Henriq. de excom. c.* 19.

Quæst. 25. *An omne id quod Simoniacè acceptum est debeat restitui?*

1. HÆc quæstio potest dupliciter intelligi. *Primo*, an debeat restitui iure diuino. *Secundo*, an iure Ecclesiastico. De priori sensu vide *Nauarr. c. 28. num.* 103. 104. De posteriori sit.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si loquamur de re spirituali simoniacè accepta, non tenemur eam restituere, nisi sit beneficium Ecclesiasticum: hoc enim debere dimitti iure Ecclesiastico, patet in *extrau. Cum detestabile, de simon.* Cætera autem spiritualia, vel dimitti non possunt, vt sunt sacramenta: vel non sunt dimit-

tenda ante ſententiam, quia canones illud de iis non ſtatuerunt. Hoc modo ſimoniacè admiſſus in monaſterium, non tenetur illud ante ſententiam dimittere. Idem eſt de reliquis ſimoniacè comparatis.

3. DICES. Omnis pactio in ſpiritualibus eſt irrita, & nullius momenti, vt habetur *c. fin. de pactis*, & c. *Præterea. de tranſactionibus*. Reſpondeo inde tantum ſequitur rem ſpiritualem, quæ reſtitui poteſt, eſſe reſtituendam, ſi repetatur, & pretium pro ea datum reſtituatur: non autem altero non repetente, aut nolente pretium reddere. Nam etſi pactum ſit irritum; non tamen obligat ad mutuam reſtitutionem cum damno partis, niſi ſuperior in pœnam cogat.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Si loquamur de pretio ſimoniacè accepto, tenemur illud iure poſitiuo reſtituere. *Primo*, ſi acceptum ſit pro beneficio, vt patet c. *de hoc de ſimon. Secundo*, ſi acceptum ſit pro collatione ordinum, vel aliorum ſacramentorum, aut ſacramentalium, & notabiliter excedat id quod pro ſuſtentatione exigi poterat. *Tertio*, ſi acceptum ſit pro admiſſione in Religionem c. *veniens de ſimon.* vbi Pontifex mandat, vt Abbas & Monachi compellantur reſtituere id quod acceperant à quodam, vt eum in Monachum admitterẽt. Puto tamen eos ad id non teneri ante ſententiam, ſi admiſſus in monaſterio permaneat, quia ratione alimentorum videtur poſſe retineri. Confirmatur, quia reſtitutio ante ſententiam eſſet facienda ei qui admiſſus eſt; vel parentibus, qui eius nomine dederunt. Atqui hi conſentiunt, vt pro alimentis retineatur. Deinde *Vrbanus IV. in Extrauag. Sanè in communibus, de Simon.* permittit, vt ſic acceptum retineatur, modò non in priuatum vſum Abbatis vel Abbatiſſæ, ſed in communem vſum conuentus conuertatur.

Quæst. 26. *Cui debeat fieri restitutio pretij, & quando?*

1. PRIMA CONCLVSIO. Si aliquid temporale acceptũ sit pro conferendo beneficio, vel alia re spirituali, non secuta collatione, iure naturæ restituendum est ei, à quo acceptum est. Ita *Victor. in relect. de simon. pag. 2. num. 6. Cajet. v. simonia c. 3. Soto lib. 9. quæst. 8. art. 1.* Ratio est manifesta, quia deest titulus, cur possit retineri, cum illud pro quo datũ est, non præstetur, ac proinde debet reddi ei, à quo acceptum est, cum iura non iubeant alteri dari. *Couarr.* tamen ad regulam peccatum *pag. 2. §. 2. num. 2.* putat restituendum esse in pios vsus; sed argumenta solum probant non posse repeti in foro externo.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Si vero beneficium sit traditum, ita vt vtrimque sit simonia completa, sunt duæ sententiæ DD. Nam aliqui putant pretium acceptum in hoc casu ante sententiã Iudicis esse restituendum ei, qui dedit; post sententiam, cui Iudex addixerit. Ita *Soto lib. 9. quæst. 8. art. 1. Bannes in 2. 2. quæst. 32. art. 7. & multi recentiores.* Ratio est, quia is qui pretium dedit, non amisit pretij dominium: non enim transtulit dominium eius in venditorem rei spiritualis, quia venditor in tali casu est incapax illius dominij iure positiuo; neque alter intendit à se abdicare dominium alia ratione, quam transferendo in venditorem: ergo cum in hunc non sit translatum, verè manet apud emptorem: ergo emptori restituendum est.

3. DICES. Ecclesia illum priuauit dominio. Respondent Authores citati talem priuationem non fieri, nisi per legem pœnalem, quæ neminem ante sententiam ita re sua priuat, vt eius dominium amittat. Hæc sententia non est improbabilis. Cõtraria tamen (nempè etiam ante sententiam Iudicis pretium istud esse restituendum Ecclesiæ) videtur esse magis recepta, quam tenent *Sylu. v. Simonia quæst. 30. Victoria & Cajet. supra,*

*Canonistæ* in c. *de hoc*, & c. *Audiuimus*, *de simonia*, & plerique omnes DD. qui fuerunt ante Sotum, & aperte colligitur ex c. *de hoc*, vbi Pontifex dicit Regem & Principes inducendos esse, vt restituant Ecclesiæ: loquitur autem ante sententiam, & in foro conscientiæ. Idem colligitur ex c. *audiuimus*. Et ratio est, quia contra mentem Ecclesiæ est vt restituat danti. Nam Ecclesia intendit vtrumque punire; nec obstat quod pœna non dicatur deberi ante sententiam: quia quod ille teneatur rem illam, quæ sua non est, dare Ecclesiæ, vel expendere in pios vsus, non est pœna, sed simplex præceptum: cum enim non possit eam retinere, graue non est ei, quod debeat illam tali modo expendere.

FINIS.

# INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ HOC TRACTATV CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, posterior numerum marginalem designat. Vbi numerus marginalis solum apponitur, ad proximè denotatam paginam refertur.

## ABDVCTIO.


ABDVCENS *aliquem à religione ad quid teneatur.* pag. 249. *num.* 2. 3. & pag. 251. 252. *num.* 4. 5

Ablatio.

*Ablatio mancipij inuito domino an sit furtum.* pag. 361. 3

Acceptio personarum.

*Acceptio personarum quid sit.* 333. 2

*In quibus locum habeat.* 333. 3

*In Deo non est personarum acceptio* 4. *ex genere suo est peccatum mortiferum.* 5

Accepta.

*Accepta ob turpem causã, an & quando necessario restituenda & cui.* 311. 4. 5. *Accipiens mercedem operis turpis patrati non necessariò approbat opus.* 312. 6.

*Accepta ob causam honestã, ad quam obligabaris ex iustitia, sunt restituenda.* 313. 2. *Item si ex charitate obligabaris, nisi sit opus sumptuosum & laboriosum.* 314. 4. *secus ob ea quæ cedunt in honorem solius Dei aut vtilitatem proximi.* 5.

Acceptare.

*Acceptare promissionem vel*

*donationem qui possint.* 123. 2. & 124.3

*Acceptatio promissionis vel donationis absenti factæ quando sit fieri debeat.* 119.1. & 120.2.3.4. *An possit fieri post mortem promittentis vel dantis.* 122.2.3

Accusatio. Accusator.

*Accusatio quid.* 396.1. *Quæ eius solemnitates.* 2

*Accusationem an præcedere debeat secreta monitio.* 397.1. *An semper* 3. & 398.4

*Accusator an desistere possit & quibus casibus ab accusatione incepta* 398.1.2

*In causa ciuili quando possit actor à lite recedere.* 399.3

*In criminali quando possit, quando non* 4. *In crimine publico capitali quando transigere sit licitum.* 400. 6

Adiuratio.

*Adiuratio quid* 560.1. *dupliciter fit* 2. *Quinam adiurare possint.* 561.3

Adolescens.

*Adolescentes acceptantes inuiti beneficium an ad horas teneantur?* 496.6

Adoratio.

*Adoratio quid sit.* 501.2. *variè sumitur, ibid. Adoratio externa secundum se adiaphora.* 2.3

Adulator.

*Adulator quando teneatur ad restitutionem.* 294.8

Adulter. Adulterium.

*Adulteram filiam & adulterum occidere an liceat. pag.* 342. *num.* 3

*Adulter ad quid teneatur.* 265.2.266.4.5

*Adultera secuta partu ad quid teneatur. p.* 267. *num.* 1. 268.2.4.5

Aduocatus.

*Aduocatus an teneatur pauperibus patrocinari gratis & quando pag.* 414.1.415.2. *si tuetur causam iniquam, tenetur de damno quod parti obuenit ratione illius patrocinij pag.* 414. *num.* 1.2

*An & quando possit causam dubiã tueri.* 412.1.413.2

*An cum videt causam iniquam possit cum altera parte transigere.* 414.3

Æstimatio.

*Æstimatio lucri, quod eccisus faciebat, quomodo facienda.* 259.2.3

Anima.

*Animæ occisi ab occisore nihil ex iustitia restituendum. p.* 260. *num.* 2

Apprehensio.

*Apprehensio alia vera, alia ficta.* 42.1. *Vbi ficta habeat locum.*

Aucupium.

*Aucupans contra iustam prohibitionem quomodo peccet.* 93.94.95

Audire.

*Audiens detractorem quomodo peccet.* 417.1.2.3.4

*Audita referens quando peccet.* 418

BENEFICIVM.

*QVid sit resignare beneficium in confidentiam.* 584.1.2.3. *In beneficijs quotuplex est ius.* 588.1

*In beneficio an qui habet ius in re, possit redimere vexationẽ, & quam, & à quibus.* 3.4. *& à quibus non potest.* 2

*In beneficijs an liceat vexationẽ redimere ab eo cuius est in possessionem mittere.* 587.5

*An sit licitum beneficium cõferre pro munere vel à manu vel à lingua, &c.* 589.2.3

*Beneficium conferre propter timorem quid sit.* 589.1

*Beneficiarij sunt domini proventuum quos accipiunt ex decimis etiã quoad eam partem quæ est superflua.* 59.7. & 60. *Soluuntur argumenta Nauarri.* 65.2

Bona.

*Bona immobilia quæ dicantur?* 76.7

*Bona quando censeantur incerta.* 307.1.2

*Bona incerta iure positiuo sunt in pauperes distribuẽda.* 307.3. *An etiam iure naturali.* 308.4. *Si qui habet verè pauper est, potest ea retinere.* 309.5. *Si non est verè pauper tenetur vero pauperibus restituere.* 310.2

*Inuentor incertorum bonorum post diligentem inquisitionem potest ea retinere.* 310.1

*Bona filijfamilias quadruplicia.* 52.1

Bona fides.

*Bona fide rem furtiuam emens potest furti reddere.* 305.2

CALLIDITAS.

*CAlliditas causa quid?* 316.3. *An inter causas damni secundarias sit aliquis ordo in restituendo.* 298.3

*Vni ex causis condonatione facta ad quid teneantur reliquæ, ibid.* 5

*Causa damni negatiua ad quid teneatur.* 299

*Causæ excusantes à resti-*

tutione. 328.1

Census

Census variè sumitur. 445.1

Census quid, ibid. variè diuiditur. 2. Reseruatiuus quid. 2. quid consignatiuus. 446. variè diuiditur. 3. definitiones singulorum membrorum, ibid.

Census noui emptio licita. 447.2

Census personalis emptio licita. 448. 2. qualis debeat esse persona super quam constituitur. 450. 4. Hypothecam in eã exigere licitũ est. 5

Census realis irredimibilis emptio licita. 452.2

Census realis perit pereunte re super quâ fundatur. 3. An possit in tali censu exigi hypotheca. 453

Census personalis irredimibilis an possit emi minori pretio quam sint pensiones speratæ, ibid.

Censum perpetuum irredimibilem an emere liceat minori pretio quam sint pensiones speratæ. 452.2

Census temporalis quid. 454.1

Censum temporalem an emere liceat minori pretio, quam sint omnes pensiones simul sumptæ, ibid. 2.3

Censum vtrumque redimibilem an liceat emere. 455. 1.2

Conditiones iure positiuo requisitæ in censibus. 458

Cessio bonorum.

Cessio bonorum quatenus excuset à restitutione. 329.4

Cessiones beneficiorum reciprocæ an licitæ & coram quo faciendæ. 582.5

Christus.

Christus homo non fuit rex temporalis. 682

Christus vt sit passus iniuriam. 205.5

Clericus.

Clerici non religiosi quorum bonorum dominium habent, quorum non. 57. 1. 2. 3. 4. 5

Clericus an & quando facultates tueri possit occidendo. 348.5. an sic contrahat irregularitatem, ibid.

An omnes clerici obligentur ad horas canonicas. 491. 1. An ab hac obligatione liberentur per excommunicationem. 492.3

Clerici minorum ordinum an vi ordinis obligentur ad horas canonicas, an ad quippiam aliud. 493.4

Commodatum.

*Commodatarius quibus casibus tenetur de euentu fortuito?* 317.5.6

*Pro commodato reddendo nil potest exigi.* 313.2

Commutare.

*Omnia Vota ante emissa licet commutare propria autoritate in votum religionis.* 539.6

*Vota commutare qui possint & quo pacto.* 537.1

*Quomodo commutare debet qui tantum habet potestatem commutandi.* 540.7

*An votum factum in fauorem alicuius piæ causæ possit commutari in fauorem alterius.* 538.3

*An etiam si voto illi addita sit promissio determinans.* 539.4

*Causa commutationis qualis esse debeat.* 540.8. *Factâ cõmutatione an possit vouens redire ad prius votum.* 9

Compensatio.

*Compensare infamiam pecunia non tenemur ex iustitia.* 271.1. *si tamen infamator compellatur per iudicem, tenetur.* 272.3

*Compensandũ integrè damnum quod sequitur ex infamia falsa.* 274.1. *item quod ex patefactione crimini veri.* 2

*Ad compensationem damnorum tenentur hæredes infamatoris defuncti.* 275.2

*Compensatio in restitutione famæ quomodo facienda?* 279.1.2.3

Conditio.

*Conditio impossibilis dupliciter dicitur.* 141.4

*Quandoque reddit contractum irritum.* 5. *quandoque non.* 159.6

*Conditionalis donatio quãdo valida, quando non.* 155.1.2.3

Condonatio.

*Condonare famæ restitutionem qui possint.* 277.1.2.3.4

*An læsus si condonet læsori, ad nil teneatur qui læsit.* 263.8

Consulens.

*Consulens damnum ad quid teneatur.* 291.292.5.6

Contractus.

*Contractus strictè quid.* 160.1. *quid latè, ibid.* 2

*Contractus varia diuisio, ibid.* 1

*Contractus superficiarius quid?* 35.2

*Contractus libellarius seu libellus quid, ibid. 1*

*Cõtractus nominatus quid, quid innominatus. 161. 2. quid bonæ fidei, quid stricti iuris. 3. quid lucrativus, quid oneros. 4. quid nudus, quid vestitus. 5*

*Contractus quando obliget, quando non. 162. 1. 2*

*Contractum quando iuramentum confirmet, quando non. 163. 4*

*Contractui dupliciter addi potest iuramentum. 164. 6*

*Contrahere qui possint, ibid.*

*Contractus qui in utilitatem dantis, qui in utilitatem solius accipientis fieri dicantur. 315. 2*

*Ratione contractus quando facienda restitutio, ibid.*

*In contractibus ex quotuplici capite damnum inferri potest. 316. 3*

*Ad damnum datum in re alterius quæ apud te sit ex cõtractu iure naturæ non teneris nisi ab dolum aut latam culpam. 317. 7. Iure humano an ad illud tenearis & quando. 318. 8*

*Si contractus cedat tantum in commodum eius cuius res est, an tenearis de damno & quando. 9. Quid si contractus in utilitatem utriusque cedat. 319. 10*

Cooperans.

*Cooperans ad idem damnum indivisum tenetur ad restitutionem in solidum. 295. 2*

*Si non cooperatur ad idem sed distinctum infert, tenetur tantum pro sua parte. 296. 3*

*Cooperantes ad idem damnum quo ordine teneantur in solidum restituere. 295. 1*

*Cooperari ad furtum quot modis quis possit. 290. 2*

*Cooperari ad furtum iubendo quantum & quando restituere teneatur. 3. quando non. 4. 5. & 292. 1. 2*

*Ex cooperantibus ad usuras qui restituere teneantur. 441. 1. 442. 2*

Corruptor.

*Corruptor virginis ad quid teneatur. 263. 1. & 264*

Creditor.

*Creditoribus quo ordine satisfaciendum. 321. 1. 2. Cuius res in specie adhuc extat an ei primò ex ea satisfaciendum, ibid.*

*An prius petenti liceat*

*prius soluere.* 326. 2. *An pauperes præferendi ditioribus.* 3

*Creditoribus defuncti homicida non tenetur.* 261. 2

*An si creditori restitutio puretur nocitura, sit differenda.* 350.5

Crimen.

*Crimen quot modis dicitur publicum.* 420.1

*Crimen alibi publicum, vbi secretum est reuelare an & quale peccatum, ibid.* 2. *An sit contra charitatem.* 421.5

*Criminales causæ à ciuilibus quid differant.* 375.1

Culpa.

*Culpa alia iuridica, alia theologica.* 316.3. *Diuiditur in latam, latiorem, latissimã, leuem, leuissimam, ibid. Singularum definitiones, ibid. Lata requiritur ad necessariam restitutionem.* 5

*Qualis requiratur in contractibus ad restitutionem.* 319.10.9

Cultus.

*Cultus religionis quomodo ab honore differat.* 460.3

*Cultus sanctorum quotupliciter sit.* 468.2

*Cultus imaginum qualis.* 470.5

*Cultus sanctorum an sit actus religionis.* 471.8.472.9

*Cultus Deo non debetur diuersæ speciei ob diuersa beneficia aut tributa.* 473.1. & 474. 1. *non deberetur cultus Deo si nihil ab eo accepissemus, ibid.* 3.2

*Cultus illegitimus quid.* 562. *Varia eius membra & quid sint.* 4.5

Damnvm.

*Qui damnum infert rei crescenti ad quid teneatur.* 288.2

*Damnum emergens quid est?* 428.1

*Damnum ex infamia sequens restituendum.* 273.3

*An ratione damni emergentis liceat aliquid exigere supra sortem, & quando, & an de eo pacisci.* 428.2.429.3

Debitum.

*Debita certa an prius soluenda quam incerta.* 320

*Debitum quotupliciter dicitur incertum, ibid. Quid faciendum quando res incerti domini adhuc extat in specie.* 320. 2. *Quid quando an extat, ibid. An quando res vendita extat, venditor præ-*

ferendus. 321.4
Debita ex delicto an præferenda debitis ex certo contractu. 324.2
Debita certa quo ordine soluenda. 225
An si tibi debeo, soluam creditori, liberer à solutione tibi faciendæ. 330.7
An debita rei interitus excuset à solutione. 331.7
Pro debito soluendo nil potest exigi. 317.2
Debitum fidelitatis quomodo differat à debito iustitiæ. 128.10
Debita ex contractu quotuplicia. 328.5

Decimæ.

Decimas soluere an Christiani teneantur & quo iure. 509.1. An sint eleemosynæ. 2. An secundum quotam iure diuino debeantur. 510.4
Decimarum solutio cuius virtutis actus. 511.6
Decimarum quotam an conuenienter ecclesia statuerit. 512.2
Decimarum soluendarum rationes, ibid.
Decimæ ex quibus rebus soluendæ & quare. 513.2.3.4
An ecclesia habeat decimarum dominium ante earum separationem. 5
Decimæ quomodo soluendæ. 514.1
Decimæ ex fructibus omnino integris deducendæ. 2. quibus soluendæ. 515.1. & 2
Decimas prædiales soluere qui teneantur. 516.1. qui personales. 2. Clerici omnes imò & Episcopi decimas soluere debent Pontifici. 3

Defectus.

Defectus veniales proximè narrare quale peccatum. 416.3. quale naturales, ibid.

Defensio.

Defendendo vitam propriam licet alterius mortem intendere. 344.2. & 345.5
Quâ id fiat authoritate. 345.6
Defensio sui cum periculo innocentis an licita. 350.1
Defendendo facultates proprias an liceat furem occidere. 347.2
An id etiam liceat Clerico. 5
Defendere pudicitiam & honorem an liceat occidendo inuasorem. 348.1
Defendere alterum cum inuasoris occisione an liceat. 349.1. An ad id tenearis

*cum periculo vitæ, ibid.*

Derelictum.

*Derelicta quæ dicantur.* 104.1.105.2

Detractio.

*Detractio quid.* 415.1. *quomodo differt à contumelia, ibid. quot modis fit directè, quot indirectè, ibid.* 3

*Detractio quale peccatum.* 416.1

*Detractoris defuncti hæredes non tenentur ad restitutionem famæ.* 275.1

*Detractorem subditum non impediens prælatus ad quid teneatur.* 277.2

*Detrahentem externum de suo subdito non impediens prælatus ad quid teneatur, ibid.*

Deuotio.

*Deuotio quotupliciter sumitur.* 475. 1. *vnde nascatur.* 476.2.3

Dignitas.

*Dignitas quotuplex in sanctis.* 469.4

*Dignitas moralis in sanctis quid, ibid.*

Dispensatio.

*Dispensare quid.* 540.1

*An sit in ecclesia potestas dispensandi.* 2

*Dispensare in votis qui possint.* 541.3

*Episcopi in quibus votis possint dispensare.* 4. *quæ vota Pontifici reseruata.* 5

*Quisquis habet potestatem dispensandi ordinariam vel delegatam, habet & commutandi, non contra.* 539.6. *An æqualis causa requiratur ad dispensationem & commutationem.* 540.8

*Prælati in quibus & quorum votis possint dispensare.* 542.6. *Confessarij ordinum mendicantium in quibus possint, in quibus non.* 7

*An Parochi possint dispensare.* 8

*Dispensatio sine causa an valida.* 9. *Quæ causa iusta ad dispensationem voti.* 10

*An Papa possit dispensare in voto solemni castitatis Religiosorum.* 143.1.345.4

*An Superior dispensare possit in obligatione Horarum Canonicarum.* 498.3

Diuinatio.

*Diuinatio quot modis fit.* 563

Diuisio.

*Diuisio prima rerum quomodo & quando facta.* 85.1. 2. *Fuit vtilis, ibid.* 1. *Fuit licita.* 2. *Vt non sit facta iure*

naturali. 87. 1. nec diuino, sed gentium. 88.3.

Dolus

Dolus quid. 316.3

Dominium, dominus.

Dominium quid? 16.1. Minus latè patet quam ius in re. 17.3. Aliud iurisdictionis, aliud proprietatis. 17.1

Dominiũ proprietatis aliud plenum, aliud non plenum. 2. Non plenum aliud directum, aliud vtile, ibid.

Ad dominium alicuius rei comparandum quando requiratur traditio. 18. 1. Princeps cuius est legem condere non transfert dominium suarum rerum suo titulo. 21.3

Dominij subiectum.

Dominij competentis homini fundamentum non est gratia. 48. 4. neque fides. 49.5

Dominij rerum temporalium triplex titulus, ibid. 7. Obiectiones ex scriptura solluntur. 8. & 50. 9. 10. 11.

Paruuli sunt verè domini suorum bonorum etiam ante vsum rationis. 52. 1. Item amentes. 3. Itemque quandoque serui. 53.1

Dominium in communi habere possunt religiosi professi. 53. 1. non possunt tamen in particulari. 54.3

Hæc dominij incapacitas non oritur ex voto, sed ordinatione ecclesiæ. 54.4

Quàm grauiter peccent religiosi aliquid sibi retinentes. 5.6

Dominij incapaces non sunt religiosi non professi. 57. 7

Dominium plenum habent episcopi circa fructus quos percipiunt ex bonis immobilibus. 58.6

Dominij obiectum.

Dominium vitæ & membrorum an homini competat. 76.77.7

Respublica non habet dominium vitæ subditorum. 6

An homo sit dominus suæ famæ. 77.3

Dominium hoc vt aliquando sit ligatum. 78.4

An sit naturale. 6. An possit vendi. 79.7

Respublica habet dominium famæ singulorum ciuium. 78.5

Vt homo sit dominus bonorum

rum spiritualium. 79. 3. vt non. 80. 4

Homo iustè dominari potest alteri. 81. 2

## Donatio.

Donatio quid. 105. 1. Donationis à promissione differentia. 109 1

Donare qui possint. 1, 2. 1. 2

Donatio inter coniuges iure communi inualida. 133. 1

Duobus modis confirmatur. 2. quandoque statim valet. 3

Donatio patris in filium nondum emancipatum inualida. 134. 1. Duobus modis confirmatur. 2. quandoque statim valet. 3

Donatio omnium bonorum iure communi inualida. 135. 1. quandoque valet. 2

Donatio vltra 500. solidos sine insinuatione, inualida. 136. 3. quandoque valida. 137. 4

Donatio inter viuos quid. Mortis causa quid, ibid. 1

Donatio inter viuos reuocari potest tribus ex causis. ibid. 2. Ratione ingratitudinis. 137. 3. excipiuntur quidam casus. 138. 4. ratione prolis suscepta, si sit inofficiosa. 139. 6

Donatio mortis causa reuocatur tres ob causas. 140. 1

Donatio ante acceptationem ordinariè non obligat. 115. 1. quandoque tamen obligat. 116. 3. quod obliget ante acceptationem probabile est prouenire ex solo iure positiuo. 18. 1. Probabilius tamen etiã ex naturali vel gentium. 2

Donatio interna facta Deo, obligat facta homini, nõ 114. 1. idque iure naturæ, ibid. 2

Donare gratis quomodo melius quam ex obligatione, ibid.

## Dubium. Dubitatio.

Dubitans an res sit sua, manente dubio potest retinere, tenetur tamen inquirere. pcg. 306. 1

Dubitans an res sit aliena, potest eam accipere titulo donationis, permutationis, &c. cum animo restituendi si dominus inueniatur, ibid. 3. si animo sibi retinendi accipiat, peccat, non tamen restituere tenetur statim. 307. 4

*Dubia de rebus non sunt in meliorem partem interpretanda.* 218.3 *de personis vero sunt.* 4

*Quomodo & quando dubia de personis tenemur ex iustitia in meliorem partem interpretari.* 219.5.6. & 220.9.10

*Quando agitur de vitando damno vel adhibendo remedio, dubia de personis sunt in deteriorem partem interpretanda & quomodo.* 221.13

ELECTIO.

*Electoribus né indignum eligant an liceat pecuniam offerre.* 588.2

*Pro electione particularis digni an liceat.* 1

*Pro electione idoneæ personæ in genere an liceat.* 3

*An liceat pro electione idonei quando ille solus est.* pag. 4

Excommunicatus.

*Excommunicatus occultus non peccat usurpatione iudicij.* 225.1. *Neque notorius tolleratus post Concil. Constãt.* 226.3. *nominatim vero denunciatus, & manifestus clerici percussor peccat, suntque eius acta irrita.* 228.7

Emphyteusis.

*Emphyteusis quid.* 33.2

*Emphyteuta quomodo ab usufructuario differat.* 34.3

Emptio, emptor.

*Emptor rei alienæ malâ fide tenetur domino reddere.* 306.6. *contrarium tamen est probabile.* 7

Expensæ.

*Expensæ funeris an restituendæ ab occisore.* 260

*Cuius expensis & quo loco faciẽda restitutio.* 326.2.4.5

FALLACIA.

*Fallacia quomodo fit.* 316.3

Fama, famosum.

*Famæ suæ homo est dominus.* 77.3

*Fama interdum cum periculo vitæ restituenda.* 269.1. *interdum non, ibid.*

*Famæ restitutionem multa excusant.* 280

*Fama quomodo restituenda si crimen falsum sparsisti.* 273.1. *quomodo si occultum manifestasti, ibid.*2

*Infamare restituenda quomodo non sit mendacium, ibid.*4

*Famâ aliâ viâ recuperata non est restituenda.* 174.2

Feræ.

*Fera vulnerata ordinariè est capientis, quandoque vulnerantis.* 97.2

*Fera meo laqueo capta quãdo sit mea, quando eximentis & auferentis.* 98.2.5

Feudum.

*Feudum quid.* 34.1

*Feudi ab Emphyteusi differentia.* 2

Fides bona, mala.

*Fides bona in præscriptione quid.* 169.1

*Fides bona ad præscribendum requisita, ibid.*

*Dubitans quomodo habeat bonam fidem.* 171.2. *quomodo non.* 3

*Fides mala nunquam præscribit.* 172.2. *Soluuntur obiectiones contra.* 173.4

*Fideicommissaria substitutio quid?* 156.8

Filiũs.

*Filij an & quando peccent mortaliter accipiendo & expendendo bona patris.* 365.1. *quando non.* 366.2

*Filius naturalis quid* 150.1

*Potest institui hæres.* 153.9. *succedit matri si non habeat legitimos.* 154.10

Fiscus.

*Fisco adiudicata bona quanto tempore præscribantur.* 182.2.183.4

Fraus.

*Fraus in contractibus an differat à furto.* 360.3

Fructus.

*Fructuum inæqualitas in permutatione beneficiorum quot modis compensari potest.* 585.4

*Fructuum alij rei, alij industriæ.* 285.2

Furtum.

*Furtum quid & quomodo à rapina differat.* 359.1

*Furtum quotuplex.* 360.1 *quale peccatum.* 361.1. *Unde fit veniale, ibid.*2

*In furto quantitas notabilis materiæ quomodo respectu diuersorum sit diuersa.* 361.3.4. *&c.*

*Furari rem paruam cuius ablatio magnum adferat incommodum quale peccatum.* 362.5

*Furta minuta multiplicata an faciant unum mortale.* 363.2. *An in singulis sit nouum peccatum mortale.* 364.4 *Quid si per ea non intendit ditescere, sed tantum ex occasione committit, ibid.* 5

An vltimum complens quantitatē notabilem sit peccatum mortale. 6 An idem dicendum de escitentis & poculentis. 365.8

Furtū quot modis fieri possit. 289.1. & quot modis possit quis ad illud cooperari 290.2

Furti consentiens quando ad restitutionem teneatur. 294.7

Quando recursum præbens, ibid. 9

Quando participās. 295.11

Fur tenetur restituere fructus rei naturales. 285.2. etiā quādoq; industriæ, ibid. Quod si fructus consumpsit nec inde factus est locupletior non tenetur restituere. 286.5

Res furtiua si apud furem pereat, apud dominum non peritura, fur tenetur ad restitutionem. 282.1. seruus si furi esset peritura, idque siue casu siue furis culpâ perierit. 285.5. si tamen rem vendidit tenetur restituere id quo factus est locupletior. 285.6

Qui rem furtiuam accepit gratis non potest furi restituere nisi sit moraliter certus ipsum restituturum. 304.1

Fur an fideliter possideat rem furtiuam, ibid.

HÆRES.

Hæres quis dicatur. 152.9

Hæres instituī quis possit. 150

Holocaustum.

Holocaustum quid. 507.3

Homicidium, homicida.

Homicidium cui virtuti opponitur. 335

Homicida vel mutilator ad quid teneatur. 254.1. si moriatur, an hæredes teneantur. 2. Quando homicida sustinuit pœnam talionis, hæredes in rigore tenentur ad resarcienda damna. 258.2. probabile tamen est non teneri in conscientia, nisi petantur, ibid. 3

Homicida vitam serui compensare debet pecuniâ. 259.2. vitam liberi in conscientia, non. 3

Honor.

Honor restitui debet. 281.1. Honor variis modis restituitur. 3

Horæ canonicæ.

Horæ canonicæ an vtiles & retinendæ in ecclesia. 491.1

Quot hominum genera ad horas canonicas obligentur. 393.1

An per excommunicatio-

nem libercntur. 492.3
Ad horas canonicas an omnes beneficiarij teneantur. 464. 1. quando ea obligatio incipiat. 2
Qui ab hac obligatione excusentur. 495.3. An & quãdo excusetur beneficiarius primo & secundo anno. 4
An excusentur qui habẽtes altaria aut capellas cum non sint sacerdotes, expendunt maiorem partem prouentuum in substitutum qui sacra faciat. 496.5
An excusentur qui possidẽt beneficium litigiosum aut habent fructus sequestratos. 497. 7. An qui ideò non recipiunt fructus quia non residẽt cum possint. 8
Horas legendi obligatio quanta sit. 498.1
An quælibet omissio horarum sit peccatum mortale. 2
Horæ quomodo recitandæ, & quot ad hoc conditiones requisitæ. 298.12
Horas interrumpere quantum peccatum. 3
Horarum ordinem immutare an liceat. 500.6
Ad horas deuotè recitandas quæ requirantur. 499.4
Horæ quo tempore legendæ, ibid. Matutinum & laudes licet pridie ad vesperam legere. 3
Horas paruas non licet pridie legere, licet tamen mane omnes vsque ad vesperas exclusiuè ob honestam causam. 500.4. Ante Matutinum & Laudes celebrare non est peccatum mortale. 5. Officiũ pro officio legere etiam data opera non est peccatum mortale. 7

Hostia.

Hostia pacifica quid. 507.3

IDOLOLATRIA.

IDololatriæ nomen quotupliciter sumitur. 563
Idololatria propriè dicta quid, ibid.

Ignorantia.

Ignorantia clara iuris an sufficiat ad præscriptionem. 171.2. & in quo foro. 3
Ignorantia clara iuris verè dubij & valde dubij sufficit. 4. Item ignorãtia facti. 172.5

Illegitimus.

Illegitimi duplices. 150.1
Illegitimi an possint instituti hæredes, ibid.

Impediens.

Impediens aliquem à consequendo beneficio vel officio, vi vel fraude, tenetur ad restitutionem. 287.2

*Impediens precibus vel blanditijs non tenetur*, ibid. 3

Impubeles.

*Impuberum votæ an possint à Patre irritari.* 535. 12

*An vota Impuberum facta ante pubertatem possint post pubertatem irritari à patre.* 13

*An vota impuberum quæ conferuntur in tempus pubertatis.* 14

Infamia.

*Infamare an & quando sit peccatum mortale. An contra charitatem, an iustitiam.* 418. 2. 3

*An vno loco infamiē liceat alio infamare.* 420. 2. *An sit contra charitatem.* 421. 5

*Infamem vno crimine an & quando liceat de alijs infamare*, ibid.

*An liceat iniuriam sibi factam amico deferre.* 422

*Infamator, non tenetur restituere famam alibunde recuperatam.* 272. 2

*Qui bona fide putans aliquod crimen esse publicum infamauit proximum tenetur ad restitutionem statim atque cognouit.* 276. 1. *non tamen cum graui suo incommodo*, ibid. 2

*Neque tenetur ad damna, quæ alter est inde passus.*

Iniuria, iniustitia.

*Iniuria in quo consistat.* pag. 202. 1

*Iniustitia quid.* 202. 1. 2

*Iniustitia habitualis in quo consistat*, ibid. 3

*Iniustus quis*, ibid. 2. 3. 4

*Quomodo intelligenda hæc regula, scienti & consentienti non fit iniuria.* 203. 1. & 205. 4. *Martyres & Christus vt sint passi iniuriam*, ibid. 5

Innocens.

*Innocentem occidere an quandoque liceat.* 350. 1. *An Respublica cogere possit innocentem vt Tyrannum occisurum adeat.* 351. 5

Inquisitio.

*Inquisitio quotuplex & definitio singulorum membrorum.* 381. 1

*Modus procedendi per inquisitionem quam latè se extendit*, ibid. 4

*An quando via generalis inquisitionis procedit, debeat præcedere infamia personæ delicti.* 382. 2

*Inquisitione generali interrogati subditi an detegere possint criminosos.* 4. *An teneantur.* 3

*Inquisitionem mixtam an*

*præcedere debeat infamia.* 383.2

*In inquisitione mixta subditi iuramento requisiti an teneantur autherem detegere.* 384.4

*Inquisitionem particularem non semper præcedere debet infamia.* 385.3.4.5

*Quando requiruntur quanta esse debet, ibid.*

Inuasor.

*Inuasorem præueniendo occidere an liceat.* 344.2

*An permittere liceat se ab inuasore occidi.* 346.9

*An se contra inuasorem tueri liceat cum periculo innocētis quo se protegit.* 346.8

*Inuasorem prouocantem occidens ad nihil tenetur.* 255.1

*Inuadentem vero sine prouocatione, si debitam moderationem se defendendo excedat occidens tenetur integrè damnum compensare 2. si non excedat, ad nil tenetur.* 257.4

Inuenta.

*Inuenta in pauperes erogāda.* 310.2

*Inuentor post diligentem inquisitionem potest inuenta retinere, ibid.*1

Irrisio.

*Irrisionis quis finis & eius differentia à contumelia.* 422

Iudex, iudicium.

*Iudicium varie accipitur.* 206

*Iudicium internum est actus intellectus.* 207.2. *elicitur à virtute prudentiæ, non iustitiæ.* 3. *Dicitamen potest actus iustitiæ.* 4

*Iudicium externum seu sententia iudicis est magis actus iustitiæ.* 207.6

*Iudicium externum est actus iustitiæ legalis & particularis.* 209

*Iudicare licet Christianis.* 210.1

*Ad iustum iudicium quæ requisita, ibid.* 3

*Iudicium temerarium quid.* 211.1. *Quomodo differt à dubitatione & suspicione.* 2

*Iudicium temerarium iudicis est peccatum mortale contra iustitiam, ibid.*3

*Iudicium temerarium in animo residēs quando sit peccatum mortale.* 213.5. *quando non.* 212.4

*Iudicium temerarium an obliget ad restitutionē.* 216.11

*Iudicādum semper secundū leges ius naturale continētes.* 222.1. *secundum leges continentes ius positiuum ordina-*

vie.2. Licet tamen ab eo recedere iudicando contra Verba legis. 3

Iudicans non sibi subditum peccat vsurpatione iudicij. 225.2. 224. 4. estque peccatum genere suo mortale. 225.5

Iudex ob crimen ipso iure priuatus titulo ante sententiã iudicis non peccat vsurpatione iudicij. 230.6

Iudex habens titulũ coloratũ nõ peccat, vsurpatione iudicij, ibid. 1. vt tamen eius acta valeant, duæ conditiones requisitæ. 231. 2. Idem dic quando iurisdictio est occultè alicui ablata. 233. 4. Hæque locum habent tam in foro contentioso quam sacramentali. 234. 5

Quando probabilis doctorũ opinio dat iudici iurisdictionem valent eius acta. 235. 6

Item quando populus dubitat an sit iudicio priuatus. 7

Iudex an condemnare possit quem scit innocẽtem, probatũ nocentẽ. 370. 1. quid igitur ei tunc faciendum, ibid. probabile est posse. 2. verius non posse. 3. An idem dicendum de causis ciuilibus. 375. 2

Iudex an quẽ possit ex priuatâ scientia condẽnare. 376. 1. 2

An saltẽ id possit supremus Iudex. 2. 377. 3. An saltem possit ex concessu Reip. 378. 5

Iudex an possit aliquem non citatum nec auditum condemnare, ibid. 1. Anid possit princeps. 379. 2. 3

Iudicum sæcularium praxis, qui ex denũciatione officialis publici ad hoc deputati, vel alterius priuati aut ad querelam partis offensæ procedunt ad capiẽdas informationes & indicia, quibus habitis formant libellum inquisitionis, an damnanda. 387. 9

Iudici sæculari quibus modis via ad inquisitionem aperitur. 389. 8

Iudex ex quibus indiciis potest reum subijcere torturæ. 391. 6. 7

Indicia hîc quid vocentur. 1. quot eorum gradus. 390. 2

Iudex non potest reum legitimè convictum per testes torquere ad extorquendam confessionem criminis. 390. 5

Iudex condemnans reum præter ordinem iuris an & quando restituere teneatur. 395. 12.

Iudices inferiores à tyranno constituti vt non peccent vsurpatione iudicij. 230. 6

Iuramentum.

*Iuramentum quid.* 547. 1

*An iuramentum per falsos Deos sit verè iuramentum.* 2

*Iurare per falsos Deos an & quando sit peccatum mortale, ibid.*

*An infidelis iurans per falsum Deum sit periurus si falsum iuret, ibid.*

*An iuramentum per creaturas sit verum iuramentum, ibid. An si attestemur Sanctos.* 548. *Ad essentiam iuramenti quæ requirantur.* 3

*An qui ex ira iurant verè iurent: ibid. An qui dicunt per fidem meam, & similia. ibid.*

*Iuramenti variæ diuisiones* 549. *Singulorum membrorum definitio* 550 4. 5

*Creatura quot modis spectari potest in ordine ad iuramẽtum & quomodo spectari debet vt per eam sit verum iuramentum.* 551. 3

*An liceat iurare.* 550. 1

*Quæ & quot iuramenti conditiones.* 551. 4

*An iuramentum promissorium libere factum semper obliget.* 552. 2

*Iuramentum de re mala an valeat.* 2. *Aut de indifferenti.* 3

*Iuramentum de re bona sequitur conditionem promissionis cui additur.* 4

*Iuramentum promissorium metu graui extortum an obliget.* 553. *Qui latroni promisit ad vitam redimendam cum iuramẽto tenetur soluere, ibid.*

*Iurans se rediturum ad iniquum carcerem, tenetur.* 554.

*Iuramentum dolo extortum an & quando obliget.* 2

*Iurans fictè an teneatur iuramento.* 555. 2. 3. 4. *Quot modis iurari potest fictè.* 1

*Iurans alio sensu, quam alter intelligat an teneatur.* 556 2. *& an peccet.* 3

*Iniustè iurare coactus, oratione ambiguâ vel restrictione vtens non peccat.* 557. 4

*Iusiurandum deferre ei, quem scis peieraturum, an liceat.* 558. 1. 2

*Iuramenti obligatio qui tollatur.* 559. 2

*Iuramentum vt possit potestate humana irritari.* 3

*Iuramentum quando sit validum, quando non.* 163. 3

Iustitia, ius, iustum.

*Iuris nomen æquiuocum esse & varie accipitur.* 1. 2.

*Ius ut idem est quod iustum, tripliciter accipitur. num. 2.*

*Iuris definitio.* p. 3. 1

*Ius pro potestate sumptum quid sit p. 4. num. 2. non est quid reale nec rationis, sed morale. pag. 4. num. 3. quomodo nihilominus ab eo procedant effectus reales. pag. 5. num. 4*

*Ius aliter diuiditur à Iuristis, aliter à Theologis. pag. 6. num. 2. 3*

*Quid ius naturale, ibid. num. 2. 3. quid gentium, quid ciuile, quid positiuum, ibid.*

*Iustum aliud simpliciter, aliud secundum quid. pag. 7. 1*

*Iustum simpliciter non reperitur inter patrem & filiũ vt tales, & quomodo hoc intelligatur. pag. 7. 2. & 8. 3. si non spectentur vt tales, potest esse. pag. 9. 5*

*Ius in re quid, quid ius ad rẽ. p. 11. 1. & quæ ad horum acquisitionem requirãtur, ibid. 2. & 12. 3. & quæ eorum differentia.* 4

*Quale ius habeat, qui furto amisit suum equum vel possessionem sui prædij. pag. 12. 5*

*Quid per rem intelligatur, in ius in re, & ad rem. p. 13. 6*

*Ad acquirendum ius in re circa res incorporales, quando præter titulum necessaria sit traditio p. 14. 7*

*Ius seu facultas vtendi potest esse separata à domino, etiam in rebus vsu consumptibilibus. 32. 2*

*Iure gentium quæ nullius sunt, fiunt primo occupantis. p. 89. 5*

*Ius patronatus quanto tempore præscribatur.* 179

*Iustitia quid?* 189. 1

*Iustitia est virtus, & in voluntate.* 190. 3

*Iustitia propriè est ad alterum. 191. 1. impropriè non. 2.*

*Iustitia versatur primario circa actiones 192. 2. secundario circa passiones.* 3

*Iustitia constituit medium rei. 194. 4*

*Iustitia differt ab alijs virtutibus, & in quo, ibid. 1. 2*

*Iustitia præstat temperantiæ.* 195. 2.

*Item fortitudini. 196. 5*

*minus præstat religione & misericordiâ.* 197. 7

*Datur iustitia generalis, seu legalis, ibid. 2. varia eius,*

*mina.* 198.3

*Iustitia legalis probabiliter vere & propriè est iustitia.* 198 1. *probabilius est tamen non esse.* 199.2. *est præstantior particulari, ibid.* 4

*Iustitia legalis, pietas & obseruantia, in quo conueniant.* 200.2. *in quo differant.* 201.3

*Iustitiæ diuisio.* 239.1

*Iustitia commutatiua & distributiua differunt à iustitia legali, ibid.* 2. *Item inter se quatuor modis.* 3

LAVDES.

*LAudes Dei quem habent finem.* 407.1

Lex.

*Leges humanæ an possint aliquem priuare ipso facto, beneficio vel officio ante sententiam declaratoriam.* 229. 2.3

Lignatio.

*Lignari in sylua reip. contra iustã prohibitionem, quãdo & quale peccatũ.* 104.2.3. 4. *Resp. potest iustè prohibere lignationem & quibus conditionibus requisitis.* 103.1

Lucrum.

*Lucrum cessans quid.* 430.1

*Lucri cessantis ratione an liceat aliquid supra sortem exigere.* 2. *Vt pactio de lucro cessante ab initio sit licita, quæ conditiones requisitæ.* 431.3

MALEDICTIO.

*MAledictio quotuplex, & definitio membrorum.* 423

*Maledicere creaturæ irrationali an liceat, ibid.*

Martyres.

*Martyres qui se occiderunt instinctu Dei.* 353.4

Mediator.

*Christus vnicus mediator, quomodo intelligendum. pag.* 486.9

Metallicæ venæ.

*Metallicæ venæ vt probabilius in nullius dominio censentur.* 99.2

*Ius tamen eas effodiendi regulariter competit domino loci, ibid.*

Minoritæ.

*Minoritæ habent vsum rerum suarum, non tamen dominium.* 32.3. *penes quos est illarum rerum dominium.* 4. *Diuus Tho. visus contrarium dicere explicatur.* 33.6

Montes Pietatis.

*Montes Pietatis an ab vsura excusentur.* 444.2

*Montes Pietatis quid.* 443

Mutilatio.

*Mutilare se an liceat pro salute corporis.* p. 357. 1. *An teneatur quis ferre mutilationem ob vitæ conseruationem,* ibid. 2. 3

*Mutilare se ob salutem animæ an liceat.* 358. 1. *an ob comminationem mortis.* 359. 2

*Mutilator ad quid teneatur.* p. 254 1. *Si moriatur, an hæredes teneantur.* 2

Necessitas.

*Ex necessitate quotuplicister aliquid fit.* 528

Nouitius.

*Nouitij an obligentur ad horas canonicas.* 497

Oblatio.

*Oblationis nomine quid significatur.* 509

*Ad oblationes an quis teneatur.* 2

Obseruatio.

*Obseruatio vana quid.* 563. 1

*Obseruatio sanitatis quid.* 2

*Obseruatio euentuum quid.* 564. 3

Occisio, occidere.

*Occidere plantas & animalia an liceat.* 335. 2. *An in hoc possit esse crudelitas.* 4

*Occidere hominem an liceat* 336. 2. 3. *An peccatores & quando.* 337. 1. *qua authoritate.* 3. *An omnes.* 4

*Occidere tyrannum an & quomodo homini priuato liceat.* 3. 339. 340. 4

*Occidere tyrannum ratione solius malæ administrationis, quamdiu manet princeps, priuato homini non licet.* 5

*Occisione furis in defensionem facultatum an contrahatur irregularitas.* 348. 5

*Occidere nitentem honorato viro alapam impingere an liceat.* 349. 2

*Occidere se an liceat.* 352. 2

*Occisio sui Reo mandari non potest* 353. 5. *Licet quandoque aliquid facere vel omittere, vnde scitur certò mortem secuturam.* 354. 6

Oratio.

*Oratio quid* 477. 1. *Qui & quot actus in oratione.* 2

*Oratio & actus religionis.* 478. 3

Oratio an necessaria ad salutem. 479. 2. Præceptum de oratione quando obligat 480. 5

Oratio an vtilis & efficax, ibid. 1

Orationi soli ex bonis operibus conuenit vis impetrandi. 481 3. In oratione quæ petenda. 1. discrimen petendorum in oratione. 2

Orare quis possit. 482. An diuinæ personæ. 2. An Christus 3. An sancti in cælo. 483. 4. An damnati in inferno. 5.

An animæ in purgatorio. 6

An omnes in hac vita. 7

Peccatores male orantes an nunquam exaudiantur. 8

Orandi qui sint 484 1. An Sancti 485. 5. 6. quo peculiariter modo Deus orandus. 2. Quo Christus. 3

Orationes nostras Sancti quomodo cognoscunt. 486 8

Pro quibus orandum 488 1

An pro reprobis. 2

An ab oratione generali liceat aliquem nominatim excludere. 3

An orandum pro inimicis, quomodo & quando. 489 5. 6. An pro existentibus in purgatorio. 490. 7

Quomodo orandum. 1. 2.

PACTVM.

Pactum quid sit. p. 109. num. 3

Papa.

Papa quatenus Christi vicarius non habet vllum dominium temporale directè, sed bene indirecte. 69. 4. Habet tamen de facto dominiũ temporale, idque iustè, iuuitè, & vtiliter 73. 3. Soluuntur argumenta hæreticorum. 4

Non repugnat iuri diuino papam esse simul principem temporalem & spiritualem. 72. 2

Papa an possit dispensare in voto solemni. 543. 1. 545. 4

Pallio.

Pasci in pascuo reip. contra iustam prohibitionem quando & quale peccatum. 104. 2. 3. 4

Pensio.

Pensio an possit vendi aut redimi pecunia & quando. 590. 1. An si fundetur in titulo merè spirituali. 2. 4

Pensio est quid spirituale. 591. 6

Permutatio.

An liceat permutare beneficia, compensata fructuum

*inæqualitate.* 586.3

*An permutatio facta sine authoritate superioris sit simonia.* 1

*An in permutatione beneficij dignioris pro indigniori, inæqualitas dignitatis compensari possit pecunia.* 2

Periurium.

*Periurium quid, & quotupliciter sumitur.* 565.1

*Periurij pœnæ quæ.* 2

Piscatio.

*Quomodo peccet qui contra iustam prohibitionem piscatur, & ad quam restitutionem teneatur.* 93. & 94

Pœna.

*Quas pœnas inducit simonia realis circa religionis ingressum.* 593.

*Quas pœnas inducit simonia confidentiæ.* 594 1

*Quas pœnas incurrit conferēs ordines per simoniam realem.* 592 1. *quas, qui sic ordines suscipit.* 2. *quas beneficium conferens per simoniam realem.* 593. 1. *quas, sic beneficium acquirens.* 2

*An incurrantur hæ pœnæ, contractu nondum ex alterutra parte completo.* 594.1

*Pœna conuentionalis in mutuo an locum habeat.* 435.3

*Quæ conditiones ad hoc requiruntur.* 4

*Pœna conuentionalis quid,* 1. *an in conscientia debeatur post moram, ante Iudicis sententiam.* 436.5. *pars eam exigens supplet vicem Iudicis, ibid.*

*Pœnæ variorū quæ.* 442.

Possessio, possessor.

*Possessio vnde dicta & quot modis dicatur.* 38.2

*Possessio sumpta pro acquisitione possessionis quid.* 3. *sumpta pro ipsa possessione quid.* 39 4

*Possessio quomodo sit ius insistendi, & vi potius sit ipsa insistentia.* 5

*Possessionis variæ diuisiones p.* 40 1

*Possessio ciuilis quid, quid naturalis.* 2

*Possidere potest quis per seipsum rem ciuiliter tantum, per alterum naturaliter.* 41. 4

*Possideantne rem cuius habent vsumfructum vsufructuarius, emphyteuta, &c.* 42.5

*Possessio iurium & seruitutum quot modis apprehendatur.* 45.5

*Possessio rerum mobilium*

*quibus modis amittatur. 1. quot immobilium.* 46.2

*Possessionis privilegia.* 1.

Pollicitatio.

*Pollicitatio quid.* 109. 2

Precarium.

*Precarium quid.* 318.8

Præscriptio.

*Præscriptionis nomen unde, & varia eius acceptio. pag. 165. num. 1. & 166*

*Præscriptio quid. pag. 166. num. 2*

*Ad præscribendum necessaria est possessio.* 167.7

*Quæ bona præscribi non possint defectu possessionis.* 268.4

*Præscriptio non datur contra pusillum.* 476.4

*Præscribere quando possit, qui rem accipit à possessore malæ fidei.* 185. 1. 2

*Quanto tempore præscribantur debita, hypothecæ, legata, fideicommissa. pag. 181. num. 1. 2. 3. 4.*

*Quanto tempore beneficium ecclesiasticum. p. 180. num. 6. 7*

*Quæres præscribi possint. pag. 180. 1. 2*

*Præscriptio quando dicatur non procedere, ibid.*

*Quando dormire.* 187. 2

*Quando interrumpi. & quæ possit interrumpi, quæ non.* 4

*Præscriptio transfert dominium, nec tenetur præscriptor restituere.* 188. 2. *nec solum utile sed & directum dominium transfert.*

*Ad præscriptionem requiraturne titulus & quis.* 168. 1. 2

Primitiæ.

*Primitiarum nomine quid significetur?* 509. 1

Princeps.

*Princeps quinque bonorum genera possidere potest.* 182. 1

*Principis bona quæ præscribi possint, quæ non.* 183. 5. & 184. 9. 11. & 185. 13

*Immunitatem ab obedientia principis præscribere non possunt subditi.* 183. 7

*Principes ut possint prohibere venationem in locis publici iuris, & quibus de causis. 90. 2. 3. 4. Ad quæ tamen teneantur.* 91. 5. 6. 7. 8

Promissio.

*Promissio quid.* 105. 2

*Promissio prodiga quando obliget, quando non. pag. 108. num. 6*

*Promissionis à donatione differentia.* 109. 1

*Promissio ob turpem cau-*

*fam, quando obliget, quando non.* 110. 1. & 3. 6

*Promissiones quædam irritæ, quædam non.* 112. 1. 2. & 113. 3

*Promissio interna facta Deo obligat; facta homini, non.* 114. 1. *idque iure naturæ.* 2

*Promissio ante acceptationem ordinariè nõ obligat.* 115. 1. *quandoque tamen obligat.* 116. 3

*Quod promissio ante acceptationem non obliget probabile est prouenire ex solo iure positiue* 117. 1. *probabilius tamen etiam ex naturali, vel gentium.* 118. 2

*Promissio obligat ex virtute veritatis, sed non tantum pag.* 125. 4

*Probabile est promissionem obligare ex virtute iustitiæ.* 126. 6. *sed probabilius præcipuam eius obligationem esse ex fidelitate.* 128 9

*Promissio acceptata quandoque obligat sub mortali, quandoque non.* 129. 11. 12

*Promissioni ante acceptationem potest onus imponi.* 1. *post non.* 2

*Promissio acceptata quibus casibus desinat obligare. pag.* 131. *num.* 1. 2

*Ad valorem promissionis quæ & quot requirantur, ibid.*

Propositum.

*Propositum an aliquando habeat vim voti.* 518. 2

Proprietas.

*Proprietas quid.* 22. 2

Religio, Religiosus.

*Religio vnde dicatur & quid.* 459. 1

*In Religionis officio quot actus concurrunt.* 460. 4

*Religionis obiectũ quod & quotuplex.* 462. 1. *Formale quod.* 463. *quæ est honestas illa, quæ est formale obiectum religionis.* 464. 5

*Religionis differentia essentialis vnde petatur.* 6

*Religio an differat ab aliis virtutibus.* 465. 2

*Religio non distinguitur à virtute pietatis, obseruantiæ, grætitudinis in Deum. pag.* 467. *num.* 7

*Religio an differat ab obseruantia qua colantur Sancti.* 468. 3

*Religioni opposita vitia quotuplicia.* 562. 1

*Religiosi singuli habent vsũ vestium, librorum, &c. à domino separatum.* 31. 2

Religiosi

*Religiosi beneficiarij habẽt ius liberè administrandi bona suorum beneficiorum.* 56. 8.

*Religiosi superiores vt possint alicui subdito regulari concedere bona.* 9. *Vt non.* 10

## Restitutio.

*Restitutio quid.* 241. 1. *Vt differt à solutione.* 242. 3

*Item à satisfactione.* 4

*Restitutio externa necessaria est ad salutem, si facultas suppetit, secus, si non* 243. 2. *propositum tamen restituendi est necessarium.* 3

*Restitutionis præceptum est affirmatiuum.* 4

*Restitutionis obligatio proprie oritur ex duplici capite.* 244. 1. *Late sumpta, ex triplici.* 245. 2

*Quid restituere teneatur priuans alterum aliquo sensu vel vsurationis per iniuriam, pag.* 246. *num.* 2

*Quid restituere teneatur qui alterum induxit in peccatum.* 1. 2. *&* 248. 4. 5

*Qui in tempestate eiecit res alienas, si suas habeat, tenetur ad restitutionem.* 288. 1. *quantum.* 289. 2. *si non habeat, non tenetur.* 3

*Restituere tenetur possessor rei alienæ statim atque nouit esse alienam.* 301. 1. *Si consumpsit vel alienauit, tenetur ad id, quo ditatus est.* 302. 2. *Item tenetur ad fructus extantes, modo nõ sint meræ industriæ.* 303. 1. *Si non extent, tenetur ad id, quo ditatus est, siue naturales fuerint, siue mixti; non tenetur tamen ad eos quos ratione negligentiæ non recepit.* 304. 5

*Restitutio quo loco & cuius expensis facienda.* p. 327, *num.* 2. 5

*A restitutione quæ inopia excuset.* 328

*An restituere debeas transacta necessitate, ibid.*

*An & qualis remissio creditoris excuset & quando.* 329. 3. *quando non, ibid.*

*An & quando à restitutione excuset iuris & iudicis authoritas.* 331. 8

*An & quando ingressus in religionem.* 9

## Reus.

*Reus à Iudice non iuridice interrogatus an teneatur fateri veritatem.* 460. 1. *Iuridice interrogare quid sit.* 2

Reus dubitans an iuridicè interrogetur, non tenetur fatere veritatem. 3. An si iuridicè interrogetur. 402. 2. Si neget, an peccet mortaliter. 3

Reus condemnatus secundum allegata & probata an teneatur obtemperare. 404. 1

Iniquè sæpè condemnatus an possit se per vim defendere. 2. An fugere ex carcere & quãdo. 405. 3. An carceres & vincula effringere. 2

Condemnatus ad pœnam carceris temporariam non potest. 406

Reo ad fugam, carceris effractionem, &c. an liceat auxilium ferre. 407. 1. 2. An etiam pro eo carcerem rumpere, &c. 3.

## SACRIFICIVM, SACERDOS.

Sacrificij & adorationis conuenientia & discrimen. 502

Sacrificium propriè dictum quid. 505. 8. Non omne opus bonum est sacrificium propriè dictum. 502. 2

Sacrificium quotupliciter sumitur. 503. 3. Non omne opus ad honorem Dei factum est sacrificium. 4. Nec omnis oblatio Deo facta. 504. 6

Ad sacrificium quot & quæ requiruntur. 7

Singuli Patres familias erant sacerdotes respectu agni paschalis. 506. 9

Sacrificium quotuplex, ib.

Sacrificium pro peccato quid. 507. 3

Sacrificium Latreuticum quid, quid Eucharisticum, quid impetratorium, quid propitiatorium, 4

An liceat iam sacrificare agnum vel vitulum. 508

Gentiles vnde habent sacerdotes. 5

## Sacrilegium.

Sacrilegium quid. 565. 1. quotuplex. 566. 2. Multa ad id reducuntur, ibid.

## Seruus, seruitus.

Seruitus quid. 36. 2. quid personalis, quid realis. 3

Seruitus personalis triplex. 4

Seruitus iterum alia continua, alia quasi continua, alia discõtinua & quid sint. 37. 5

*Seruitutes pensionales constituuntur iisdem modis, quibus vsus fructus vsus, &c.* 1

*Seruitutes reales constituuntur variis modis, finiuntur potissimum quatuor.* 2

*Quibus modis possit vnus homo fieri alterius seruus.* 81.2

*Seruitus merè personalis nullo tempore præscribi potest* 177. 1. *Mixta potest, & quanto tempore.* 2

*Realis quanto tempore.* 178. 4. 2

*Differentia inter seruitutes rusticas & vrbanas.* 7

## Simonia.

*Simonia quid.* 567. 1. *quotuplex.* 568. 2

*Simonia realis quid, quid mentalis, quid conuentionalis, ibid.*

*An omnis conditio rerum spiritualium pro temporalib⁹ sit simonia iuris diuini.* 569. 3. 4. *Spirituale hic quotupliciter sumitur.* 1

*In quibusdam spiritualibus est aliquid temporale, in quibusdam nihil.* 2

*An sit simonia iuris diuini res spirituales permutare inter se.* 571. 2

*An sit aliqua simonia in rebus humanis p.* 572. *num.* 2

*In quibus casibus habet locum.* 573. 3

*An liceat dare pretium pro sacris actis in graui, vel extremâ necessitate.* 575. 4

*Quâ in[illegible]* 5. 6

*An sit simonia dare pretium pro functionibus spiritualibus laboriosis.* 576. 2. 3

*An dare aliquid pro sustẽtatione ministri. num.* 4 *An si nimis exigatur pro sustentatione. pag.* 577. *num.* 6

*An absque simonia possit aliquid exigi pro labore sacris functionibus intrinseco. num.* 7

*An sit simonia si prælati aliquid exigant pro dispensatione.* 578. 1. 2

*An si Pontifex & quomodo.* 3

*An sit simonia, exigere aliquid pro litteris ordinis suscepti, vel dimissoriis, vel sigillo,* 579. 1. *An episcoporum officiales, saltem Notarius, hoc possint, ibid. Si accipiant, an & qualis sit simonia.* 2.

*An pro ingressu in religionem dare vel accipere, sit simonia. num.* 1.

An aliquid exigere pro sustentatione egredientis, sit simonia. 580. 2. quid si monasterium sit inops. 3

An sit Simonia resignare beneficium in fauorem tertij cum clausula: nor aliter nec alias. 581.3

An salte[illegible]n sit iuris humani. 4

Hæ resignationes in cuius manu sunt faciendæ. 582.5

An sit simonia resignare beneficium seruata pensione, & quid hoc sit, ibid.

An sit simonia resignare beneficium luigiosum cum repetitione expensarum in eo factarum. 583.4

An sit simonia resignare beneficium in confidentiam. 584.1.2.3

An sit simonia redimere vexationem in beneficiis. 586. 2.3

An sit simonia conferre beneficium propter timorem quando nullum intercedit pactum. 589.2. quid si interueniat pactum. 590.3

Quid si eo pacto non censearis obligari in posterum. num.4

An & quænam simonia inducat pœnas iuris ipso facto, quænam non. pag. 591. num 1. An etiam mentalis in ordine, beneficiis & religionis ingressu. 592. num. 2

Simonia cõuentionalis nulla inducit ipso facto pœnas iuris positiui, exceptâ eâ quæ est confidentiæ. 594. 1. Si tamẽ pactio in totũ, vel in partem cõpleatur, inducit. 595. 2

Simoniacè acceptum an restituendum & quo iure. pag. 596. 2. 4

An Simoniacè ad monasterium admissus teneatur ante sententiam illud dimittere, ibid.

Simoniaci prety restitutio cui & quando facienda. pag. 597. num. 1. Cui, quando simonia est vtrimque completa. 2. Probabile est tunc ipsi ecclesiæ restituendum, etiam ante sententiam Iudicis. 3

## Spurius.

Spurij qui. 150. 1

Spurius non potest instituì hæres, nec quidquam accipere à patre, siue ex testamento, siue aliter. 151. 2

Spurius natus ex coitu damnato & per leges punibili non potest etiam succedere matri-

g. 152. num. 5
Debentur tamen ipsa alimenta, si aliunde non possit se sustentare. 153.6

Stipulatio.

Stipulatio quid. pag. 169. num. 4

Subditus.

Subiici alteri potest quis quinque modis. 224.3

Substitutio.

Substituti hæredi potest quis sex modis. 154.1
Substitutio vulgaris quid. 2
Substitutio pupillaris quid. 3
Duo ad eius valorem requisita. 155. 4. Fieri potest tripliciter. num. 6
Substitutio exemplaris quid. 156.7
Substitutio reciproca quid. num. 11
Substitutio cõpendiosa quid. 157. num. 12

Superstitio.

Superstitio quotuplex. 562.1
Superstitio quid importet. 561.2
Superstitio cultus incongrui quid. 562.4
Superstitio ratione veri cultus quando est. 5. & quotuplex, ibid.

Suspicio.

Dupliciter suspicari potest quis de proximo. 214.2
Suspicio dupliciter potest esse voluntaria. 3
Suspicari malum de proximo quandoque est peccatum mortale. 5. quandoque solum veniale. 4. & 217.12
Suspicio temeraria potest dici peccatum ex genere suo mortale. 215. 6. Item certo sensu ex genere suo veniale. num. 7. Idem dic de dubitatione. p. 216. num. 9
Suspicio & dubitatio an obligent ad restitutionem. 12

Susurratio.

Susurratio cui virtuti opponitur. 422
Susurratio quid, eiusque cum detractione convenientia & discrimen, ibid.

## TENTATIO.

TEntatio Dei quid & quemplex. 564

## Testamentum.

Testamentum detestabile dictum. 143.1

Testamentum quid. 2. eius à codicillis differentia. 3

Solemnitates in testamento requisitæ. 145.1

Testamentum ad piam causam, vt sit validum in foro externo, sufficiunt duo testes. 2. vt sit validum in foro conscientiæ, ne quidem duo requiruntur. 3

Testamentum ad causam profanam sine solemnitatibus factum, in foro conscientiæ validum. 146.2. Soluuntur obiectiones contra. 148.4.5

Testari qui possint, qui non. 149

Testamentum iuratum quando reuocari possit, quando non. 159.5.6.7

## Testis.

Testes quot requirantur in causis criminalibus. 408.2

Testes duo ad causam criminalem an iure diuino requirantur. 3. quibus in causis duo testes non sufficiunt, & quo iure. 4

Testes bi quales esse debent, vt plene probent. 409.1

Qui à testimonio reiiciuntur in causis criminalibus. num. 2

Non solum per testes crimen constare potest iudici. 408.1

Consanguinei & affines rei quandoque testari possunt pro eius innocentia defendenda. p. 409 num. 2

Testari an quis semper teneatur ad præceptum Iudicis. 410.1

Testis an & quando teneatur ad restitutionem, si nolit testari, vel veritatem occultet. 411.1.2. An, quando falsum testatur. 412.1.2

## Thesaurus.

Thesaurus quid. 101.1

Thesaurus quando sit inuentoris, quando domini fundi, quandoque vtriusque. 2.4. & 102.5.6. si publicus, cuius. 7. cuius, si in loco sacro. 103.8 cuius, si per magiam inuentus. 9

Titulus.

*Titulus iuris ac dominij quid.* 21. 2. *Aliquando est verus, aliquando est præsumptus.* 3

Tortura.

*Torturæ quis finis.* 390.3
*Tortura quando adhibenda.* 4
*Ad torturam sufficit infamia de præsenti delicto in eo, qui esset malæ famæ de similibus criminibus antefactis.* 392.8
*Ad torturam, præter semiplenam probationem, quæ indicia sufficiant.* 7.9.393.10 11. 12
*An ad capturam & Torturam sufficiens sit indicium quod occisi vulnus sanguinem mittat ad præsentiam huius, non aliorum.* 394. 17
*An Reus sæpius torqueri possit.* 395.18

Tyrannus.

*Tyrannus quotuplex.* 235. 1.339.2
*Tyrannus peccat vsurpatione iudicij ius dicendo.* 2. *sententiæ tamen eius sunt validæ, tenenturque ciues ijs obtemperare, donec irritentur.* 237.5

VENATIO.

*In venatione quæ animalia liceat capere, quæ non.* 84.1.2.& 3
*Vt possit quis venari in prædio, vel saltu alieno.* 92
*Venatio prohibetur quatuor modis.* 93.1
*Quomodo peccet, qui contra iustam prohibitionem venatur, & ad quam restitutionem teneatur.* 2.95.3.4.6. & 96.7

Veritas.

*Veritatis virtus obligat ad duo.* 226.5

Votum.

*Votum quid.* 117.1. *Quotuplex.* 519.1
*Votum commune quid, quid singulare, ibid.*
*Votum conditionale quid, quid absolutum.* 2. *quid pœnale & quotuplex, ibid. quid*

non pœnale, ibid.
Votum simplex quid, quid solemne. 520.3
Votum expressum quid, quid tacitum. 4
Votum reale quid, personale, mixtum. 5
Voti materia quæ, & quæ ad eam defensa. 521.1
Votum superus boni ad malum finem an sit validum. 2
Vouere opus malum quale peccatum. 3
Vouere opus indifferens pro eo tempore quo voues, an sit vtendum. 522.4
Votum matrimonij ineundi an sit validum. 523.5
Quid si votum illud facias, quia continere non poses, ibid.
Votum de non amplius vouendo an sit validum. 6
An sub votum cadant opera præcepta. 524.7
In materia voti nomine boni melioris an opus consilij tantum intelligatur. 525.8
Voti obligatio operi præcepto superueniens an sit superflua, ibid.
Vouere ad colendum Deum an sit bonum. 526. 2. An & votum illud implere. 3
Votum adimplere & vouere an sint eiusdem virtutis, ibid.
Ex voto aliquid facere an melius sit, quam sine voto. 527.1
Votum vnius an possit obligare alterum, & quando. 528.2
Voto personali implendo, si occurrat impedimentum, an & quando vouens debeat per alium votum implere. 3
Votum reale nisi ante mortem persolutum sit, obligat hæredem. 4
An hæres peccet contra votum, si non exequatur. 529 5
Votum mixtum an obliget hæredem. 530.6
An hæres teneatur sumptus peregrinationis vota erogare in pauperes. 2
A voto quot modis potest quis liberari. 530.1
Quorum vota possint irritari & à quibus. 2
Votum alterius sine causa irritans an peccet. 531.3
An omnia vota religiosorum possint à superiore irritari. 532.5.7. an etiã post quã ipsemet superior in votum

*Consensit.* 533.9

*An vota seruorum & Mancipiorum possint à Domino irritari.* 536.15

*An vota vxoris à marito.* 16. *An omnia vota laicorum à Pontifice.* 17

*Voti solemnitas in quo consistat.* 544.2. *An ab Ecclesia sit introducta.* 545.3


## Vsucapio.


*Vsucapio quid?* 166.4 *eius à præscriptione differentia, ibid.*

*Ad Vsucapionem rerum mobilium quantum temporis requiratur.* 175.3

*Quantum ad immobilium.* 176.3.5


## Vsura.


*Vsura quid est quando pro contractu vsurario sumitur.* 423.1. *quid quando pro lucro vsurario, ibid.*

*Vsura quotuplex. ibid.*

*Vsura mentalis quid, quid exterior implicita, quid exterior explicita.* 424.2

*Vsura quo iure prohibita.* 425.2.3.4

*An ratione periculi sortis, aut expensarum, vel operanda metuendi, aliquid exigere, sit vsura.* 432.2

*Quæ requiruntur vt hoc licitè fiat.*

*An sit vsura, aliquid petere ratione [illegible] pecuniæ, vel obligationis [illegible] repetendi ante certum tempus.* 434.2

*Vsurarum dominium an & quando in vsurarium transferatur.* 437.2

*Ab vsurarijs quænam titulo oneroso, vel gratuito accipere liceat.* 438.1.2

*Vsurarius, si res alienas loco vsuræ acceptas vendat, acquirit dominium pretij.* 437.4

*Si vsurarius per donationem tibi factam, vel aliam alienationem impotens fiat ad restituendum, an teneatis restituere.* 439

*Res lucrifactæ pecunia vsuraria an & quando in vsurarij dominium transferantur.* 437.3

*Si vsurarius, vel alius debitor non est soluendo, nihil potes ab eo accipere per vltimam voluntatem.* 440.4

*Vsurarij hæredes an te-*

non pœnale, ibid.

Votum simplex quid, quid solemne. 520.3

Votum expressum quid, quid tacitum. 4

Votum reale quid, personale, mixtum. 5

Voti materia qualis, & quæ ad eam defendo. 521.1

Votum superis boni ad malum finem an sit validum. 2

Vouere opus malum quale peccatum. 3

Vouere opus indifferens pro eo tempore quo vones, an sit validum. 522.4

Votum matrimonij ineundi an sit validum. 523.5

Quid si votum illud facias, quia continere non potes, ibid.

Votum de non amplius vouendo an sit validum. 6

An sub votum cadant opera præcepta. 524.7

In materia voti nomine boni melioris an opus consilij tantum intelligatur. 525.8

Voti obligatio operi præcepto superueniens an sit superflua, ibid.

Vouere ad colendum Deum an sit bonum. 526. 2. An & velim illud implere. 3

Votum adimplere & vouere an sint eiusdem virtutis, ibid.

Ex voto aliquid facere an melius sit, quam sine voto. 527.1

Votum vnius an possit obligare alterum, & quando. 528.2

Voto personali implendo, si occurrat impedimentum, an & quando vouens debeat per alium votum implere. 3

Votum reale nisi ante mortem persolutum sit, obligat hæredem. 4

An hæres peccet contra votum, si non exequatur. 529 5

Votum mixtum an obliget hæredem. 530.6

An hæres teneatur sumptus peregrinationis vota erogare in pauperes. 2

A voto quot modis potest quis liberari. 530.1

Quorum vota possint irritari & à quibus. 2

Votum alterius sine causa irritans an peccet. 531.3

An omnia vota religiosorum possint à superiore irritari. 532.5.7. an etiã post quã ipsemet superior in votum

*c. sensit.* 533.9

*An vota seruorum & Mancipiorum possint à Domino irritari.* 536.15

*An vota vxoris à marito.* 16. *An omnia vota laicorum à Pontifice.* 17

*Voti solemnitas in quo consistat.* 544.2. *An ab ecclesia sit introducta.* 545.3

## Vsucapio.

*Vsucapio quid?* 166.4 *eius à præscriptione differentia, ibid.*

*Ad vsucapionem rerum mobilium quantum temporis requiratur.* 175.3 *Quantum ad immobilium.* 176.3.

## Vsura.

*Vsura quid est quando pro contractu vsurario sumitur.* 423.1. *quid quando pro lucro vsurario, ibid.*

*Vsura quotuplex. ibid.*

*Vsura mentalis quid, quid exterior implicita, quid exterior explicita.* 424.2

*Vsura quo iure prohibita.* 425.2.3.4

*An ratione periculi sortis, aut expensarum, ne die non [illegible] sperandæ metu [illegible], aliquid exigere, sit vsura.* 432.2

*Quæ requiruntur vt hoc licitè fiat.*

*An sit vsura, aliquid petere ratione [illegible] pecuniæ, vel obligationem repetendi ante certum tempus.* 434.2

*Vsurarum dominium an & quando in vsurarium transferatur.* 437.2

*Ab vsurarijs quanam titulo oneroso, vel gratuito accipere liceat.* 438.1.2

*Vsurarius, si res alienas loco vsuræ acceptas vendat, acquirit dominium pretij.* 437.4

*Si vsurarius per donationem tibi factam, vel aliam alienationem impotens fiat ad restituendum, an tenearis restituere.* 439

*Res lucrifactæ pecunia vsuraria an & quando in vsurarij dominium transferantur.* 437.3

*Si vsurarius, vel alius debitor non est soluendo, nihil potes ab eo accipere per vltimam voluntatem.* 440.4

*Vsurarij hæredes an te-*

...dium. 441.1
...possi 2
Vsurarenale, 1
Vsurarij legatarij & donatarij non tenentur restituere etsi hæredes omnes à solutione deficiant. 3
Vsufructus, vsus.
Vsufructus quid. 23.4
Alius causalis, alius formalis. 23.3
Vsufructuarius ad quæ teneatur. 23.4
Vsusfructus alius proprius, alius improprius, eorum differentia, ac in quibus rebus constituantur. 25.5
Vsusfructus legatis quid. 2
Conventionalis quomodo constituatur. 26.3
Quomodo inter se differant. 27.5
Pater quando habeat vsumfructum in bonis filij aduentitij, quando non. 25.2
Vsusfructus à quo vendi...
Vsufructuarius, si non possit satisfacere, quid faciendum. 27.3
Vsusfructus formaliter finitur sex modis.
Vsufructuarij bona quando confiscantur, finiatur ne vsusfructus, & ad quem perueniat. 28.2
Quando vsufructuarius facit in religione professionem, finiatur ne, & ad quem pertineat, ibid.
Vsus quid. 30.1
Quid possit, qui habet vsum alicuius rei. 2
Vsus & vsusfructus quomodo ab habitatione differant. 3
Vxor.
Vxor an & quando peccet mortaliter expendendo bona mariti, quando non. pag. 367. num. 1.2

FINIS

quid seruũ meum, óleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

SAcrificia Dómine, quæ in honóre sancti Ludouici Confessóris tui, atque Pontificis, tuæ offérimus maiestáti, nobis sint ad salútem efficácia, & tuæ plácita pietáti. Per Dóminum.

Communio. Beátus seruus, quem cùm vénerit dóminus, inuénerit vigilántẽ. Amẽ dico vobis, super omnia bona sua constituet eũ.

Postcommunio.

IMménsam cleméntiam tuam, omnípotẽs Deus, suppliciter exorámus: vt intercedénte beáto Ludouíco Confessóre tuo atque Pontífice, per hæc sancta quæ súmpsimus, cuncta nobis aduersántia, te adiuvánte vincámus. Per Dóminũ.

IN FESTO
[illegible] Regis Confessoris & Confessoris.

Missa. Os iusti. vt ponitur ipso die in Missali nouo.

FESTA SEPTEMBRIS.

IN FESTO
Stigmatum B. Patris nostri Francisci.

Sum. Pont. semel in [illegible] septima die non in officio nouem lectr[illegible] (extra Aduẽtum, & dragesimam) fiat Of[illegible] Sacrarum Stigmátu[illegible] P. nostri Francisci.

Introitus.

MIhi autẽ absit gloriari nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ps. Voce mea ad Dóminum clamaui, voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui frigescéntem mundo, ad inflammánda nostra tui amóris in carne Beatíssimi Patris Francísci Passióni sacra stígmata renouáre concéde propítius, ut méritis & précibus eius iúgiter ferámus, & fructus pœniténtiæ capiamus. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Lectio Epístolæ

…tes: Mihi autē absit …riári: nisi in Cruce …i nostri Iesu Christi: …em mihi mūdus cru… est, & ego mūdo. In …to enim Iesu neque …ncísio áliquid valet, …præpútium, sed no… catúra. Et qui hanc …régulā secūti fuerint, …per illos, & miseri… & super Israël Dei. …ero nemo mihi mo…t: ego enim stígmata …i Iesu in córpore …rto. Grátia Dómini …Iesu Christi, cum spí…ritu vestro, fratres. Amen.

…duale. Os iusti medi…tur sapiētiam, & lingua …loquétur iudícium.

…x Dei eius in corde …: & non supplanta…r gressus eius. Alle…allelúia. ℣. Christo …xus sum cruci: viuo …ego, iam non ego, vi…uit autem in me Christus. Al…

…mpore Paschali omit…Graduale, & addun…ns ℣. Hic Francíscus …& húmilis cælū di…ditur, hymnis cæ…lestium Trad…


…buísti ei, & voluntáte la…biórū eius non fraudásti eū. ℣. Quóniā prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum.


IN illo tēpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, abnéget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam saluam fácere, perdet eam. Qui autē perdíderit ánimam suam propter me, inuéniet eā. Quid enim prodest hómini, si mūdum vniuérsum lucrétur, ánimæ verò suæ detriméntum patiátur? Aut quā dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Filius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuíq; secúndū ópera eius. Credo.

Offertorium. Desidérium ánimæ eius tribuísti ei Dómine, & volūtáte labiórum eius non fraudásti eum: posuísti in cápite eius corónā de lápide pretióso. Secreta.


ADsit nobis, quæsumus




ardentíſſimè incéndit tuã laudat Ange-




in té ri us: ſuúmque ſant Dominati ône




ſ corpus ſacris ſtigmâtibus mũt poteſtâtes. Cæ-




inſigni uit ex té ri us, lorúmq; Virtutes



ſigno cruci fixi Ieſu be a ta Séraphim: ſo-



Chriſti Dómini no- exultatiône concel-



ſ. Per quẽ maieſtátem & noſtr-



…tres:
…riam
…ai no
…iem
…vt admítti iubeas
…eſt
…to
…mcu
…e pra
…catúre cámur …ppli ci
…régu
…feſſiô ne di cen tes.
…munio. Fidélis ſer-
…x prudens, quem con
…eſtſt Dóminus ſuper fa-
…dium ſuam: vt det illis in
…ur ſore trítici ménſuram.
…oq Poſtcommúnio.
…x Celéſtam tuam, quæ-
…: ſumus Dómine, grátia
…r ſtis amplificet: quam
…al Franciſci Confeſſoris
…luminárę voluíſti glo-
…e méritis, & exémplis.
…Dóminum.

N E S T O

…pr. Danielis, & ſoc.
Gr… roitus.
…nuntiam ſanctó-
…li, …rent pópu
…er Eccléſies eórum
…ur. …nómi…
…elinat …ra…

…tate iu… …ir… rectos
decet co…ducatio. ℣. Gló-
ria Patri. Oratio.

FRatérna nos Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætificet: quæ & fidei noſtræ præbeat increménta virtútum, & multíplici nos ſuffrágio conſolétur. Per.

Léctio Epiſtolæ beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

FRatres: Exhibeámus … noſmetipſos ſicut Dei … 6.
miníſtros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necceſſitátibus, in angúſtijs, in plagis, in carcéribus, in ſeditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in ieiúnijs. In caſtitáte, in ſciéntia, in longanimitáte, in ſuauitáte, in Spíritu ſancto, in charitáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei: per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiníſtris: per glóriam, & ignobilitátem: per infamiam, & bonam famam: vt ſeductóres, & veráces: ſicut qui ignóti, & cógniti: quaſi moriéntes, & ecce víuimus: vt caſtigáti, & non mortificáti quaſi triſtes: ſemper autem gaudéntes, … ut egéntes, multos … locupletántes:

